Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/evangeliadecommu0000fran

EVANGELIA

DE

COMMUNI SANCTORUM.

Facultas R. P. Provincialis

SOCIETATIS JESU BELGICÆ.

Ego Cæsar Crespelle, Societatis Jesu in Belgio Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab Adm. Rev^do^ P. Petro Beckx, ejusdem Societatis Præposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus : *Evangelia de communi Sanctorum,* etc., opera F.-X. Schouppe, præfatæ Soc. Jesu presbyteri, conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, typis mandetur.

Bruxellis, die 30 Octobris 1868.

C. CRESPELLE, S. J.

Approbatio Ordinarii.

Homiliticum hunc commentarium in *Evangelia de communi Sanctorum,* nihil inferiorem judicamus commentario simili, quem auctor non ita pridem in *Evangelia Dominicarum* edidit. Quapropter sicut Prædecessor Noster Cardinalis Sterckx præfata *Evangelia Dominicarum,* non tantum approbanda, sed peculiari modo presbyteris omnibus commendanda censuit, ita Nos hæc Evangelia de communi, homiliticis explicationibus illustrata, et approbamus et clero nostro enixe commendamus.

Mechliniæ, 10 Novembris 1868.

† VICTOR-AUGUSTUS, Arch. Mechlin.

Explanatio in *Evangelia de communi Sanctorum,* quam F.-X. Schouppe, in nostro Seminario S. Scripturæ lector, in gratiam Cleri adornavit, egregii commentarii in *Evangelia Dominicarum ac Festorum,* ab eodem auctore editi, dignum complementum est; summopere ergo novum hoc ad scrutandos Scripturarum thesauros subsidium commendandum censemus.

Leodii, 12 Novembris 1868.

† THEODORUS, Episc. Leod.

EVANGELIA

DE

COMMUNI SANCTORUM

EXPLICATIONIBUS

AD MENTEM SANCTORUM PATRUM ALIORUMQUE INTERPRETUM

DILUCIDATA,

UT NON MINUS POPULI INSTRUCTIONI

QUAM SACERDOTUM DEVOTIONI SERVIANT;

ADJUNCTIS NONNULLIS EX EVANGELIIS FERIALIBUS

QUADRAGESIMÆ;

opera Francisci Xaverii SCHOUPPE, S. J.

ALMA COLLEGE
251.8
LIBRARY
Sch 68
Alma, California

BRUXELLIS
EXCUDEBAT H. GOEMAERE
SUMMI PONTIFICIS TYPOGRAPHUS.

1869

2185

DROITS DE PROPRIÉTÉ ET DE TRADUCTION RÉSERVÉS.



Epistola Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ IX.

Admodum Reverende Pater Observantissime,

Sanctissimus Dominus Pius IX tua *Elementa theologiæ dogmaticæ*, tuamque *Evangeliorum expositionem per singulos dies anni festos* libentissime excepit. Gratulatur autem tibi, quod in prioribus, ita paucis omnia scitu necessaria complecti curaveris, ut qui positi sunt Magistri in Israel non modo perspicuitatem, ordinem ubertatemque lucubrationis commendaverint, sed opus præterea accommodatissimum censuerint juniori clero sacris disciplinis rite imbuendo, non minus quam opportunitati maturioris.

Acceptissimumque etiam habuit quod, Ecclesiæ ministris juxta et christiano populo consulturus, commentaria in Evangelia, e Sacrorum

Patrum sententiis deprompta, ita digesseris, ut aptam paratamque materiam exhibere possent homiliis per singulos festos habendis.

Et quoniam nonnisi spirituale fidelium emolumentum, ex ipsa operum indole, te spectasse animadvertit; illud me tibi amplissimum ominari jussit nomine suo, simulque gratias agere de oblatis voluminibus; auspicem vero divini favoris paternæque suæ benevolentiæ pignus nuntiare Benedictionem Apostolicam, quam tibi peramanter impertit.

Quod dum ultro libenterque perficio, peculiaris observantiæ meæ æstimationisque officia tibi exhibere gaudeo, cui adprecor a Deo fausta omnia et salutaria.

Tui, Admodum Reverende Pater Observantissime,

Addictissimus Observantissimus famulus

Franciscus Mercurelli

Sanctissimi Domini Nostri ab epistolis latinis.

Romæ, die 30 Octobris 1867.

Admodum Reverendo Patri Observantissimo P. Francisco Xaverio Schouppe, professori Theol. dogm. et S. Scripturæ, Leodium.

ILLUSTRISSIMO

AC

Reverendissimo Domino

VICTORI AUGUSTO ISIDORO DECHAMPS

Archiepiscopo Mechliniensi,

Primati Belgii.

Illustrissime ac Reverendissime Praesul,

Liceat mihi venerationis atque honoris gratia, librum hunc *Evangelia de communi Sanctorum*, Amplitudini Vestræ offerre ac dedicare.

Quod quidem obsequium, sicut Dignitati Vestræ debetur, ac non ingratum fore confido: ita mihi longe jucundissimum est præstare.

Dum enim hierarchicum principem intueor, a Christo ejusque Vicario Romano Pontifice con-

stitutum, et uni ex illustrissimis orbis catholici Ecclesiis præpositum; dumque oculo fidei in eo video Apostolorum successorem, qui sicut iidem ipsi Apostoli non tantum Christi potestate pollet, sed etiam Christi personam atque expressam imaginem refert; summa fateor me reverentia impleri. Quod si præter dignitatem ac potestatem, alia in venerabili Præsule videam elucere Dei dona, quibus Ecclesiam ac populum Dei ædificet, illuminet ac defendat; si videam Christum Dominum peculiari modo communicasse ministro suo zelum domus suæ, doctrinæ lumen, gratiamque sermonis cum evangelica humilitate ac mansuetudine conjunctam; veluti nova quadam veneratione, amore ac gaudio me moveri sentio: nec possum non divinæ bonitati gratias agere, quod per Pastores tam dignos tamque præclaros Ecclesiam suam non desinat gubernare.

At vero hos affectus sicut habere decet, ita aliquando significare fas est et oportet. Equidem hoc quod offerre tibi, Illustrissime Præsul, possum obsequii testimonium, minus dignum esse non ignoro; tamen utut exiguum, illud cordi tuo acceptissimum fore spero. Cum enim quidquid ad Cleri populique christiani eruditionem ac pie-

tatem confert, unice tibi cordi sit; dubitare nequeo, quin oblatum zelo tuo quamvis tenue adminiculum, pergratum atque jucundum contingat.

Quapropter istud commentarium in sacra Evangelia ad pedes Amplitudinis Vestræ depono, humiliter postulans, ut pastoralem benedictionem mihi meoque operi impertiri dignetur · quam benedictionis Christi Domini ipsius pignus fore confido.

Illustrissime ac Reverendissime Præsul,

Amplitudinis Vestræ

infimus in Christo servus,

F.-X. SCHOUPPE, S. J.

Leodii, die 20 Augusti 1868.

PRÆFATIO.

Quemadmodum non ita pridem *Evangelia Dominicarum ac Festorum* peculiariter in usum Cleri explicata edidimus; ita nunc, quod illius operis velut complementum est, *Evangelia de communi Sanctorum* afferimus similiter illustrata.

Quamvis enim Evangelia Dominicarum primario quodam loco in Ecclesia emineant, ideoque præcipuo studio ab Ecclesiæ ministris intelligenda sint et fidelibus explicanda; accedunt tamen alia, quorum intelligentia juxta Ecclesiæ mentem familiaris nobis esse debet, nempe Evangelia *de communi Sanctorum*. Quæ quidem ita frequenter in Missis quotidianis occurrunt legenda, ut vix possint sacerdotis memoriæ non imprimi et inhærere. Quo sane usu tam assiduo non solum intendit Ecclesia selectis illis Domini verbis nostram ornare memoriam; verum etiam, et multo utique magis, mentes nostras eorumdem intelligentia ac sensu nutrire.

In istis scilicet Evangelii lectionibus præcipui quidam continentur thesauri doctrinæ, quibus exempla Sanctorum, quorum festa colimus, illustrantur. Sunt enim variis Sanctorum ordinibus, Apostolis, Martyribus, Con-

fessoribus, cæterisque omnibus sic adaptata, ut quemadmodum lectiones Officii nobis exempla proponunt imitanda, ita Evangelium Missæ principia nobis aperiat, ex quibus talia exempla virtutum prodierint.

Patet autem, hæc principia evangelica, ut nobis juxta Ecclesiæ mentem proficua sint, rite esse intelligenda; et ideo quo passim facilius ac plenius intelligentia tam pretiosa possit acquiri, hanc Evangeliorum *de Communi Sanctorum* adornare sumus conati: eamdem methodum, eosdemque Auctores (1) secuti, ac in præfatis *Evangeliis Dominicarum*.

Quæ quidem *Evangelia Dominicarum* quoniam tanta benevolentia, tantoque favore a piissimo Belgii Clero excepta sunt; imo ipsi Sanctissimo Domino Nostro Pio IX adeo non displicuerunt, ut sua Sanctitas exiguitatem nostram ad hujusmodi genus laboris prosequendum adhortari dignata sit: ideo velut obligationem incumbere nobis ducimus, ut quidquid possimus in hoc genere faciamus; et simul ex altera parte, hunc qualemcumque nostri laboris effectum cum fiducia in medio proferre, nostrisque in sacro ministerio Confratribus tam benevolis præbere non dubitamus: Deum interim enixe orantes, ut et istud pietatis adminiculum sua benedictione vere utile reddere dignetur et efficax ad salutem animarum.

(1 Præter SS. Patres, duces nobis fuerunt præcipui *Maldonatus; Toletus, Corn. Jansenius Gandavensis, Franciscus Lucas Brug., Cornelius A Lapide*, etc. Deinde, præter interpretes proprie dictos, quosdam etiam scriptores asceticos, nominatim *Ludovicum De Ponte*, circa sensum præsertim tropologicum, consulendos existimavimus.

—

EVANGELIA

DE

COMMUNI SANCTORUM.

IN VIGILIA APOSTOLORUM.

Joan. XV, 12-16. Dixit Jesus discipulis suis : Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Jam non dicam vos servos : quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos : quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis : sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat; ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

Explicatio prima.

Evangelium de dilectione Christi et proximi, merito in Vigilia Apostolorum prælegitur, quia apostolica perfectio in dilectione fundatur. Ex amore enim Christi, vir apostolicus amat animas Christo charissimas ejusque sanguine redemptas; quapropter eas omni labore omnique pretio salvare

molitur, et exemplo boni pastoris, ipsam suam vitam, si opus sit, pro ovibus ponit.

Habet autem apostolica charitas respectum triplicem : 1° ad Christum, cui virum apostolicum intime conjungit; 2° ad cooperatores, quos inter se per obedientiam et concordiam unitos tenet; 3° ad oves, viro apostolico commissas, ut pro ipsarum salute omnia quæ habet, ac semetipsum integre impendat.

Jam vero hujusmodi charitas in prælecto Evangelii loco commendatur Domini verbis, in quibus duplex pars distingui potest :

I. *Charitatis apostolicæ modus.*
II. *Charitatis apostolicæ incitamentum.*

Tota enim Domini oratio quam consideramus, ita summatim proponi potest : Præceptum meum est ut diligatis invicem: quod ut perfecte servetis, dilectionis modum et motivum accipite. *Modus* est exemplum dilectionis meæ : *Sicut dilexi vos*, nempe usque ad sacrificium vitæ. — *Motivum* est eadem dilectio mea erga vos. Nam redamare me debetis faciendo id quod præcipio de dilectione fraterna. Ut autem hoc motivum efficacius vos ad dilectionem fraternam quam requiro provocet, considerate meæ dilectionis effectus : -1) ad intimam amicitiam meam vos admisi, et gratuito vos elegi. -2) Sublimissimi mei ministerii vos participes feci, ut, sicut ego, fructum vitæ æternæ producatis. -3) Concessi vobis, ut Patrem alloqui possitis in nomine meo, ab eoque omnia petere et impetrare, quasi essetis ejus filii, sicut ego.

Hoc est præceptum meum...

Sensus est : Hoc est præcipuum inter præcepta mea, et veluti præceptum *meum* per excellentiam. — Cum paulo ante dixisset Dominus : *Manete in dilectione mea. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea;* nunc explicat quænam sua præcepta sint. Non tamen dicit : *Hæc sunt præcepta mea;* sed : *Hoc est præceptum meum;* quia omnia reducit ad unum præceptum dilectionis mutuæ, in quo revera tanquam in radice omnia continentur. *Quidquid præcipitur*, inquit

Gregorius in hunc loc., *in sola charitate solidatur. Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt : sic multæ virtutes ex una charitate generantur.*

Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.

En præceptum Domini : dilectio fraterna perfectissima, nempe similis dilectioni, qua ipse Christus dilexit nos. Illud *sicut dilexi vos*, est -1) mensura ac modus : *sicut* ego, *ita* et vos... -2) etiam motivum : *Si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere* (I Joan. IV, 11). — Porro dominica erga nos dilectio qualis sit, sequentibus Christi verbis explicatur : est enim summa, usque ad ultimum terminum procedens, nempe usque ad donum seu sacrificium vitæ.

Majorem hac dilectionem nemo habet,
ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

Summum amoris argumentum dicit esse, dare vitam pro amicis, illudque argumentum se præbiturum esse innuit : quo significat, debere discipulos, secundum hoc exemplum amoris immolantis, diligere se invicem. Sensus ergo est quasi diceret : Diligite invicem sicut dilexi vos ; atqui ego dilexi vos usque ad sacrificium vitæ meæ; quæ dilectio summa est; ergo et vos ita invicem diligite, ut pro fratribus vitam dare non dubitetis.

Quare autem vitæ sacrificium summus dilectionis actus est? Quia amoris præcipua et propria mensura est beneficium, seu donum amato collatum; jam vero nihil pretiosius homo quam suam vitam dare potest. — Hac mensura pensatur amoris *quantitas* quæ dicitur *æstimationis*. Quo enim aliquis plura et majora postponit pro aliquo, tanto eum dicimus plus diligere. Qui ergo ita diligit alterum, ut res temporales pro eo dimittat ac largiatur, multum diligere dicitur; quod si etiam honorem proprium pro eo perdat, plus diligit; si autem quietem omnem, sanitatem, imo vitam ipsam sacrificet, tunc maxime diligit : quia amicum omnibus quæ habet præfert, iisque omnibus meliorem æstimat.

Præter hanc quantitatem æstimationis seu appretiationis, datur altera quantitas duplex, nimirum intensionis et extensionis. — *Quantitas intensionis* consistit in vehementia et fervore affectus, qui non semper sequitur quantitatem æstimationis. Sic parentes vehementius amare solent filios parvulos, et tamen pluris faciunt primogenitum et jam provectiorem : nam si unum dimittere compellerentur, mallent servare primogenitum. — *Quantitas extensionis* est ea, qua plures vel pauciores personas amore complectimur. Sic major dilectio proximi est illa, quæ non tantum cognatos et amicos diligit, sed etiam externos et inimicos.

Jam vero *sacrificium vitæ* pro amico, summus dilectionis actus hic dicitur, spectata quantitate appretiationis, quam Dominus unice respicit, præscindendo a gradibus intensionis et extensionis.

At quæritur utrum dilectio major non foret, si quis vitam ponat pro inimicis?—S. Bernardus, recitatis Domini verbis : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, addit : *Majorem tu habuisti, Domine, ponens eam pro inimicis* (Serm. feriæ quartæ hebdomadis sanctæ). — Dicendum videtur, quando pro inimicis mors suscipitur, dilectionem non proprie majorem, sed tantum rariorem, difficiliorem et nobiliorem esse. De cætero, dominica sententia inimicos nequaquam excludit, sed potius comprehendit. Etenim *pro amicis* idem sonat ac *pro amatis*. Amicus enim homini est non solum ille, a quo mutuo quis diligitur, qui primario sensu amicus dici solet; sed ille etiam quem amat non redamantem, imo potius adversantem. Itaque Domini sententia latissime intelligenda est, de quovis homine, etiam inimico, pro quo alter homo, dilectione impulsus, vitam ponat : sicut Christus, pastor bonus, pro omnibus, amicis et inimicis, justis et peccatoribus, vitam posuit. Imo de Domino dicere possemus, eum non nisi pro inimicis sanguinem fudisse : nam ipsi justi et amici ejus, prius peccatores fuerunt : *Quum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.* Rom. V, 8.

Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.

Christus motivum indicat fraternæ dilectionis, ut Dominum sic amantem discipuli redament, quasi diceret : Ego do vitam meam pro vobis quasi amicis meis ; vos vicissim mihi amorem reddite, et amicos vos exhibete : hoc autem facietis servando mea mandata, illud præsertim, quod mihi peculiariter cordi est cæteraque complectitur, *ut diligatis invicem.*

Potest etiam illud : *Vos amici mei estis*, accipi sensu passivo, ut a Toleto accipitur, hoc modo : si feceritis quæ de dilectione præcipio vobis, vicissim a me tanquam veri amici amabimini.

Jam non dicam vos servos... quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.

Alludit ad id quod modo dixit, se vitam ponere *pro amicis suis*, quo nomine discipulos designavit ; et explicat, quomodo eos ut veros amicos habuerit, nimirum erga eos tanquam erga veros amicos se gerendo. Qua explicatione suam dilectionem commendat, et discipulos ad se redamandum provocat.

Sensus autem est quasi diceret : Jam non dicam vos servos, sicut eos vocavi qui sub vetere Testamento vixerunt, et arcana mea non nisi per umbras et figuras cognoverunt ; sed dixi vos, et quidem merito, amicos meos, quia vobis nihil abscondidi, et intima mea consilia communicavi, atque arcana Patris mei revelavi.

Quod dicit : *Omnia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis*, id est, omnia quæ capere poteratis ; cætera quæ *non potestis portare modo* (Joan. XVI, 12), brevi vobis nota faciam per Spiritum sanctum, quem missurus sum.

Quod autem affirmat, nos esse *amicos et non servos*, quæri potest qua ratione componatur cum hoc, quod dicit apud Matthæum, XXV, 21 : *Euge serve bone et fidelis*, ubi nos *servos* nominat? — Resp. Amici facti sumus, et tamen servi manemus : scilicet natura servi, conditione amici ; fere sicut

natura servi et adoptione *filii nominamur et sumus*. In hoc porro consistit *conditio* seu *status amicitiæ*, quod quis, licet infimo loco natus, et regis sui servus, a rege tamen benefico tractetur ut amicus. Quicumque homo sic elevatus fuerit et honoratus, subditus quidem semper manet regi ejusque servus; non tamen serviliter servit, id est, non servit ut vile mancipium, verum ut filius et amicus in honore positus. *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus; nimis confortatus est principatus eorum.* Ps. CXXXVIII.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.

Sensus est : Non vos priores me elegistis in magistrum ; sed ego prior vos elegi, et per gratiam meam effeci, ut essetis mei discipuli, amici et apostoli.

Hoc autem Christus dicit ob quatuor rationes : -1) ut amoris sui excellentiam ostendat, cum prior eos amaverit, nullo ex eorum parte amore provocatus. -2) Ut ostendat amoris sui efficaciam, quod eos præ cæteris hominibus, qui nobiliores et doctiores erant, elegerit in Apostolos : id est, in amicos singulares et Ecclesiæ suæ principes. -3) Ut ipsi, celsitudinem suæ dignitatis ac vocationis considerantes, eidem respondere ac satisfacere satagant. -4) Ut in humilitate confirmentur, scientes, gratis ac sine suo merito ad apostolatum se electos esse et exaltatos.

Et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.

Ego scilicet constitui vos, divina virtute instructos, ut eatis per mundum universum seminantes verbum Evangelii ; utque fructum evangelicum afferatis, in vitam æternam mansurum : nempe conversionem animarum, earumque salutem æternam.

Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

Istud comma, una cum præcedenti, pendet ab hac protasi : *Ego elegi vos et posui vos;* continetque novum effectum

amoris Domini, in hunc sensum : Non solum elegi et constitui vos ut evangelicum fructum afferatis ; sed etiam tales vos effeci, atque ad hunc promovi gradum, ut quidquid a Patre meo petieritis, impetretis. — Quibus verbis simul insinuat, eos fructum esse allaturos, non viribus suis, sed Patris, a quo virtutem omnem, ad divinum illum effectum necessariam, petere poterunt.

Illud enim *in nomine meo* (1), præter significationes alias, et hanc habet vim, ut petitionem indicet factam ex mente Christi, quæ nempe ad vitam æternam ac salutem animarum pertineat. Hanc enim animarum salutem, tanquam proprium finem, semper Christus in omni consilio intuetur, quum Incarnationis finis unicus sit, *ut vitam habeant et abundantius habeant* (Joan. X, 10). Quare Augustinus ait : *Hoc petimus in nomine Salvatoris, quod pertinet ad rationem salutis.*

—

Explicatio secunda.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.

1° Proponit Dominus præceptum dilectionis fraternæ, quod, ut longe præcipuum, ideoque sibi charissimum, omni ratione commendat. Nam -1) proponit illud in ultima cœna, pridie suæ mortis, quum suprema monita discipulis traderet, quæ altius eorum animis hærere vellet.

-2) Proponit illud non semel, sed sæpius iteratis vicibus.

-3) Vocat illud mandatum *novum : a)* quia id tanquam fundamentum ponit Legis novæ, quæ tota in amore et charitate ædificata, merito lex amoris vocatur. *b)* Quia novo illud modo proponit, atque ad tantam perfectionem elevat, ut, comparatum cum Mosaico charitatis præcepto, prorsus novum videatur. Præceptum antiquum ita habebat : *Diliges proximum sicut te ipsum;* novum autem : *Diligite invicem sicut ego* (Christus) *dilexi vos.*

(1) Cf. *Evangelia Dominicarum,* Evang. Dominicæ V post pascha.

-4) Vocat illud mandatum *suum;* quia etsi reliqua etiam sunt ipsius, hoc tamen est ipsius eminenter. Nam *a*) assumpsit illud ut fundamentum suæ Legis atque Ecclesiæ. -*b*) Præ aliis illud æstimat, observandum commendat, et tanquam signum ponit, quo veri sui discipuli dignoscendi sint. -*c*) Illius observatione singulariter delectatur. -*d*) Charitas quam præcipit suis, est virtus princeps ac prædominans Cordis ejus, totius ejus vitæ principium, ejusque singularem veluti characterem constituens. Deus enim ac Dominus noster Jesus Christus charitas est (I Joan. IV, 8).

2° Modum proponit quo fraternam charitatem exercere debeamus : *Sicut ego dilexi vos.* Atqui Christus dilexit nos, -1) gratuito, cum adhuc peccatores et indigni essemus, cum ex nostra parte nullam retributionem ipse exspectare posset. -2) Efficaciter : non tantum affectu sincero animi, sed præsertim effectibus summæ beneficentiæ : omne bonum nobis exoptando et procurando secundum corpus et animam; utque illa bona nobis reapse conferret, nihil sibi parcens, sed suscipiendo libenter et amanter omnem laborem, omnem privationem, omnem afflictionem ac dolorem usque ad mortem crucis, et usque ad immolationem Eucharisticam. Dupliciter enim Dominus animam suam pro nobis posuit : cruente, in Calvario; incruente, in Sacramento.

Ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

1° Charitatem Dominus ex effectibus æstimat, ejusque perfectionem consistere asserit in danda vita pro amato. Unde varios charitatis gradus intelligimus : primus enim gradus est, dare aliquid : qui enim nihil dare vult amico, sed tantum ab eo recipere bona, ille non amicum, sed ejus dona, vel potius semetipsum amat. — Secundus gradus est dare multum. — Tertius vero et summus, dare omnia. — Quod si spectemus bona, quæ homo habet et amico dare potest, ipsa sunt varia, et plus minus pretiosa ac nobilia : nimirum, bona fortunæ, gaudia vitæ, labores, vires corporis et mentis, ipsa hominis existentia ac vita : quæ si universa amico suo voveat, dicet et immolet, amoris culmen assequitur.

2° Charitati opponitur *amor proprius*, amor suimetipsius, cujus varii quoque sunt gradus : quatenus amico quis denegat bona petita, ut ea sibi reservet ; vel quatenus etiam alterum, qui jam amicus non est, bonis spoliat, injuriisque afficit vel afficere exoptat. Istiusmodi amoris proprii culmen est *odium*, quo quis alterum, re vel affectu, sibimet immolat ac destruit.

3° Lex christianæ charitatis duo efficit : -1) tollit ex animis odium, vindictam, omnemque amorem proprium ; -2) corda disponit ad omnem beneficentiam, ad omne sacrificium, usque ad immolationem vitæ, secundum exemplum Christi.

Vos amici mei estis, si feceritis
quæ ego præcipio vobis.

1° En conditio requisita, ut Christi amici, tam activi quam passivi efficiamur : i. e. ut vere Christum amemus, et vicissim ab eo diligamur. Requirit Dominus observationem legis suæ, id est, omnium generatim mandatorum ; seu potius, legem hic restringit ad unum præceptum dilectionis : -1) quia *qui diligit proximum, legem implevit* (Rom. XIII, 8) ; -2) quia in proximo diligimus ipsum Christum, qui homines, tanquam alteros *se* visibiles, a nobis diligendos, sibimet substituit : *Mihi fecistis.* Matth. XXV, 40.

2° En dilectionis fraternæ præmium : amicitia Christi, cum omnibus bonis, quæ in ea continentur : *Vos amici mei estis.*

Jam non dicam vos servos... vos
autem dixi amicos.

1° Amicitia Domini Jesu excellentissima est, et bonum super omne bonum. -1) Nihil enim dulcius quam diligi ab amico tali ac tanto : quia longe nobilissimus, longe amabilissimus, longe fidelissimus est ; quia semper et ubique dilecto suo præsens et conjunctus est, ut eum sua conversatione recreet et soletur. -2) Nihil hac amicitia pretiosius, quum fons sit omnis gratiæ et gloriæ, quam Dominus in amicos suos effundit. *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* Ps. CXXXVIII.

2° Hujusmodi amicitiæ non obstant præterita indignitas et peccata; imo neque defectus ac miseriæ nostræ præsentes, dummodo humiliter ea defleamus. Id satis patet exemplo Magdalenæ, Petri, omniumque Apostolorum, quos *in finem dilexit*, quamvis peccassent et defectibus non carerent, atque in die passionis Dominum essent derelicturi.....

3° Ad hanc pretiosam amicitiam consequendam, conservandam, perficiendam, omnia adhibenda sunt media, omnia quæ habemus bona impendenda. *Amicus fidelis protectio fortis; qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ et immortalitatis; et qui metuunt Dominum invenient illum.* Eccli. VI, 14 seq.

4° Porro sicut Christus officia amici omnia implet erga nos, ita eadem vicissim nos erga ipsum implere debemus....

Ego elegi vos, et posui vos ut eatis,
et fructum afferatis, et fructus vester maneat.

1° En vocatio apostolica et sacerdotalis : quæ et divina est, — et refertur ad proximos, — et quidem ad spirituale proximorum bonum.

-1) *Ego elegi vos :* tria verba, excellentiam vocationis apostolicæ, quæ hic *electio* vocatur, exprimentia; indicant enim quis vocet, — qui vocentur, — et qua prædilectione vocatio fiat....

-2) *Posui vos ut eatis.* En finis vocationis apostolicæ, -*a*) divinitus præfixus : *Ego posui vos;* et -*b*) imprimis negative spectatus : Ut *eatis*, scilicet ad alios. Non enim constituuntur Apostoli, Deique donis ornantur, propter se tantum, utque in propria sanctificatione conquiescant, aut tranquille habitent in domo Dei; sed ut inde exeant ad eos qui foris sunt, ad oves errantes conquirendas.

-3 *Et fructum afferatis.* En finis apostolatus positive spectatus : in laborando consistit, in seminando et excolendo agro Domini, quem sudore, fletu et sanguine, secundum

exemplum Christi, fecundare debent. Quæ omnia ministerium animarum adumbrant.

-4) *Et fructus vester maneat.* En excellentia fructuum apostolatus : sunt fructus stabiles et in vitam æternam manentes. -*a*) Hujusmodi fructus longe differunt a fluxis humani laboris emolumentis.... -*b*) Hi fructus respiciunt tum ipsum Christum, cui vir apostolicus lucratur gloriam et animas; — tum ipsas animas, quibus lucratur vitam æternam; — tum ipsum virum apostolicum, qui sibimet lucratur merita et mercedem, secundum suum laborem.

Illud : *Et fructus vester maneat*, præter excellentiam fructus apostolici, etiam ejusdem conservationem indicat: quam procurare tenetur vir apostolicus, allaborando, ut quos ad bonum perduxit, iidem in bono perseverent.

2° Eadem Domini verba etiam vocationem cujusvis hominis christiani manifestant. Nam quod Apostolis dicitur, eos positos esse ut fructum afferant; id ad unumquemque fidelium, secundario tamen sensu, pertinet. Quisque enim a Domino electus est et positus ad producendos fructus æternæ vitæ : primum quidem et principaliter in anima propria; deinde etiam, secundum cujusque statum, in animabus aliorum. Omnes nimirum ex lege charitatis invicem diligere, et in Domino sese mutuo ædificare debent.

Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

En oratio, ejusque objectum, efficacia, et modus.

-1) Objectum est maxime extensum : omnia quæcumque ad animæ corporisque bonum pertinent, oratione possumus postulare : *Quodcumque petieritis.*

-2) Efficacia orationis tanta est, ut ab omnipotenti et misericordissimo Patre omnia impetret : *Ut quodcumque petieritis Patrem, det vobis.*

-3) Modus orandi est, ut petamus -*a*) fiducialiter, tanquam filii patrem; et -*b*) *in nomine Christi*, i. e. secundum mentem Christi, cum intuitu æternæ salutis et interioris spiritus: *Dabit spiritum bonum petentibus se.* Luc. XI, 13.

—

IN FESTIS APOSTOLORUM

(ET ABBATUM).

Matth. XIX, 27-29. Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, quum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.

Marc. X, 28-30. Et cœpit ei Petrus dicere : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. Respondens Jesus ait : Amen dico vobis : nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me et propter evangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus, et in sæculo futuro vitam æternam.

Luc. XVIII, 28-30. Ait autem Petrus : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. Qui dixit eis : Amen dico vobis : nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei et non recipiat multo plura in hoc tempore, et in sæculo venturo vitam æternam.

Explicatio prima.

I. *Promissio assessionis cum Christo judice.*
II. *Promissio centupli et vitæ æternæ.*

Anno prædicationis suæ tertio, mense Februario, cum esset Dominus in Bethabara, accessit ad eum adolescens valde dives, quique Dei mandata fideliter servabat. Cui, consilium petenti, Jesus thesaurum in cœlo promisit, si bona sua pauperibus distribueret; atque insuper suasit ei ut veniret cum Apostolis et sequeretur se. Quibus consiliis adolescens minime obsecutus, abiit. Hinc Petrus occasionem nactus, Dominum de mercede sibi aliisque Apostolis speranda interrogavit, his verbis :

Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis?

Petri verba, ut patet, cum præfatis circumstantiis congruunt, quasi diceret : Quod ille adolescens facere noluit, Domine, id nos fecimus : ipse neque bona sua abdicare, neque sequi te voluit; nos autem, ecce, et reliquimus omnia, et secuti sumus te. Jam vero, si illi modo promittebas thesaurum in cœlo pro abdicandis bonis, quid nobis erit, qui non tantum bona nostra abdicavimus, sed secuti sumus te : quid, inquam, nobis præmii, utique excellentioris, erit?

Reliquimus omnia : scilicet omnia quæ habebamus, sive in re, sive in spe, sive in desiderio : navim nempe et retia, quibus piscando victum quærebamus; et domum ac familiam; et quæcumque acquirere sperabamus vel cupiebamus. — Unde patet, Petrum et Apostolos, quamvis pauca possiderent, non tamen pauca reliquisse. Nam, ut Bernardus ait, *multum deseruit qui voluntatem habendi dereliquit.* Et Augustinus : *Petrus non solum dimisit quidquid habebat, sed etiam quidquid habere cupiebat. Quis non quotidie cupit augere quod habet? Ista cupiditas præcisa est. Prorsus totum mundum dimisit Petrus, et totum mundum Petrus accepit* (In Ps. CIII).

Et secuti sumus te. Omnia scilicet reliquimus et abjecimus pro te, Domine : ut eorum loco tu solus nostra sors et possessio, nostra fortuna fores ac spes unica. Separantes nos ab omnibus rebus ac personis, tibi adhæsimus, nosque in perpetuum tibi devovimus, ad te tuamque fortunam sequendam, quocumque ieris vel deveneris.

Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.

Sensus est : En vestra futura retributio, quam verissime vobis promitto : vos qui secuti estis me in cursum evangelicum, ut sitis participes laboris mei, eritis quoque participes futuræ gloriæ meæ. Nam in die resurrectionis, cum sedero in sede majestatis ad judicandum universum mundum, vos mihi assidebitis tanquam regni mei principes et judices mundi.

Vos qui secuti estis me : non dicit *qui reliquistis omnia*, -1) quia ad verba Petri respondens, id subintelligit, quasi diceret : Vos, qui relictis omnibus, secuti estis me. -2) Quia sequi Christum præcipuum est, et in se perfectum ; relinquere autem omnia, quod et Crates fecit philosophus, parum aut nihil prodesset, nisi id intuitu Christi, ob ejus doctrinam et sequelam fieret.

Quæri potest, utrum Christi sequaces, quibus judicialis honor promittitur, soli sint duodecim Apostoli, quos alloquitur Dominus? Respondent communius interpretes, promissionem spectare, non ad Apostolos tantum, sed etiam ad eorum imitatores, qui omnia relinquentes, Christum et Apostolos, regnum Dei tum verbo tum exemplo evangelizantes, proxime sequuntur. Id autem faciunt sancti sacerdotes, et religiosi, ii præsertim, qui animarum ministerio se dedicant.

In regeneratione, id est, in resurrectione universali, quæ in fine sæculorum, sub ipsum adventum Christi judicis, continget. Illa enim resurrectio, qua corpus hominis, totusque homo, imo totus mundus renovabitur et quasi renascetur,

merito vocatur *regeneratio*. Ideo Christus e mortuis redivivus, vocatur *primogenitus mortuorum* (Apoc. I, 5); et Petrus de mundo futuro scribit : *Novos cœlos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus*. II Pet. III, 13.

Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos. — Sessio Christi judicis et Apostolorum, non tantum metaphorice intelligenda est, quasi ad indicandam potestatem judiciariam diceretur; sed sensu proprio, ut significet Christum vere in judicio sessurum in throno ineffabilis majestatis, et cum eo Apostolos eorumque similes consessuros in thronis aereis et splendidissimis : unumquemque tamen juxta suum meritum et dignitatem.

Super sedes duodecim, id est, super sedes singulas singuli sedebitis, ad judicandas omnes et singulas tribus Israel. — Duodenarius namque numerus, hic ut alibi sæpe in Scriptura, universitatem designat. Peculiari tamen ratione duodenarius numerus hoc loco, et quidem cum emphasi et iterato, exprimitur, -1) quia duodecim erant Apostoli, quos Dominus præsentes alloquebatur; -2) quia hi duodecim figurati erant per duodecim Patriarchas, seu capita antiqui populi Israel; -3) quia duodenario numero principatus Apostolorum in Ecclesia Christi expresse significatur, ut ex dicendis patebit.

Judicantes duodecim tribus Israel : intellige, tribus Israelis tum veteris tum novi : id est, omnes fideles antiqui et novi Testamenti; seu, Synagogam et Ecclesiam, Judæos et Christianos, qui utrique sub uno nomine *Israelis*, sive *populi Dei*, veniunt.

Ita nimirum Ecclesia apostolica cum Synagoga judaica in unum Dei populum, per Christum *qui fecit utraque unum* (Eph. II, 14), coaluit, sicut rami insitivi cum trunco, cui inserti sunt, unam constituunt arborem. Etenim duodecim tribus olim erant populus fidelis et electus, etiam tempore Christi; imo hoc erat regnum Israelis Messiæ promissum : ita ut Gentes, quæ Christo crediderunt, in populum judaicum, puta in duodecim tribus Israel, per totidem veluti ramos, nempe per duodecim Apostolos, quasi insertæ sint. Unde Gentiles ad Israel Dei accedentes, appellandi sunt *Israelitæ*,

id est prævalentes Deo, seu, in certamine quodam divino prævalentes; et *Judæi*, id est, confitentes ac laudantes Deum. — Hinc in duodecim portis cœlestis Jerusalem, quæ regia Israelis civitas est, inscripta sunt nomina duodecim tribuum Israel; et in ejusdem fundamentis duodecim, nomina duodecim Apostolorum Agni. Apoc. XXI, 12, 14.

Omnes ergo Christiani omnium gentium in duodecim tribus Israelis, novo quodam modo, ita divisi et distributi sunt, ut alii censeantur esse de tribu Juda, alii de tribu Levi, alii de tribu Joseph, etc., secundum diversitatem animarum et virtutum. Ad Juda enim pertinent reges et principes; ad Levi, sacerdotes, diaconi, et religiosi quicumque Deo dicati; ad Joseph, virgines; et sic de cæteris tribubus existimandum est. Singulæ suis distinguentur notis ac aureolis propriis : quæ etsi minus clare ostendi possunt in sæculo præsenti; at in futuro suamet luce clarissime apparebunt. — Ad illam mysticam divisionem spectat signatio Apocalypsis, quæ Joanni ostensa est, cum audivit *numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel.* Apoc. VII, 4.

Porro duodecim tribus Israel, id est universi fideles, tantum dicuntur judicandi, non quod infideles in die judicii non sint apparituri, et judicandi atque condemnandi; sed quia eorum qui credere noluerint, causa ita erit aperta, ut examine non indigeat, secundum illud Christi oraculum : *Qui non credit, jam judicatus est* (ipso facto nempe condemnatus), *quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Joan. III, 18.

Judicantes. Triplici modo homines apostolici judicabunt : comparative, interpretative, et formaliter. — *Comparative*, id est eo modo quo boni malos, et ipsi mali judicabunt pejores : ostendendo, alios comparatione sui majore pœna dignos esse; atque ita Ninivitæ et regina Austri dicuntur judicaturi et condemnaturi Judæos (Matth. XII). — *Interpretative*, approbando judicis de bonis ac malis sententiam, eamque ut justam venerando; et ita omnes boni judicabunt, secundum illud : *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt* (I Cor. VI, 2)? — *Formaliter*, id est ut veri arbitri : et hoc judicium solis apostolicis viris proprium est, quo tan-

quam regni cœlestis primores et principes, ut veri judices atque assessores Christi, cum eo in suis thronis consedentes, fere sicut Episcopi cum suo Capite, Romano Pontifice, in Concilio congregati, proprie judicabunt, et eamdem cum Christo sententiam ferent. Et hac quidem suprema sententia probos cœlo, improbos inferno adjudicabunt, arguentes et increpantes eos qui suam doctrinam, vitæque sanctæ exemplum neglexerint; probantes vero laudantesque eos, qui utrumque coluerint, et vita moribusque expresserint.

Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.

Sensus est : 1° Quicumque aliquid e possessionibus ac bonis suis, propter nomen meum reliquerit, vel sacrificaverit : ex. gr. domum, vel fratres, etc., magnum præmium consequetur. — 2° Quicumque hæc omnia simul dimiserit vel expenderit propter me, a fortiori ingentem ac plane divinam retributionem recipiet.

Qui reliquerit domum, etc. Bona enumerata sunt in se honesta ac legitima, quibus homo, salva lege Dei, per se uti potest, et quorum abdicatio tantum *de consilio* proponitur. Non ergo agitur hic de relinquendis rebus prohibitis, quod vi mandatorum, et *de præcepto* requiritur.

Qui reliquerit. Duplici modo potest possessio aliqua relinqui : 1° eam simpliciter abdicando ; ut cum quis propter Christum parentibus valedicit, aut a matrimonio ineundo, vel a comparandis divitiis abstinet; 2° eam in bona opera expendendo : ut cum quis facultates suas in eleemosynas erogat.

Propter nomen meum, seu, ut Marcus habet, *propter me et propter evangelium;* aut ut Lucas : *Propter regnum Dei :* id est, propter meam doctrinam, meum exemplum aut mei amorem; quod fit, cum Christi discipulus sacrificat bona terrena, ut melius servet legem evangelicam, et Christo similior evadat atque charior. — Illud *propter nomen meum* essentiale hic

prorsus est, et velut animam laudatæ abdicationis constituit.

Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit : id est, *multo plura in hoc tempore, et in sæculo venturo vitam æternam*, prout expresse dicit Lucas, XVIII, 30.

Centuplum in hac vita, id est, multo plura, multoque meliora bona, tum ordinis naturalis, tum præsertim ordinis spiritualis.

1° *In ordine naturali* solet Dominus miro modo compensare ea, quæ propter ipsum missa fiunt; quod Marcus (X, 30) significare videtur, dicendo, Christum retributurum esse *centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus.* Et id quidem in Religiosis videre est : ipsi enim sua omnia relinquendo, alia inveniunt, alias domos, fratres, parentes, etc. ; ita ut vere sint, sicut Apostolus, *nihil habentes, et omnia possidentes* (II Cor. VI, 10). — Imo passim, etiam in ordine temporali, verum esse experiuntur omnes animæ generosæ hoc verbum Domini : *Date, et dabitur vobis.* Luc. VI, 38.

Quod autem addit Marcus, *cum persecutionibus* : id est, 1) non obstantibus persecutionibus, quibus homo solet auxilio et amicis destitui, Deus mirabili providentia centuplum suppeditabit. — 2) Sic etiam intelligi potest, quasi persecutiones et tribulationes obeundæ pro Christo, sint pars mercedis ac centupli promissi. Magnum enim donum est pati pro Christo, ut Apostolus testatur Philippensibus : *Quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Phil. I, 29.

2° *In ordine spirituali*, dabitur gratia uberior, augebitur fides, spes, charitas, humilitas, aliaque interna Dei dona, quæ externis comparata, centies et millies pretiosiora sunt.

Et vitam æternam possidebit : id est, vi textus syraici, hæreditate possidebit vitam æternam ; quasi diceret Dominus : Qui hæreditatem temporalem reliquerint, pro ea tanquam hæreditatem accipient vitam æternam. Quæ quidem *vita æterna* præcipua et plena merces erit a Domino promissa, et aliud non est quam *beatitudo cœlestis, in æternum duratura*, qua omnium plenitudinem bonorum in Deo possidebunt ;

non quasi usufructuarii, sed quasi hæredes et domini, hæreditate æterna, quamdiu Deus erit Deus perduratura.

Illic quæcumque pro Deo reliquerint, domum, fratres, sorores, patrem, matrem, nuptias, filios, agros, excellentiore modo invenient.

Quam vitam æternam pro mandatorum observatione paulo ante promisit, hanc iterum Dominus pro observandis consiliis promittit, at peculiari ratione : ita nempe ut certius, plenius, et gloriosius eam consecuturi sint quicumque præceptis addiderint consilia.

—

Explicatio secunda.

Ecce nos reliquimus omnia... Amen dico vobis...

Colloquium istud inter Petrum et Christum, religiosi status naturam et bona manifestat. Religionem enim exhibet ut pactum quoddam Deum inter et hominem, quo, ex una parte, homo spondet Deo obsequium quam possit plenissimum, adeoque sui totius holocaustum ; ex altera vero parte, Deus homini præmia excellentissima pollicetur.

I. Quid facit homo religiosus erga Deum? — Hæc duo : relinquit omnia et sequitur Christum.

1° *Relinquit omnia* quæcumque relinqui possunt, quæque obsequio Dei impedimento esse solent ; idque efficit triplici voto. Nam voto *paupertatis* renuntiat bonis temporalibus quæ possidet, et voluntati ea amplius quærendi ; ita ut, si totus mundus ipsius esset, totum relinqueret, contentus solis necessariis ad vitam transigendam, idque cum dependentia a voluntate prælati. — Voto *castitatis* renuntiat matrimonio, ut angelicam puritatem æmuletur ; quem in finem simul media suscipit : carnis mortificationem, clausuram, et custodiam sensuum. — Voto *obedientiæ* renuntiat propriæ libertati, offerens se ad abnegandam propriam voluntatem atque judicium, ut ejus loco assumat voluntatem et judicium Dei, ac superioris qui, ut Dei vicarius, ipsum gubernat. — Ad quæ præstanda expedit se a patre, matre, fratribus et amicis ; paratusque est ad sanitatem ipsamque

vitam profundendam, ubi lex charitatis et obedientiæ id exigeret.

2° *Sequitur Christum*, eum imitando quam perfectissime. Quare ut hunc Agnum Dei, mitem, humilem, patientem, etc. sequatur quocumque ierit, eum in omni operatione tanquam exemplar assumit, nunquam ab eo oculos avertendo; et cum eo familiariter agit in oratione, nunquam ab ejus consortio se procul separando.

II. Quid facit Deus erga Religiosum? — Reduci omnia possunt ad tria illa, quæ Christus Petro promisit, eoque ordine quo ipse illa posuit.

1° Dabit illi sedere in throno judiciali : qua sessione pro laboribus requies, pro paupertate magnificentia, pro humilitate in conspectu universi mundi exaltatio demonstratur.

2° Dabit illi centuplum in hac vita : -1) in eodem ordine, per specialem providentiam ei necessaria quælibet et convenientia suppeditando; sicut experti sunt Apostoli, cum Christus diceret : *Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt : Nihil* (Luc. XXII, 35). —2) In ordine spirituali, per illustrationem, consolationem, aliasque divitias internas, quibus experietur Dei servus quam suavis sit Spiritus Domini, adeo ut cum Psalmista Domino dicat : *Quia melior est dies una in atriis tuis super millia* in tabernaculis mundi. Ps. LXXXIII.

3° Dabit illi vitam æternam : et quidem hanc promittit una cum speciali providentia, qua religiosum ad eamdem deducat per media adeo efficacia, ut eam multo securius et copiosius consequatur. Quamobrem Doctores statuunt perseverantiam in Religione signum esse et pignus prædestinationis.

Ecce nos reliquimus omnia.

1° Relinquere omnia propter Christum quid est? —1) Est, consilia evangelica sequendo, statum religiosum amplecti, et suimetipsius integram oblationem Deo offerre, prout modo explicatum est. —2) Sensu latiore, omnia propter Christum relinquere dici potest ille, qui in quocumque vitæ statu sit positus, omnia sacrificat quæ a perfecta suorum officiorum impletione ipsum impediunt; et in omnibus suam seponit

voluntatis inclinationem, ut Dei voluntatem et beneplacitum sequatur.

2° Sunt qui propter Christum nihil relinquunt : illi nempe qui omnia retinent, vel ad se attrahunt, ut suis cupiditatibus, amorique proprio serviant; nihilque facere volunt ex iis, quæ Christus ab ipsis postulat. — Sunt qui relinquunt partem : illi nempe qui voluntatem Domini faciunt in officiis quæ sibi sunt gratiora; in iis vero quibus sensus aut genium repugnat, seipsos vincere nolunt. — Sunt demum qui relinquunt simpliciter omnia, omnino et non ex parte : animæ nempe generosæ, qui in omnibus voluntatem Dei quærunt, eamque suam faciunt, et ea officia suscipiunt promptius a quibus sensus magis abhorret. Hi soli divinæ liberalitatis plenitudinem accipere merentur.

Et secuti sumus te.

1° Sequi Christum, est -1) vivere secundum doctrinam et exempla Christi, Sapientiæ incarnatæ; ambulare in via quam ipse ostendit et percurrit, eumque ut humanæ perfectionis exemplar imitari. —2) Sequi Christum, est ei tanquam Duci ac Regi adhærere, cum ipso laborare, certare, pati, mori, resurgere, et cœlum conscendere. — 3) Sequi Christum, est sequi ipsum Deum, et amplecti omne bonum, omne id quod verum, quod jucundum ac desiderabile concipi possit. Hoc autem ut quis efficiat, debet omnia relinquere : relinquendo omnia inveniet omnia. Ratio est, quod Christus sit essentialiter Rex ac Dominus suorum : quicumque vult ipsum habere magistrum, debet acceptare ut regem, ipsi nempe relinquendo et subjiciendo omnia : tunc poterit beato ejus imperio frui eumque ut Regem sequi. Quare dicitur : *Reliquimus omnia et secuti sumus te*. Et, Luc. IX, 16 : *Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*.

2° Omnes ad sequendum Christum invitantur; sed non omnes invitationi obediunt. Nam alii sequuntur potius mundum et diabolum; alii Dominum sequuntur usque ad fractionem panis; alii etiam in via crucis et quidem usque ad Calvarium, secundum verbum ejus : *Si quis vult post me*

venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Matth. XVI, 24.

Quid ergo erit nobis?

1° Ille solus cum fiducia ita loqui potest, qui sicut Petrus omnia pro Christo reliquit, seque omnino et non ex parte Domino devovit; et ille solus jucundissimum Domini responsum feret.

2° Illi qui minus generose agunt, dicere quoque possunt : *Quid erit nobis?* Sed Dominus non potest ipsis plenitudinem gratiæ et gloriæ dare, quia ipsimet non dederunt Domino nisi partem cordis, partem animæ suæ.

Et mali quoque dicant : *Ecce nos reliquimus omnia*, nempe omnia Christi documenta et exempla, omnia bona superna; *et secuti sumus* passiones nostras, mundum et diabolum; — sed pergant, et serio interrogent : *Quid erit nobis?...*

Sedebitis et vos judicantes.

1° Merito hoc gloriæ et potestatis culmen viris apostolicis ac religiosis tribuitur, quatuor ob causas : -1) quia æquum est, ut qui mundo superiores vixerunt, de mundo judicent; -2) ut qui in mundo quasi aquilæ, aspectu cœlestium bonorum et despectu terrestrium, cæteros transcenderunt, cæterorum sint judices et principes; -3) ut qui doctores fuerunt mundi, mundum examinent, an juxta hanc suam disciplinam vixerit; -4) ut qui fatui judicati sunt a mundo, mundum fatuitatis arguant et condemnent.

2° At hæc contingent tantum *in regeneratione*, id est, in die quo rerum vices mutabuntur, et infima fient summa, atque in rebus omnibus per peccatum turbatis, veritas et ordo restaurabitur. Interim Christi sequaces cum Domino suo humiliandi sunt in hac vita.

Omnis qui reliquerit domum, vel fratres... propter nomen meum.

1° Relinquit domum propter nomen Christi, -1) ille qui domum paternam deserit, ut domum religiosam, quæ domus

Dei est, ingrediatur. -2) Ille qui in domo paterna, vel in qualibet alia, invenit scandalum atque animæ periculum, et propterea eam habitare vel frequentare desinit. -3) Ille qui domum aliquam, vel habitationem, in scholam pauperum, aliumve pium usum concedit. 4) Ille quoque domum suam relinquit, qui ex seipso, id est, ex amore proprio, propriis commodis, propriaque voluntate generose egreditur. — Simili fere modo quæ adduntur de fratribus, etc. explicari possunt.

2° Qui non relinquit ea propter nomen Christi, sed sibi servat, ille mercedem a Christo non recipiet. Bona hujusmodi sterilia manebunt, et tanquam semina non seminata pro æternitate nihil referent; qui autem ea converterit in semina iniquitatis, pejoris conditionis erit, et supplicia æterna metet...

3° Qui bona sua non relinquit propter nomen Christi, sed ea male servat aut impendit, ille mox eadem perdet et relinquere debebit invitus, spoliatus scilicet morte, quæ sicut fur adveniet. Omnia tunc relinquet : at sine fructu ac merito... E contra qui ea in manu Domini deponit, eadem postmodum inveniet excellentius : *Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.*

Centuplum accipiet.

Centuplum promissum est, -1) pax bonæ conscientiæ; -2) interna fidei illuminatio, et suavis in Deo fiducia; -3) divina charitas, per quam ipse Christus possidetur, in quo omnia bona, omnesque thesauri sunt absconditi, quique animæ amanti loco patris, fratris, amici, et rerum omnium existit.

IN FESTIS EVANGELISTARUM.

Luc. X, 1-9. Designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus. Et dicebat illis : Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam. Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui ; et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra : sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt : dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis ; et curate infirmos qui in illa sunt, et dicite illis : Appropinquavit in vos regnum Dei.

Matth. X, 5-16. Illos duodecim misit Jesus, præcipiens eis, dicens : In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis : sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel. Euntes autem prædicate, dicentes : Quia appropinquavit regnum cœlorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite : gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris : non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam : dignus enim est operarius cibo suo. In quamcumque autem civitatem aut castellum

Explicatio prima.

I. *Quomodo Dominus septuaginta duos discipulos mittat.*
II. *Quomodo eos monitis instruat.*

Designavit Dominus et alios septuaginta duos.

Tertio prædicationis suæ anno, mense Octobri, cum Judæam evangelizando peragraret Dominus, septuaginta duos discipulos ad prædicandum misit per varia loca Judææ, sicut mense Julio anni superioris duodecim Apostolos miserat per Galilæam. *Designavit*, inquit Evangelista, *et alios :* id est præter duodecim viros, quos, ex discipulis selectos, Apostolos nominavit, alios elegit septuaginta duos, qui Evangelii quoque ministri forent.

---

intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit; et ibi manete donec exeatis. Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes : Pax huic domui. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam : si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos. Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros : exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.

Marc. VI, 7-13. Et vocavit duodecim : et cœpit eos mittere binos, et dabat illis potestatem spirituum immundorum. Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum : non peram, non panem, neque in zona æs; sed calceatos sandaliis, et ne induerentur duabus tunicis. Et dicebat eis : Quocumque introieritis in domum, illic manete donec exeatis inde : et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent; et dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros, et sanabant.

Hi septuaginta duo viri, figurati olim in vetere Testamento, et ipsi vicissim figuram exhibuerunt respectu novi Testamenti. — In vetere Testamento ipsi præsignati sunt septuaginta duobus consiliariis Moysis (Num. XI, 24). Sicut enim Moyses, initio sui principatus, delegit duodecim viros velut principes duodecim tribuum Israel; deinde vero, increscente populo et onere principatus, ex singulis tribubus elegit sex, id est, universim septuaginta duos velut populi senatores : ita et Christus voluit cuique quasi tribui Israel suum Apostolum et sex selectos discipulos dare. — Rursus eumdem virorum numerum præsignarunt septuaginta duæ illæ palmæ, plantatæ juxta duodecim fontes aquarum in Elim, sub quarum umbra castrametati sunt universi filii Israel (Exod. XV, 27).

Vicissim septuaginta duo discipuli, in ministerium evangelicum assumpti, Apostolis tamen inferiores, figurarunt novæ Legis presbyteros : qui vere quidem ministri Christi sunt, vereque sacerdotes; sed secundi ordinis, et Episcopis, Ecclesiæ principibus inferiores. Quare Patres passim docent Episcopos duodecim Apostolorum, presbyteros vero septuaginta duorum discipulorum successores esse.

Ex his aliisque factis facile patet, hos numeros : *septuaginta duo* et *duodecim,* sicut nonnullos alios, a Deo consecratos esse, et propterea *numeros mysticos* merito appellari (1).

Et misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus.

Misit illos prævios ante se, ut in singulis locis prædicando, suum ipsius adventum præpararent. — Sicut enim antea perlustrarat Galilæam, ita volebat Dominus singula Judææ oppida visitare, ut omnibus Judæis tanquam Messias innotesceret. Quod cum per se solum facere non posset, præsertim quia sex tantum menses vitæ ei supererant, nec diu morari in variis *castellis* seu vicis licebat; ideo selectos illos discipulos præmisit, ut infirmos sanando, et Evangelium prædicando, animos ad Messiam suscipiendum præpararent, ab ipso mox subsequente plenam fidem ac remissionem pec-

(1) Cf. supra *Evang. de Communi Apostol.* ad Matth. XIX, 28. pag. 16.

catorum recepturos. — Duodecim interim Apostolos apud se retinuit, tum ut vitæ suæ essent testes; tum ut turbis confluentibus, Dominum in iis docendis et sanandis adjuvarent; tum ut ab ipso mysteria regni cœlorum et muneris apostolici intimius docerentur.

Misit illos binos. — Cur binos? -1) Ut alter alterum juvaret, confirmaret, consolaretur, et ea ratione mutuæ charitatis legem implendo, Christi bonum odorem spargerent et corda allicerent. -2) Ut alter alterum haberet perpetuum vitæ testem æque ac tutorem. -3) Ut ejusdem veritatis quam prædicarent, duo essent testes, sicque majorem auctoritatem et fidem prædicationi suæ conciliarent. -4) Ut nos, eorum posteri, exemplum hoc sequeremur, studentes hujusmodi ministeria bene consociati obire : *Frater enim qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma* (Prov. XVIII, 19). — *Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli; quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Eccl. IV, 10.

Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam.

Sensus est : Magna multitudo populi est ad recipiendum Evangelium parata, et matura, ut velut messis colligatur in horreum Ecclesiæ; sed Evangelii præcones pauci sunt. Rogate ergo Deum et Ecclesiæ Dominum, Christum, ut operarios evangelicos ad tantum opus mittat. — Quo præambulo discipulorum animos ad missionem cum gaudio acceptandam disponit.

Messem vocat populos paratos ad recipiendam fidem in Christo : quæ præparatio, ceu messis spiritualis, a prophetis olim seminata et exculta, nunc ad maturitatem devenit.

Operarii, inquit, *pauci :* quia hactenus solus Joannes Baptista et Christus in docendo populo laboraverant, dum Scribæ otiosi suis lucris et disputationibus vacarent.

Rogate dominum messis : quo nomine Christus se ipsum tacite designat. Ipse enim Ecclesiæ Dominus est, non tantum qua Deus, sicut Pater et Spiritus Sanctus; sed proprio quo-

dam modo, qua Homo : sic enim Gentes, suo sanguine redemptas, ut propriam possessionem acquisivit. Quare ipsius est Apostolos mittere, qui eas in regnum seu Ecclesiam, cum labore et sudore congregent.

Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

Quod tanquam donum Dei petendum dixit, ipsis statim largitur, munus evangelicum. *Ite*, inquit, *ecce ego*, dominus messis, *mitto vos* tanquam operarios in messem meam. At vestræ missionis conditiones intelligite.

Ego mitto vos *sicut agnos inter lupos* : id est, ut quasi agni inermes, innocentes, mansueti, homines lupinos, violentos, pravos et vobis contrarios mutetis in agnos, et adducatis ad meum ovile. Quod quidem prodigium absque humanis mediis, vestra agnina virtute, gratia mea mirabiliter cooperante efficietis — Nec timeatis : Ecce *ego*, divinus pastor, vos tanquam agnos meos mitto, et tanquam agnos teneros omni sollicitudine custodiam.

Quibus verbis Dominus discipulis insinuat, -1) sibi agnorum virtutes imitandas esse ; -2) multa fore patienda ; -3) opus sibi demandatum difficillimum esse, imo humanis viribus impossibile ; -4) non defuturam specialem ac mirabilem Dei assistentiam.

Quæ quidem expressius significantur apud Lucam, his verbis : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.* Quæ verba sic explanat Chrysostomus : « Ovium inquit mansuetu-
« dinem ostendite, quamvis ad lupos ituri ; nec simpliciter
« ad lupos, sed etiam in medio luporum : (neque vero ovium
« tantum mansuetudinem habere jubet, sed etiam columbæ
« simplicitatem :) sic enim virtutem meam maxime osten-
« dam, cum ab ovibus lupi superabuntur : et quamvis illæ
« sint in medio luporum, et innumeris morsibus lacerentur,
« non modo non comsumptæ fuerint, verum etiam illos in
« sui naturam transmutaverint. » *Homil. 34 in Matth.*

Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta...

Qua ratione sicut agni inermes et simplices ituri sint, jam explicat, quasi diceret : Nolite portare crumenam pecuniæ, neque sacculum viatorium ad ferendum panem et escas; neque calceis totum pedem tegentibus utimini : sed adhibete sandalia, seu soleas, quæ plantam pedis duntaxat muniunt ne in saxa impingat.

Illud *neque calceamenta*, significare etiam potest calceamenta duplicata, sive duo calceorum paria. Sic etiam antea duodecim Apostolis dixerat, ne *duas tunicas* ferrent, nempe mutatorias. — Tunc quoque addidit, ne *virgam* assumerent, qua scilicet ad defendendum se uterentur; sed tantum baculum, ut eo inniterentur, si quis eorum, debilitatis causa, illo subsidio indigeret (1).

Neminem per viam salutaveritis : hyperbolica locutio, significans curandum eis esse, ne quacumque re occurrente, a munere suo averti vel impediri se sinerent. Salutatio hic intelligenda est privata, et Orientalium ritu prolixa; non vero illa communis, qua homines obvii sibi invicem brevi verbo salutem dicunt. Nequaquam enim Dominus honestas decentesque salutationes prohibuit, qui discipulos in hospitiis ita humanos et placidos esse voluit, ut primo statim ingressu hospites suos salutarent, illisque pacem a Deo apprecarentur.

Nota. 1° Præcepta hæc, quæ antea jam Apostolis fuerant data, proprie et quoad litteram, temporaria fuere, et ad eorum tunc per Galilæam atque Judæam missionem spectantia : ut opum contemptu et vita illa angelica ac cœlesti, hominibus persuaderent se veri Messiæ, cœlestis Regis, esse præcones. — 2°. Eadem tamen præcepta perpetua fuerunt quoad eorum substantiam et scopum, qui erat ostendere animum ab avaritia alienum, ac præ se ferre magnum contemptum rerum terrenarum et desiderium cœlestium, æque ac fiduciam in Deum Deique providentiam.

(1) Sic solvenda videtur antilogia, quæ circa *virgam* inter Matthæi et Marci textum occurrit. *Cf. textum Evang. supra pag.* 24 *et* 25.

In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui.....

Exposito itinerandi modo, docet Dominus quomodo gerere se debeant, ubi in prædicandi locum advenerint : adire nempe debent domos, dicentes : *Pax huic domui.* Salutatio hæc est vetus Hebræorum, qua *pacem*, id est, quæcumque pacifica et prospera, hero et domesticis discipuli apprecarentur. Hebræi quidem temporalia intelligebant; sed Christus spiritualia, scilicet gratiam, salutem, gloriam et felicitatem æternam apprecandam intendit.

Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra : id est, quicumque ibi dignus fuerit pace vestra, dignus Evangelio, et ad fidem aptus ac dispositus, gratiam fidei, in qua pax et bona omnia continentur, recipiet. — *Filius* alicujus rei hebraismus est : nam Hebræi, ut significent quempiam habere relationem intimam cum aliqua re, vel eadem re esse tanquam qualitate præditum, vel ea esse dignum, hunc vocare solent talis rei *filium :* sic, exempli gratia, dicunt *filium superbiæ, filium iniquitatis, filium mortis, filium regni;* sic Jeremias vocat sagittas *filias pharetræ*, Isaias appellat Tyrum *filiam maris.* — Quæ quidem locutio etiam apud nos subinde usurpatur, ut cum v. g. dicimus, verum Christianum esse filium humilitatis, filium obedientiæ, filium charitatis (un enfant d'humilité, d'obéissance, etc.).

Sin autem, ad vos revertetur : id est, si oblata gratia ab homine indisposito fuerit repulsa, ipsi quidem inutilis evadet, sed alteri proderit, et velut sagittam ad pharetram revertetur, ut ad alium mitti possit. — Etiam et hoc sensu dicitur pax ad discipulos reversura, quod verbum eorum, licet ab hospite repulsum, ipsismet non sit absque fructu ac merito futurum.

In eadem autem domo manete...

Hæc ad hospitium pertinent. In quamcumque civitatem aut castellum intraverint, inquirere debent *quis in ea dignus sit :* id est, num quispiam ibi habitet bonæ famæ ac probatæ vitæ homo, hospitalis, quique congruum ipsis hospitium præbeat. Cujus in domum postquam fuerint excepti, in eadem manere

debent, quamdiu in civitate illa morabuntur; et cavere *ne transeant de domo in domum*, quod levitatis, inconstantiæ, imprudentiæ, etc., speciem præ se ferret. — Nisi ergo diuturnitate hospitem gravent, apud eumdem maneant, ejusque interim mensa fruantur : *Edentes et bibentes quæ apud illos sunt.*

Dignus est enim operarius mercede sua : mercedem intellige, non pretii et æquivalentem; sed alimenti et sustentationis. Sensus autem duplex est : -1) æquum est, ut evangelicus operarius ab auditoribus, pro quibus laborat, sustentetur. -2) Idem evangelicus operarius, pro Deo laborans, dignus est cui Deus per auditores de victu provideat. — Hinc patet, posse evangelicos viros ex Evangelio vivere; atque auditores jure naturali et divino ad eos alendos obligari.

Et in quamcumque civitatem intraveritis et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis; et curate infirmos qui in illa sunt, et dicite illis : Appropinquavit in vos regnum Dei.

Postquam exposuit quæ pertinent ad hospitium, docet eos quomodo se gerere debeant respectu singularum quas adibunt civitatum. Etenim ibi recipientur, vel non recipientur : in posteriore casu, nihil acceptare possunt; imo jubentur, antequam discedant, in conspectu incolarum excutere pulverem, quæ ex eorum terra suis pedibus adhæreret : idque in signum comminationis et horroris, quasi dicerent, se nihil velle commune habere cum iis qui Dei gratiam contemnunt et vindictam provocant. Quare Dominus addit : *Dico vobis, quia Sodomis in die illa* (judicii) *remissius erit quam illi civitati.*

Quod si fuerint ab incolis recepti, oblata hospitalitate amice fruentur, et apud eos manebunt, ut eis ministerii sui beneficia reddant, curando infirmos et prædicando. — *Curate infirmos*, hoc signo missionem vestram comprobantes; *et dicite illis : Appropinquavit in vos regnum Dei :* scilicet, exspectatus Messias, qui est Jesus Nazarenus, venit, regnum Dei inchoaturus; ad quod ingrediendum vos per pœnitentiam præparate.

Explicatio secunda.

Designavit Dominus et alios septuaginta duos.

En vocatio ad ministerium animarum. — 1° Hæc vocatio divina est, ab ipso Domino procedens, qui omnia, quæcumque præsertim ad suam Ecclesiam pertinent, mira providentia disponit ac ordinat, in numero, et pondere, et mensura. Quam providentiam et nos imitari debemus.

2° Hæc vocatio gratia est, et principium multarum gratiarum : nam eo ipso quod hominem vocat Dominus ad munus sanctissimum, ei gratias promittit, ad illud digne obeundum necessarias.

Et misit illos...

Ita eos mittit, eo modo, iisque monitis, ut virtutes, quibus viros apostolicos pollere oportet, nobis luculenter ostendat. Sunt autem hæ virtutes præcipue sequentes : charitas et unio fraterna, spiritus laboris, spiritus orationis, mansuetudo et patientia, prudentia et simplicitas, spiritus paupertatis, fiducia in Deo, modestia et affabilitas, zelus animarum.

1° Charitas et unio fraterna. — Idcirco mittuntur bini : nam, ut Gregorius ait, *minus quam inter duos charitas haberi non potest... quatenus hoc nobis tacite innuat, quia qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet.*

2° Spiritus laboris.— Ideo eos *operarios* nominat, ostenditque messem amplissimam a paucis colligendam, qui propterea strenue laborare debebunt : *Messis multa, operarii autem pauci.*

3° Spiritus orationis. — *Rogare* enim debent Dominum messis, et cum ipso tanquam fideles ac prudentes operarii assidue agere : non tantum ut adjutores sibi mittat, sed etiam ut suppleat ac provideat quæcumque ad operis successum, in se et in aliis desiderentur.

4° Mansuetudo et patientia. — Esse enim debent *sicut agni*, et quidem sicut agni inter lupos versantes : id est, omnibus contradictionibus obnoxii, quibus mansuetudine ac patientia invicta, imo beneficentia respondere debent, secundum illud Pauli : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* (Rom. XII, 21.) — Mansuetudo hujusmodi nequaquam sanctæ ac intrepidæ firmitati obstat, qua rebelles animos terrere debent, excutiendo pulverem e pedibus suis.

5° Prudentia et simplicitas. — *Estote*, inquit, *prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ :* id est estote simplices quoad finem, prudentes quoad media et modum tendendi ad finem. -1) Simplices enim sicut columbæ viri evangelici erunt, si puros habeant intentionis oculos, sponsæ illius instar, cui dicitur : *Oculi tui columbarum* (Cant. I, 15) ; quos nempe oculos in Dei gloriam et animarum fructum constanter defixos teneant, et ab amoris proprii ac terrenarum rerum intuitu avertant : *Averte oculos meos ne videant vanitatem* (Ps. CXVIII).

-2) Prudentes vero sicut serpentes erunt-*a*) si munus suum ita exsequantur, ut licet in corpore a lupis vulnerentur, nullum tamen in anima detrimentum accipiant : sicut serpens, etiamsi corpus vulneri exponat, caput abscondit et contegit ; et ne decipiatur *obturat aures suas ne exaudiat vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter* (Ps. LVII). -*b*) Si tempus exspectet, locum et opportunitatem quærat ad prædicandum, et ad doctrinam suam persuadendam, sicut etiam serpens, ut Evam deciperet, observavit. Par est enim tantam circumspectionem et prudentiam nos in bonum adhibere, quantam serpentes, qui sunt dæmones pravique homines, adhibent in malum.

6° Spiritus paupertatis. — Ut enim Evangelii ministri sint ab omni pecuniæ cupiditate, atque ab omni avaritiæ suspicione alieni, primis prædicatoribus Dominus ne sacculum quidem habere permittit, nec duas tunicas, nec calceamenta duo, nec quidquam præter stricta necessaria.

7° Fiducia in Deo. — Ideo sine viatico mittuntur, ideo sine humanis præsidiis inter pericula ponuntur, ideo ad rem naturaliter impossibilem deputantur, nempe ad lupos conver-

tendum in agnos : ut sciant se divina virtute indigere, eamque assidue exspectent a suo Pastore ac Domino, dicente : *Ecce* EGO *mitto vos;* et : *Dignus est operarius mercede sua.*

8° Affabilitas et modestia. — Ideo humanissime suos hospites jubentur salutare, pacemque eis apprecari dicentes : *Pax huic domui.* Ex altera autem parte, victu simplicissimo ipsis oblato contenti esse debent, et in eodem hospitio sine levitatis signo manere, a colloquiis et circumcursationibus abstinere, neque ulla verba nisi pacifica et ad ædificationem facientia proferre.

9° Zelus animarum.—Ideo tanquam scopus et unicum operis eorum objectum proponitur, ut eorum apud quos recepti fuerint, animas lucrifaciant, et regno Dei præparent ac inserant, curando infirmos et dicendo : *Appropinquavit in vos regnum Dei.*

Misit illos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus.

Divinæ providentiæ œconomia est, ut viæ Domini per præcursores præparentur. Præcursores ad animas sunt prædicatores Ecclesiæ, quos ipse Dominus subsequitur : -1) quando ad animam docilem ac pœnitentem cum sua gratia intrat; -2) quando in hora mortis eam ad judicium vocat.

Messis quidem multa, operarii autem pauci.

1° Messis quænam est?—R. -1) Messis animarum, quæ salvandæ sunt; -2) messis bonorum operum et meritorum, quæ colligi possunt. -3) Messis quoque indicat laborem, a viris apostolicis perficiendum. Nemo ergo otio se dedat quasi labor non esset : affirmat enim Dominus *messem esse multam*, adeoque copiam laboris.

2° Operarii cur pauci?—R. -1) Quia multi juvenes ad statum clericalem vocati, non sequuntur vocationem, aut ea indignos se efficiunt. -2) Quia ex iis etiam qui vocationem sequuntur, multi otiosi sunt, pauci strenui et ferventes. Audiamus S. Gregorium in hunc locum : « Ad messem multam, inquit, ope-

« rarii pauci sunt, quod sine gravi mœrore loqui non possu-
« mus : quia etsi sunt qui bona audiant, desunt tamen qui
« dicant. Ecce mundus sacerdotibus plenus est, sed tamen
« in messe Dei rarus valde invenitur operator : quia officium
« quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non im-
« plemus. Sed pensate, fratres charissimi, pensate quod dici-
« tur : Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in mes-
« sem suam. Vos pro nobis petite, ut digna vobis operari
« valeamus ; ne ab exhortatione lingua torpeat ; ne, postquam
« prædicationis locum suscepimus, apud justum judicem no-
« stra nos taciturnitas addicat. » Homil. 17 in Evang.

3° Quid de messe matura fiet, si operariorum defectu non colligatur? — Misere peribit ; aut colligetur manu aliena, nempe diaboli, qui nequaquam otiosus dormit ; et sic collecta comburetur igne gehennæ...

Rogate dominum messis ut mittat operarios in messem suam.

1° En suavissima Dei providentia, et orationis necessitas ac efficacia. — Vult enim Dominus ut omnia oratione petantur, utque ipsa Ecclesiæ prosperitas, ejusque ministrorum numerus et fervor ab oratione dependeat.

2° Mittit operarios Dominus, sive -1) novos suscitando ; — sive -2) eos qui jam sacro ministerio adscripti sunt, fervore inflammando.

3° Rogare autem Dominum messis duplici sensu quis potest : vel pro se, ut Isaias, dicens : *Ecce ego, mitte me* (Isai. VI, 8), meque robore ac zelo inflamma ; — vel pro aliis, ut hierarchicus ordo numero et merito augeatur.

Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

Agni ad lupos missi, perpetuoque inter lupos versantes, en status et conditio militantis Ecclesiæ. — Hic quæri potest, quis Ecclesiæ ministros mittat? Quo eosdem, et qua ratione mittat?

1° Mittens est ipse Christus, Dominus omnipotens, idemque Pastor bonus, qui suos agnos inter lupos non deseret :

dummodo ipsi agni permaneant, nec in lupos convertantur, seu luporum instar agere velint. *Quamdiu oves fuerimus*, inquit Chrysostomus, *vincimus : etiam si mille circumstent lupi, superamus, et victores sumus. Quod si lupi fuerimus, vincimur : tunc enim a nobis pastoris auxilium recedit, qui non lupos sed oves pascit* (Homil. 34 in Matth.).

2° Mittuntur autem ad convertendos lupos, idque vi patientiæ, mansuetudinis, etc. ; non ergo ad quiescendum vel gaudendum.

3° Quomodo mittuntur? — Omni humano subsidio destituti, solaque protectione ac virtute Dei muniti : ut vere tanquam instrumenta Dei, divinum opus operentur, nec sibimetipsis, sed soli Deo successum tribuant. *Ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* I Cor. I, 29.

Dignus est operarius mercede sua.

Quænam merces promittitur? — Quis ea dignus est? — Quis ea indignus efficitur?

1° Promissa merces est, -1) victus, vestitus, et temporalis sustentatio, non tantum quoad personas, sed etiam quoad opera suscipienda, templa ædificanda, scholas erigendas, etc. Ad hæc omnia quæ necessaria sunt, non tamen quæ superflua, Dominus ministris suis suppeditaturum se promittit, dummodo in ipso confidant. -2) Victus ac sustentatio interna, gratiarum, quæ non tantum sufficienter, sed abundanter dabitur. 3) Æterna gloria : *Merces vestra copiosa est in cœlis.*

2° Dignus illa mercede est *operarius*, qui scilicet vere talis dici potest, qui operatur ac laborat pro Domino suo, strenue, generose, simpliciter ; non quærens quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, Domini sui. Hujusmodi operarii magna operantur, *quasi nihil habentes et omnia possidentes.* II Cor. VI, 10.

3° Indignus vero mercede ac sustentatione, tum corporali tum spirituali Domini sui est ille minister, qui -1) vel otiatur et voluptatibus vacat ; vel -2) sibimet non Domino laborat ; vel -3) Domino infidelis, ejusque negotio nocivus existit. *Si quis non vult operari, nec manducet.* II Thess. III, 10.

Neminem per viam salutaveris.

En promptitudo, simplicitas ac diligentia, in munere suo a Christi ministro adhibenda. -1) In his quæ Domini sui sunt oportet eum esse omnino et simpliciter; ita ut neque recreationibus superfluis, neque colloquiis, nec visitationibus, aut rebus aliis, ad rem non facientibus, et a scopo suo alienis, distineatur. -2) Motivis autem urgetur plurimis : non tantum Christi monito et exemplo, sed et ministerii sui successu atque salute animarum, quæ inde pendent.

Pax huic domui.

1° En primum Domini, ejusque ministrorum verbum : verbum pacis, salutis et veræ felicitatis. Omnia ergo in Evangelii ministro pacem hanc et charitatis suavitatem spirare debent : ut homines bono Christi odore alliciantur.

2° In quamcumque domum vel animam intrat Christus, pacis verbum pronuntiat, pacemque veram, non turbationem effundit : est enim *Deus pacis*. Pacem porro tribuit toti domui, omnibus facultatibus animæ, ac sensibus corporis...

3° Ut autem pax requiescat super domus incolam, oportet ut hic sit *filius pacis,* id est, pacis amans, pacique cor et animam aperiens.

Curate infirmos qui in illa sunt.

1° En effectus Evangelii et Ecclesiæ : statim ac Christi ministris ingressus datur et actio libera permittitur, omnis infirmitas et miseria curatur, tum corporalis, tum præsertim spiritualis....

2° *Infirmos curate :* en proprium opus Ecclesiæ, ut sicut Christus *pertranseat benefaciendo et sanando omnes oppressos.* — Infirmi, miseri, et quidem omnes, quantumvis desperati videantur, hominum apostolicorum curæ commendati sunt : *Infirmos curate.*

Et dicite : Appropinquavit in vos regnum Dei.

1° Sicut curare infirmos summa est actionis, ita regnum Dei proponere est summa prædicationis evangelicæ. Id autem

duo complectitur : -1) ut Christus Rex, ejusque regnum, tum gratiæ in hoc mundo, tum gloriæ in futuro, plana expositione doceatur ; -2) ut ejusdem introitus, per pœnitentiæ januam apertus, et cum divina gratia facilis esse monstretur.

2° Propinquum est regnum Dei : -1) quia ad intrandum in illud, non longe excurrere, sed tantum *velle* debemus. -2) Quia in nobismetipsis est, dummodo sinamus Deum in anima nostra solum regnare ; quem in sensum accommodari potest illud : *Regnum Dei intra vos est* (Luc. XVII, 21). —3) Quia instat, moxque aderit adventus Christi regis in gloria ac majestate, qua veniet, tum in hora mortis cujusque, tum in novissimo die.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

—

Evangelium primum.

Luc. XIV, 26-33. Dixit Jesus turbis : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis, volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum; ne, posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes : Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare? Aut quis rex, iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin, adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Matth. X, 37, 38. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus; et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus.

Marc. VIII, 34. Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis : Si quis vult me sequi, deneget semetipsum ; et tollat crucem suam et sequatur me.

Explicatio prima.

I. *Necessitas abnegationis evangelicæ.*
II. *Hujus necessitatis explicatio.*

In illo tempore, dixit Jesus turbis...

Anno tertio prædicationis suæ, mense Decembri, cum Jerosolymam contenderet Dominus ad festum Encæniorum, die quodam sabbati in domum principis Pharisæorum ad prandium invitatus intraverat; unde egressus, cum iter pergeret, *ibant*, inquit Lucas, *turbæ multæ cum eo; et conversus dixit ad illos :*

Si quis venit ad me, et non odit patrem suum... adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus

Sensus est : Quicumque venit ad me, ut discipulus meus fiat, meamque doctrinam sequatur : sciat, nisi huic doctrinæ meæ postponat patrem suum, et alia quævis sibi charissima, imo ipsam vitam suam, se discipulum meum esse non posse.

Qui non odit. — *Odisse* hic nequaquam significat odio inimicitiæ persequi ; — sed potius, *minus amare;* quasi Dominus diceret : Qui non *minus amat* illa omnia, quam me aut meam doctrinam... — Sic etiam dicitur (Rom. IX, 13) : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, id est, minus dilexi. — Odium hujusmodi nihil est aliud quam evangelica abnegatio, aut *renuntiatio integra*, ut infra appellatur : *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet...*

Porro illud *odisse*, seu postponere omnia, *renuntiare* omnibus propter Christum, dupliciter potest intelligi : 1) *affective*, quasi diceret Dominus : Qui animo paratus non est omnia relinquere et sacrificare, quatenus obstacula sint saluti, aut quatenus id opus fuerit, v. g. tempore persecutio-

nis; ille non potest vere meus esse discipulus. Quo sensu evangelica renuntiatio *de præcepto* est. -2) *Effective* seu realiter, quasi diceret : Quicumque non omnia actu relinquit, prout Religiosi faciunt, non potest meus esse discipulus : puta discipulus *perfectus et apostolicus*. Quo sensu *de consilio* est.

Odisse animam suam, quid est? —1) *Anima* significat vitam corporalem hominis, et ea omnia quæ ad ejusdem vitæ corporalis sustentationem atque ornatum pertinent : ut sunt divitiæ, valetudo, etc. — Hanc vitam Christi discipulus sacrificare debet, ubi lex divina id requirit : quod *de præcepto* est, et patiendo persecutiones ac martyrium impletur.

-2) *Anima* significat etiam animæ vires liberas : proprium judicium, propriam voluntatem, cordis concupiscentiam seu passiones pravas. — Hæc vita abdicari, seu mortificari potest, vel *partim :* nimirum quatenus id lex divina fidei, obedientiæ, etc., postulat, quod *de præcepto* est; — vel *omnimodis :* nimirum per tria vota religionis, quod tantum est *de consilio*.

Et qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus.

Sensus est : Qui paratus non est, propter me et juxta exemplum meum, mortem turpissimam, nempe crucis, cum gratia mea oppetere, non potest vere meus esse discipulus.

Bajulare crucem dicitur ad designandum crucis supplicium; quia rei ad crucem damnati, Romanorum ritu ipsimet instrumentum mortis ad locum supplicii portare debebant.

Quod dicit, *et venit post me*, indirecta prophetia est futuræ passionis ejus.

Quis enim ex vobis, volens turrim ædificare... aut quis rex, iturus committere bellum...

Quantopere hæc sui abnegatio et integra renuntiatio (sive affectiva, — sive realis), sit necessaria, duplici exemplo declaratur : turris nempe ædificandæ, et belli gerendi. Nam sicut turrim nemo absque sufficienti pecunia construere et

perficere potest, aut bellum gerere, absque exercitu sufficienti ; ita nemo absque sui abnegatione, Christi discipulus (sive verus, — sive perfectus) existere potest.

Turris hic ædificium designat magnum, firmum et altum, quod tanquam munimentum construi, et castellum appellari solet. — Quod dicit, *volens turrim ædificare*, innuit, eum qui discipulum se reddit Jesu, profitetur ædificationem turris cujusdam spiritalis, cujus culmen ad conspectum usque Dei pertingat. — *Sedens computat*, id est, per otium, apud se, considerat : ut diligentem significet atque exactam supputationem.

Rex, inquit, bellum commissurus, *cogitat*, id est, consultat, adhibitis etiam aliis in consilium, utrum cum minoribus copiis hosti resistere possit: *alioquin*, id est, si illud fieri non posse videat, legatos mittit, cum adversarius adhuc longe abest : *illo longe agente :* priusquam scilicet ille paucitatem copiarum suarum cognoscat, ut eo humaniores conditiones obtinere possit.

Substantia parabolarum ad hæc reducitur : Nemo ædificare potest turrim absque sufficienti pecunia; nec bellum gerere absque sufficientibus viribus. — Reliqua, quæ adduntur de irridentibus infectam fabricam, de numero militum, de legatione missa, emblemata sunt, quæ ad significationem litteralem parabolæ non pertinent.

Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

En parabolæ applicatio: Similiter, quicumque verus discipulus meus esse vult, paratus esse debet ad omnia propter meam doctrinam sacrificanda. Imo realiter omnia relinquere debet, si sequi me velit in via evangelicæ *perfectionis*, quam ego profiteor.

Non igitur id significare intendit Dominus, unicuique liberum relinqui, ut fiat vel non fiat ipsius discipulus : cum ad hoc omnes obligentur ; — sed docet quid ad hoc requiratur : quandoquidem res illa est gravissima, quam unusquisque magna cum consideratione, et voluntate ad omne sacrificium determinata, capessere debeat.

Explicatio secunda.

Si quis venit ad me, et non odit... et non bajulat crucem suam... non potest meus esse discipulus.

Totum hoc Evangelium est de abnegatione et mortificatione christiana, ad quam duo a Domino requiruntur : sanctum quoddam odium, et crucis amplexus.

1° *Qui non odit patrem...* En odium consanguineorum. Quomodo parentes et consanguineos ex mente Domini odisse debemus? -1) Nequaquam odio inimicitiæ eos prosequendo, quod esset grave peccatum, quarto præcepto contrarium. -2) Sed, non plus eos diligendo quam Deum, Deique legem, et ab eis recedendo quatenus obstaculum christianæ legis servandæ evaderent.

-3) Nullo affectu inordinato eis adhærendo, atque ab eis recedendo, quatenus filiis suis a Deo vocatis, obstaculum perfectionis evangelicæ sequendæ, vel ministerii apostolici implendi existerent. Quod Christi consilium S. Ignatius alumnis suis hoc modo servandum præscribit, ut unusquisque non tantum paternam domum relinquat, sed etiam « omnem « carnis affectum erga sanguine junctos exuat, ac illum in « spiritualem convertat, eosque diligat eo solum amore « quem ordinata charitas exigit; ut qui mundo ac proprio « amori mortuus, Christo Domino nostro soli vivit, eumque « loco parentum, fratrum et rerum omnium habet. »

2° *Adhuc autem et animam suam...* Quid est illud odium animæ suæ, a Domino requisitum?—1) Est contemptus mortis qualem in Martyribus videmus : contemptus scilicet mortis propter legem Domini, propter officium sui status graviter obligans, etc. -2) Contemptus mortis propter officium charitatis, non plane obligatorium : ut cum quis, tempore luis ægrotis ministrando, mortem oppetit. -3) Mortificatio perfecta veteris hominis, totiusque vitæ carnalis, quæ in sensualitate, superbia, propria voluntate ac judicio proprio consistit.

Hæc mortificatio præsertim per tria vota Religionis efficitur; ejusque fructus est nova vita, nempe vita Christi (puta abundantior illa vita, quæ *vita interior* antonomastice dici solet), homini subintrans: *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris... in carne nostra mortali.* II Cor. I V, 10, 11.

Qui non bajulat crucem suam...

Quid est crucis bajulatio? Quomodo, et quare peragenda?

1° Crucis bajulatio quid est? seu quænam crux illa quæ bajulanda proponitur? — R. -1) Crux portanda est lex Domini adimplenda, quæ etiam jugum Domini vocatur : *Tollite jugum meum super vos* (Matth. XI, 29).—2) Crux est complexus officiorum cujusque status, et labor, cum illis officiis implendis conjunctus... -3) Crux est patientia, omnisque adversitas ac tribulatio pro Christo toleranda... -4) Crux est etiam amor omnis contemptus, doloris, amaritudinis, etc., secundum exemplum Christi, qui primus ista omnia amavit et amplexus est...

2° Quomodo crux bajulanda est? — R. Secundum exemplum Christi : nimirum, -1) acceptanda est de manu Dei; -2) portanda ex animo, velut duobus brachiis; -3) portanda perseveranter...

3° Quare, seu ob quæ motiva crux est portanda? — R. -1) Quia secus *non potest* quis esse Christi discipulus. -2) Quia hoc est jugum Domini suave, et onus ejus leve. -3) Quia sic sequimur Christum, ducentem nos ad montem perfectionis christianæ, — ad mortem et sepulturam veteris hominis, et ad resurrectionem atque ascensionem secundum hominem novum...

Quis enim ex vobis, volens turrim ædificare...

1° Turris evangelica quid est? — R. -1) Est ædificium sanctitatis christianæ, quod in humilitate ac fide fundari, — spe atque oratione erigi, — charitate atque operibus bonis coronari debet...

-2) Est sanctitas sacerdotalis, quæ simul solida et excelsa, atque conspicua esse debet;—quæ tanquam munimentum ac

propugnaculum debet stare fidelibus, — et simul tanquam specula, ex qua vigilantia exerceatur...

-3) Est vita et sanctitas religiosa. Nam hæc *a*) excelsa est : et, sicut turris supereminet cæteris ædificiis, sic Religio cæteris statibus. -*b*) Dignissima est; et, sicut turris est ornamentum urbis, ita Religio est ornamentum Ecclesiæ. -*c*) Tutissima est; et, sicut turris ab incursu hostium, ita Religio tuetur nos a dæmone, carne et mundo, a tentationibus et peccandi occasionibus; fructusque bonorum operum protegit. Similis nimirum est illi turri Davidicæ, *quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium* (Cant. IV, 4) : cujusmodi armatura sunt tria vota, regulæ, exempla fratrum, vigilantia rectorum, oratio frequens, crebra communio, confessio, lectio, etc.—*d*) Est sicut turris cœlo vicina, et prospectui atque contemplationi aptissima. Quare Religiosus, corde in cœlo fixus, quasi ex altissima turri, omnia sub se, tanquam exilia despicit et contemnit...

-4) Turris est symbolum vitæ contemplativæ; sicut bellum, in sequenti parabola, typus est vitæ activæ.

2° Quomodo hæc turris construenda? — R. Cum magna pecuniæ spiritualis summa, quæ *omnimoda abnegatio* est : seu, cum magna copia, -1) humilitatis, -2) mortificationis et patientiæ, -3) diligentiæ ac laboris, -4) perseverantiæ...

3° Quare turris ita construenda? — R. -1) Quia secus opus inchoatum non perficeretur : id est, susceptæ obligationes non implerentur. -2) Opus infectum inutile foret, et labor perditus : id est, qui abnegationi sese non impendit, remque *funditus* non attingit, multum laborabit, parum aut nihil proficiet... -3) Opus infectum deridebitur : id est, qui in animæ sanctificatione deficit, aut eam non perficit usque in finem, confusionem patietur coram hominibus et coram Deo : propterea quod tanta gratiarum copia tam parum effecerit. -4) E contra, maxima commoda et præmia erunt ei, qui opus perfecerit, sicut Christus, dicens : *Pater, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam* (Joan. XVII, 4). — *Consummatum est.* Joan. XIX, 30.

Quis rex, iturus committere bellum...

1° Quis ille rex bellator? — R. -1) Omnis homo christianus, qui hæres est secundum spem regni cœlestis; sed illud armata manu adipisci debet: *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (Matth. XI, 12). — 2) Ipse Christus, Rex verus, qui contra mundi principem ac tyrannum, diabolum, jugiter bellum gerit.... cum copiis specie minimis, re autem, id est, spiritu ac divina virtute validissimis. Quare per crucis abnegationem plenissime triumphavit, ac porro triumphat et triumphabit cum omnibus militibus suis.

2° Quodnam illud bellum est? — R. Illud quod gerere debemus -1) adversus peccatum et vitia, tum nostra, tum aliena; -2) adversus hostes varios ac potentissimos: mundum, carnem, diabolum ejusque tentationes.

3° Quænam copiæ sunt et arma? — R. Oratio, sacramenta, mortificatio, opera pœnitentiæ...

4° Quare vires sufficientes sunt comparandæ? — R. -1) Ne vincamur et pereamus. -2) Ut vincamus et triumphum optimum brevi certamine referamus; sicut Paulus, dicens: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* II Tim. IV, 7.

Sic omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

1° En necessitas abnegationis evangelicæ. — 1) Abnegatio respicit omnes, nemine excepto: *Omnis ex vobis.* -2) Nec datur aliud medium: *Non potest...* — Christus enim essentialiter Rex cum sit, regnare vult in animam nostram, ita ut solus eam totam possideat: vult esse *Rex* aut *nihil.* Nec tantum vult eam possidere *totam*, sed cupit et nititur etiam possidere *totaliter...*

2° Qualem abnegationem, seu renuntiationem requirit Dominus? — R. -1) Omnimodam: ut homo renuntiet *omnibus quæ possidet.* Qua voce *omnibus* intelligendæ sunt facultates omnes temporales, honores, amici, et res reliquæ hujus mundi, quorum inordinatus amor nos a Christo sequendo retardare potest vel impedire. -2) Externam quidem renuntiatio-

nem non ab omnibus postulat, sed tantum a paucis, nempe a Religiosis; internam vero, ab omnibus. Cunctorum enim fidelium est, animo et affectu renuntiare omnibus : id est, sic tenere ea quæ mundi sunt, ut iis non teneantur in mundo; utque terrena res sub animi dominio sit, non animi domina.

3° Quomodo hoc monitum homines sequi solent? — R. Variæ classes distingui possunt eorum qui Christi discipuli esse quidem cupiunt, sed conditionem abnegationis propositam diverso modo accipiunt. -1) Alii enim nullius rei, cui adhærent, sacrificium pro Christo faciunt. -2) Alii quidem quasdam res deponunt, sed eas tantum quæ levis pretii sunt, levisve laboris. -3) Alii generoso animo, omnino et non ex parte, omnibus quæ possident renuntiant, se ipsos universim divinæ voluntati resignando, ex corde cum Saulo dicentes : *Domine, quid me vis facere?* (Act. IX, 7.) Aut cum Davide : *Ego in simplicitate cordis mei obtuli universa* (I Paralip. XIX, 17). — Hi postremi certissime evadunt Christi discipuli, iidemque delectissimi et felicissimi : *relinquunt omnia*, terrena nempe et vilia; *et inveniunt omnia,* cœlestia scilicet et pretiosa, in Christo Jesu.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

Evangelium secundum.

Matth. XVI, 24-27. Dixit Jesus discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis; et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.

Marc. VIII, 34-38. Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis : Si quis vult me sequi, deneget semetipsum; et tollat crucem suam et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me et Evangelium, salvam faciet eam. Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, et detrimentum animæ suæ faciat? Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua? Qui enim me confusus fuerit et verba mea in generatione ista adultera et peccatrice, et Filius hominis confundetur eum, quum venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis.

Luc. IX, 23-26. Dicebat autem ad omnes : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam : nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam. Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat? Nam qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, quum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum angelorum.

Explicatio prima.

I. *Necessitas abnegationis evangelicæ.*
II. *Ejusdem abnegationis motiva.*

Tunc Jesus dixit discipulis suis...

Mense Julio, anno tertio prædicationis suæ, cum Dominus iter faceret in partibus Cæsareæ Philippi, ubi Petrus ejus divinitatem confessus erat, de abnegatione evangelica tanquam omnibus absolute necessaria sermonem habere cœpit. Nam postquam a Petro, reliquisque Apostolis, ut unigenitus Filius Dei et splendor Patris fuerat agnitus, eis instantem sibi passionem et mortis humiliationem anuntiavit, ut sic eos assuefaceret, in sua persona divinum et humanum, gloriosum et humile mirabiliter conjuncta spectare.

Quum autem de Domini sui, Regis gloriæ, passione ac morte audiret Petrus, a re tam incredibili velut abhorrens, dixit : ***Absit a te, Domine; non erit tibi hoc.*** Christus vero in hunc modum ei respondit : *Vade post me, satana, scandalum es mihi : quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ sunt hominum;* id est, recede a me, Petre, quia sic loquendo inimicus mihi es, et tentatoris linguam usurpas. Non enim sequeris sensum Dei, sed sensum humanum et carnalem, qui pravus est, a Deo reprobatus, et necessario abnegandus secundum exemplum passionis et crucis meæ, quæ velut typus imitationis omnibus meis discipulis proponetur.

Quibus dictis advocavit turbas, quasi doctrinam traditurus, quæ non ad Apostolos tantum, sed generatim ad omnes pertineret; congregatisque omnibus, *convocata turba cum discipulis suis, dicebat ad omnes :*

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum,
et tollat crucem suam, et sequatur me.

Sensus est : Quicumque vult discipulus meus esse, necessaria conditio est, ut abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sic me imitetur; — quasi diceret : Passio mea fu-

tura et crux, tanquam exemplar abnegationis est divinitus propositum, quod imitari debent quicumque me tanquam Messiam ac Magistrum agnoscunt.

Si quis vult, id est, quisquis vult, sive princeps sit, sive plebeius : sive juvenis, sive senex. — Si quis *vult :* liberæ cujusque voluntati res proponitur. Cæterum, quamvis in libera hominis voluntate sit positum non sequi Jesum; ei tamen qui salvus vult fieri, necessarium est divinum hunc ducem sequi.

Venire post Christum, id est, Dominum ejusque doctrinam et exempla sequi, ut discipulum decet. Alibi (Luc. XIV, 26; Joan. VI, 44) dicitur *venire ad* Christum, quod significat in Christo credere; quæ fides, si perfecta intelligatur, *venire ad* quoad substantiam non differt a *venire post* Christum. Utrumque enim Christi discipulatum indicat; sed *venire ad* ejusdem initium, *venire post* magis progressum innuit.

Abneget semetipsum : id est, suum judicium, suamque voluntatem deponat, quatenus cum Dei verbo Deique lege non congruit. — Supponitur hic, hominem esse in nobis veluti duplicem : ille qui abnegat, et ille qui abnegatur. Abnegans est *homo superior*, seu homo quatenus liber, et suarum virium dominus existit, qui etiam *spiritus* vocatur.— Abnegandus vero, est *homo inferior*, qui etiam *caro* dicitur, nihilque aliud est quam ipsæ vires seu facultates hominis naturales, quatenus a libertate pendent. Hæ facultates, judicium nempe, voluntas et sensibilitas, quasi hominem constituunt a seipso distinctum, qui *vetus homo*, *carnalis homo*, vel etiam *amor proprius,* appellari solet; quique per peccatum originale depravatus, in vitia propensus, et propterea ab unoquoque *abnegandus* est : aut, ut Apostolus dicit, *exspoliandus*, *exuendus*, ut novus homo Christus (secundum Christi mores compositus) induatur (Coloss. III, 9).

Abnegat ergo semetipsum ille, qui naturalibus propensionibus non obedit, sed potius contradicit, quæ iis contraria sunt amplectendo. Quo spectant hæc Apostoli : *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem : hæc enim sibi invicem adversantur.... Manifesta sunt autem opera*

carnis, quæ sunt : fornicatio, immunditia, inimicitiæ, etc., *qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis*. Gal. V, 16, seqq.

Hinc patet, aliud esse *abnegare se ipsum*, aliud, *renuntiare omnibus quæ quis possidet* (Luc. XIV, 33). At facile patet, duo illa esse ita connexa, ut, si minus speculative, certo practice unum in altero concludatur.

Et tollat crucem suam, et sequatur me. Verba hæc tum sensu proprio, tum figurato sunt consideranda. -1) Sensu proprio significant : Quicumque vult post me venire, *accipiat crucem ut in ea moriatur, exemplo mei qui in cruce moriturus sum*.— Scilicet, dicendo *tollat crucem suam* alludit Dominus ad morem Romanorum, tunc in Judæa vigentem, quo reus crucifigendus crucem suam ad locum supplicii portare debebat. — Addendo : *Et sequatur me*, implicite declarat, mortem suam, quam paulo ante prædixit, fore mortem crucis.

-2) Sensu figurato verba Domini significant, abnegationem sui esse exercendam usque ad extremum limitem, id est, usque ad extinctionem amoris proprii ; adeoque si opus sit, usque ad subeundam mortem corporalem, eamque ignominiosissimam : ita ut bajulatio crucis figurate repræsentet abnegationem perfectam, id est, eam quæ in via tribulationum constanter et perseveranter exerceatur. Quod quidem expressius enuntiatur apud Lucam : *Tollat crucem suam quotidie*.

Possunt tamen hæc duo : *Abneget semetipsum*, et : *Tollat crucem suam*, accipi dupliciter : -1) ita ut unum sit mera explicatio alterius, quasi diceretur : Abneget se tollendo crucem suam ; vel -2) ita ut bajulatio crucis sit complementum abnegationis, in hunc sensum : Primo *abneget se*, desideria carnis non implendo, sed ea semper abnegando ; deinde *tollat crucem*, amplectendo ea quæ istis desideriis omnino contraria sunt, nempe tribulationes, contemptus, etc.

Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam ; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

Motivum proponit requisitæ abnegationis amplectendæ, quod hæc conditio sit, a qua salus animæ pendeat ; quasi

diceret : Abnegando te salvabis animam tuam ; non abnegando te, eam perdes.

Anima (1), id est, spiritus hominis ac principium humanæ vitæ, hic sumitur pro ipsa *vita*, sed duplici ac diverso sensu : nimirum, modo pro *vita temporali*, modo pro *æterna*, velut per æquivocationis lusum ; ita ut sensus Dominicæ sententiæ sit : Qui voluerit servare vitam temporalem, potius quam observare mandata Dei, perdet vitam æternam ; qui vero perdiderit vitam temporalem propter me, meamque doctrinam ac mandata Dei, *inveniet*, id est, *servabit*, aut etiam *lucrabitur* æternam vitam.

Porro nomine *vitæ temporalis* intelligenda quoque sunt temporalia bona, ad hanc vitam pertinentia ; quasi Christus diceret : Qui fortunæ bona, honores, famam, delicias, amicos, et quæcumque temporalia commoda propter me perdiderit, eadem postmodum inveniet, et quidem meliora ; e contra, qui illa conquirere aut conservare, me posthabito, voluerit, ea perdet, et una cum eis perdet animam suam in æternum.

Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?...

Ut efficacius audientes ad amplectendam abnegationem excitet, motivum allatum explicat, declarando quantum sit animæ ac salutis pretium. Tantum nimirum est, ut vel universi mundi bonis nequeat compensari : adeo ut, anima perdita, totius mundi bona nihil homini prosint ; anima vero salva, totius mundi mala pro nihilo sint reputanda.

Anima hic, ut patet, est animæ salus, beatitudo æterna, seu ipsa spiritualis nostra substantia, quatenus ad æternam beatitudinem destinata ; — et *animæ detrimentum pati*, seu animam perdere, est eam saluti perdere, et mortem æternam ac damnationem incurrere.

Mundum universum lucrari, id est totius mundi opes, honores, delicias obtinere, iisque, si fieri possit, omnibus frui.

(1) Cf. supra, *Comm. unius Mart. Evang. I*, ad Luc. XIV, 26. pag. 41.

Quam dabit homo commutationem pro anima sua? id est, si semel animam saluti perdideris et damnationem gehennæ incurreris, nullo pacto eam poteris redimere aut liberare.

Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.

Ut clarius explicet quæ et quanta res sit animæ salus aut perditio, et consequenter quis abnegationis acceptatæ vel neglectæ sit fructus, præ oculis ponit diem judicii. Tunc enim Filius hominis, nunc humiliatus et humiliandus usque ad mortem crucis, propter illam ipsam sui humiliationem atque abnegationem, veniet cum cruce gloriosa, et divina majestate circumdatus; sedensque ut Judex, reddet unicuique vitam vel mortem æternam, secundum opera ejus : id est, prout quisque in via abnegationis et crucis ipsum secutus fuerit, vel sequi noluerit. — Sensus ergo verborum Domini est quasi diceret : Ego venturus sum, cum meæ crucis vexillo ad hunc mundum judicandum; et quos reperero noluisse crucem mecum portare, ad dæmonum pœnam, quorum partes secuti fuerint, condemnabo; eos vero, qui voci meæ obedientes, crucem mecum fuerint amplexi, ad æternam gloriam deducam.

—

Explicatio secunda

De sequendo Christo in præsenti Evangelio agitur, incipiendo a bajulatione crucis cum Christo, usque ad ascensum triumphalem cum Christo in novissimo die. — Docemur autem quid sit, quamque eximia res, sequi Christum; — quam sit idem necessarium; — quæque conditiones ad id requirantur.

Si quis vult post me venire...

1° Dicit *si quis vult*, id est, quicumque vult : -1) ut intelligamus invitari omnes, nemine excepto, quamvis a longe de-

beant venire ut ad Christum accedant; adeoque salutem esse per Dei gratiam in cujusque potestate. — 2) Ut suaviter invitet nos, quin tamen cogat; cum servos velit habere voluntarios. — 3) Ut significet necesse esse *velle*, determinata nempe voluntate, nec sufficere *velleitatem*. — Jam vero omnes ardenter vellent, si quid sit venire post Christum, seu sequi Christum, considerarent.

2° *Venire post Christum* quid est? — 1) Est sequi Filium Dei incarnatum, adeoque ipsum Deum! Quo quid melius, quidve nobilius?... — 2) Est sequi incarnatam Sapientiam, adeoque exemplar seu formam omnis perfectionis humanæ. — 3) Est adhærere fonti omnis felicitatis...

Quam longe alia res est ire post mundum et diabolum!... Horum tamen partes sequi debent, quicumque Christum sequi detrectant : *Qui non est mecum, contra me est* (Luc. XI, 23).

Abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

His verbis conditiones statuuntur, ad Christum sequendum requisitæ : abnegatio, et crucis quotidiana bajulatio.

1° *Abnegare semetipsum*, quid est? — R. 1) Tum judicia ac præjudicia mundana deponere pro doctrina Christi; — tum desideria sua peccaminosa, et universum amorem proprium, carnalem, sensualem ac mundanum abdicare, pro amore Christi...

-2) Abnegare sese, est erga se ipsum agere, sicut quis sese erga hominem gereret, quem prius amicum habuit et reperit postea proditorem ac vitæ suæ insidiantem. Istum enim non amplius consuleret, nec amaret, aut protegeret...

-3) Abnegare sese, est pervulgatum illud ascetarum præceptum implere : *Vince te ipsum.*

-4) Abnegare sese, est omnino et non ex parte abhorrere ab iis omnibus quæ mundus amat et amplectitur : cujusmodi sunt divitiæ, fama, etc.

2° *Tollere crucem suam*, quid est? — Est ea amare et amplecti, quæ Christus Dominus noster amavit et amplexus

est : voluntatem Patris cœlestis; — quæcumque vera et sancta; — orationem, labores, præsertim vero omnigenos passionis dolores... — Nec sine causa Dominus hisce utitur figuratis verbis : *Tollat crucem suam....*

Tollat, id est, acceptet crucem, non tantum patienter, sed amanter, et velut duobus brachiis amplectatur; eamque portet fortiter, et, ut Lucas dicit, *quotidie :* id est, ut quisque eam partem oneris sui ferat, quæ eo ipso die contigerit, idque cum perseverantia usque ad mortem.

Crucem. Crucis nomine intelligitur, -1) patientia christiana, omnisque tribulatio in via vitæ occurrens, sive ex rebus, sive ex personis oriatur; -2) complexus officiorum cujusque status, quæ officia in orationibus, laboribus et doloribus consistunt.

Suam. Cuique sua crux est; quæ dicitur *sua*, -1) quia cuique a Domino, etsi hominum manibus, imposita est, et data tanquam propria. -2) Quia ipsius viribus est adaptata. -3) Quia eam ob sua peccata meruit. — Crux nostra, quam ferre debemus, est tamen etiam crux Christi, ac velut particula pretiosa ligni Dominici : quia Dominus in cruce sua quodammodo omnium nostrum crucem portavit, merendo nempe, ut nos fortiter ac meritorie nostram crucem, in unione cum cruce Domini portare possimus.

Illud *tollat crucem suam*, includere quoque videtur tacitam antithesim ad crucem Christi; quasi Dominus diceret: Tollat quisque crucem suam, sicut ego tuli meam.

3° *Et sequatur me.* Id additur, -1) ut intelligamus, nos sequi ducem nobilissimum, qui exemplo trahit, viam sternit, et sui sequaces omni modo adjuvat. -2) Ut non studeamus effugere crucem, cum Christus Dominus eam ferat : non enim est servus supra dominum. -3) Ut sciamus quo Rex præcessit, eo et nos esse perducendos : ad resurrectionis gloriam.

Hactenus sententiam Domini per partes consideravimus; jam eamdem spectemus ut est integra.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

1° His verbis Christus Dominus vexillum erigit, prorsus oppositum vexillo Luciferi (1). Etenim princeps hujus mundi, atque humanæ naturæ inimicus, homines ad sua castra, vel potius in suos laqueos allicit, per concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitæ; — Christus vero, ut homines salvet, ad tria alia invitat, istis omnino contraria.

-1) Ad propriam uniuscujusque abnegationem, et triplicis concupiscentiæ, vitiorumque ab illa manantium mortificationem : *Abneget semetipsum.*

-2) Ad propriam crucem tollendam : *Et tollat crucem suam;* ut prompti nimirum sint, ad ea quæ triplici concupiscentiæ sunt contraria amplectenda : nempe labores et dolores, paupertatem et contemptum, humiliationem et subjectionem ; quia spiritualis crux Christi his tribus partibus constat : paupertate, humiliatione et dolore.

-3) Ad virtutum suarum et exemplorum, quæ ipse sua cruce bajulanda præbuit, imitationem : *Et sequatur me.* Decrevit enim, nullum omnino ad suum comitatum et scholam admittere, qui crucem non statuerit amplecti, et sub crucis vexillo militare : *Qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus.* Luc. XIV, 27.

2° Invitatio Christi maxime est rationi consentanea. Si enim ego sum improbus, et ab utero matris ad vitia propensus, æquum omnino est me ipsum ita abnegare, ut pravas omnes propensiones mortificando coerceam et corrigam. — Et si voluptates, divitiæ, honores et hujus mundi decora, fomenta sunt iniquitatis ; justum est, inordinatum illorum amorem exuere, ut ab iniquitatibus liber evadam. — Et, si necesse quoque est, multas mihi in hac vita tribulationes accidere, quid prudentius fecero, quam, si ex ipsa necessitate virtutem faciens, crucem meam libenter amplectar, qua vitam promerear æternam? — Et, denique, si Christus Dominus noster e

(1) Cf. *Adjumenta oratoris sacri,* argum. 43, *de duob. vexillis.*

cœlo descendit, ut mihi in cruce ferenda præiret, nonne oportet me tale exemplum, talemque ducem quam promptissime sequi?

Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

1° His docemur quisnam sit verus amor sui. -1) Non est ille, quo quis hujus mundi vitam ac gaudia sibi quærit, neglecta lege Dei; nam sic perdit animam suam, eamque conjicit in æternam ruinam. -2) Ille autem verus est amor sui, quo quis propter Deum temporalia commoda, imo ipsam vitam contemnit, pœnitentiam et labores libenter amplectitur, et ita parum sibi parcit, ut odisse semetipsum in hoc mundo videatur : nam hac sancta severitate sibi lucratur vitam æternam.

2° Docemur duplicem vitam homini esse, quam serio considerare, semperque præ oculis habere debemus : vitam in hoc sæculo, et vitam in futuro. — Una temporalis est ac brevissima; altera vero æterna. Si alterutra fuerit sacrificanda, facile patet utra præferenda sit. Qualis enim et quanta res sit vita æterna, seu *salus animæ*, sequentibus Domini verbis declaratur.

Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?

1° En quantum sit *animæ pretium :* universi mundi thesauros ac bona superat. Deus enim eam -1) immortalem et ad imaginem suam creavit; -2) tamque nobilem, ut judicet dignam quæ in cœlesti curia cum angelis suis habitet. Quare -3) cum hæc nobilissima creatura in peccatum decidisset, eam unigenitus Filius Dei, secunda Persona SS. Trinitatis, incarnatus, suo sanguine redimere non dedignatus est. — Quid, si ab homine petatur, ut hanc suam animam deturpet, aut vendat, in servitutem, in mortem?... Quid, si tanquam pre-

tium pro anima sua offeratur homini, non totius mundi bona, sed quædam exigua, imo turpia?...

2° En quid sit *animæ salus* : nimirum ejus admissio in cœlum, ejusque vita beata per totam æternitatem duratura. Hanc ut assequamur, quid est quod agere non debeamus?...— Hac ne frustremur, quid est quod non oporteat nos sacrificare aut pati?... Nonne omnia? Quanto magis levia et quotidiana incommoda?...

3° En quid sit *animæ perditio,* æterna damnatio. — *Quam dabit homo commutationem pro anima sua* ex inferno redimenda? Quid animæ semel damnatæ proderit universus mundus, si eum olim cum omnibus ejus voluptatibus possederit (1)? Interrogate damnatos ipsos, qui jam in inferno cruciantur, et respondebunt : *Quid nobis profuit superbia? Aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra* (Sap. V, 8); nunc vero æternis tormentis cruciamur : *Quia crucior in hac flamma.* Luc. XVI, 24.

Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui, cum angelis suis.

1° Quis ille Filius hominis est? — Est Christus, Rex justorum : ille qui in præsenti vita invitat omnes, ut post se veniant in via justitiæ, et propter justitiam omnia hujus vitæ bona posthabeant; ipse in fine mundi sequacibus suis, qui populum justorum constituent, suam gloriam communicabit, eosque deducet in mundum novum, ubi justitia æterna habitat.

2° Qualis tunc, in novissimo die, apparebit? et qualis olim in mundo conversatus est?—Apparebit *in gloria Patris*, id est, divina prorsus majestate circumdatus, stipatus angelorum millibus, cum vexillo splendidissimo crucis; — ipse qui olim *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod et Deus exaltavit illum* (Phil. II, 8). — Porro hujus suæ gloriæ participes reddet suos omnes, qui eum in humilitate ac via crucis fuerint secuti...

(1) Cf. *Adjum.* Argum. 2, *De salute.*

Et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.

1° *Reddet unicuique*, scilicet tum bonis, tum malis. — Non sic in hoc mundo : sæpissime enim contingit ut mali evadant pœnam, et boni mercedem nullam recipiant; at judex supremus *coget omnes ante thronum,* omnibusque et singulis quæ meruerint retribuet...

2° Reddet *bonis* secundum opera eorum. -1) Aperientur enim eorum thesauri, merita, operaque pretiosissima quæ nunc sunt abscondita : opera pœnitentiæ, humilitatis, patientiæ, charitatis; tota vita abnegationis pro Christo generose transacta, coram universo mundo coronabitur. — 2) Quid reddetur? Pro humiliatione gloria, pro patientia deliciæ cœlestes. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. VIII, 18.

3° Reddet quoque *malis* secundum opera. — 1) Aperientur enim opera eorum qualia sunt, opera turpissima, nunc abscondita, opera voluptaria et vana, tunc transacta : quorum tamen merces reddenda manet. Nam *peccare transit, peccasse manet.* -2) Reddetur autem pro transactis gaudiis peccati, æterna pœna ac desperatio (1).

4° Quod dicitur *secundum opera*, non vero secundum *proposita*, vel *verba*, vel operum *successum;* innuit, non mera proposita, nec verba aut promissiones inanes mercedem mereri; nec laboris successum requiri : sed simpliciter pro Christo Domino impensum laborem. Qui autem magis ac melius laboraverit, ille majorem mercedem recipiet : *Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem.* I Cor. III, 8.

(1) Cf. *Adjum.* Argum. 21, *De judicio univ.*

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

Evangelium tertium.

Matth. X, 34-42. Dixit Jesus discipulis suis : Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram : non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam : et inimici hominis domestici ejus. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus; et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. Qui invenit animam suam, perdet illam; et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Qui recipit vos, me recipit : et qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum, in nomine discipuli, amen dico vobis : non perdet mercedem suam.

Explicatio prima.

I. *De persecutionibus orituris.*
II. *De ratione agendi persecutionum tempore.*

Mense Julio, anno prædicationis suæ secundo, cum circuiret Dominus Galilæam prædicando regnum Dei, nec ipse solus omnia loca visitare posset; misit duodecim Apostolos suos, ut et ipsi Evangelium annuntiarent. Priusquam autem eos dimitteret, ut tantum ministerium sancte et competenter obirent, divinis monitis instruxit; docuitque, non modo qua ratione ipsi prædicarent, sed etiam quis futurus esset prædicationis effectus, quæ persecutiones orituræ, et quomodo in his persecutionibus, tum ipsi, tum fideles sese gerere deberent. — Imprimis persecutionum naturam et necessitatem enuntiat his verbis :

Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram : non veni pacem mittere, sed gladium.

Sensus est quasi diceret : Nequaquam veni afferre in mundum externam pacem, sed gladium separationis, belli, persecutionis. — Quibus verbis Dominus sibimet attribuere videtur causam persecutionum, quæ tamen non ab ipso, sed tantum ipsius occasione, ab hominibus impiis excitabuntur. Scilicet hujusmodi forma loquendi figurata est, qua energiæ causa, tanquam finis a Domino intentus ponitur id, quod prævidet incredulitate atque impietate hominum efficiendum ; quodque Evangelii prædicationem tam certo consequetur ac si ob hunc finem prædicatio fieret.

Non pacem : intellige externam, terrenam, mundanam ; nam pacem internam, ac spiritualem, quæ ducit ad pacem ac felicitatem æternam in cœlis, Dominus attulit nobis.

Sed gladium, id est, *separationem*, ut Lucas habet; gladius enim est symbolum separationis ; et consequenter etiam significat bella et persecutiones, ut ex sequentibus patebit.

Veni enim separare hominem adversus patrem suum... et inimici hominis domestici ejus.

Sensus est : Evangelica doctrina tanquam gladius erit, qui homines, etiam arctissime inter se conjunctos, violenter separabit ab invicem ; cum futurum sit, ut unus fidem accipiat, alter respuat. Inde dissensiones, discordiæ, odia et persecutiones, quæ frequenter orientur ab ipsis propinquis ac parentibus, velut ab hostibus acerrimis ; adeo ut verum sit futurum verbum Prophetæ : *Inimici hominis domestici ejus.* Michææ VII, 6.

Qui amat patrem aut matrem plus quam me,... et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus.

Prænuntiatis persecutionibus adversus fideles ab ipsis parentibus eorum orituris, docet Dominus quomodo fideles in hujusmodi adjunctis sese gerere debeant. Nempe generose postponenda sunt omnia bona, accipienda quævis mala atque opprobria pro Christo ejusque fide. — Quod præceptum, tam arduum, ut impleatur, duo motiva adjunguntur : -1) hac conditione, nec aliter, fore ut quis dignus sit divini Magistri discipulus ; -2) ita, nec aliter, fore ut quis animam salvet.

Qui amat patrem aut matrem plus quam me. — Minus amare parentes quam Christum, seu, ut alibi dicitur, eos *odisse*, — *renuntiare omnibus* quæ quis possidet, — *tollere crucem suam*, — *abnegare se ipsum* propter Christum, — nihil aliud significant, nisi, Christum ejusque legem, seu Evangelium omnibus esse anteponendum ; eique posthabenda quæcumque charissima, sive personas, sive opes, sive jucunditates, sive desideria cordis. Adeoque illæ totidem formulæ sunt, quæ quoad substantiam idem continent : perfectam nempe abnegationem propter Christum, perfectam erga Christum devotionem, suique omnimodam Christo oblationem, qua homo sese Christo penitus devoveat, et in hostiam viventem offerat.

Non est me dignus. — Duo hic insinuantur : dignitas Magistri, et consequenter dignitas discipulorum ejus. -1) Di-

gnissimus Magister exhibetur, quippe qui ab hominibus super charissima quæque, adeoque *super omnia* diligendus sit; ita ut æqualis Deo et verus Deus esse intelligatur. -2) Dignissimi discipuli : quippe qui tanti Magistri, fere sicut filii patris sui excellentiam participent (1).

Qui recipit vos, me recipit...

Quæ de persecutionibus dixit concludit Dominus, consolationem adjiciendo, et magnam promittendo pro tolerandis hominum repulsis compensationem ; *Qui recipit,* inquit, *vos :* nempe ut hospitio, vel quocumque favore juvent ; *me* ipsum, imo Patrem cœlestem in vestra persona *recipit* et juvat. — Quibus verbis continentur duo : -1) promissio pro Apostolis, specialem eis affuturam providentiam, sicut ipsi Christo, quem repræsentabunt ; nec defuturos tempore tribulationis homines a quibus juventur. -2) Adhortatio ad homines, ut Apostolos omnesque Christi discipulos in necessitatibus recipiant et adjuvent ; quare motivum proponitur duplex : -*a*) talis beneficentiæ excellentia, -*b*) ejusdem merces maxima.

Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet...

Sensus est : Qui benefice recipit ac juvat ministrum Evangelii, hoc titulo vel intuitu quia Evangelii minister ac vir apostolicus est, mercedis ejusdem viri apostolici erit particeps. — *Propheta* in Scripturis dicitur, non tantum vates, sed quicumque Dei nomine homines docet, aut ad servandam Dei legem hortatur. Quare hoc loco ipsi Evangelii præcones *prophetæ* appellantur.

Mercedem prophetæ accipiet : intellige eamdem ac propheta, quoad excellentiam ; nam quod ad mensuram spectat, proportionata erit receptoris operi, etc. *Reddet unicuique secundum opera ejus* (Matth. XVI, 27). — Ideo autem mercedis prophetæ erit particeps, quia particeps ejus laboris. Adju-

(1) Versiculi 38 et 39 de tollenda cruce, deque anima propter Christum perdenda, ad Matth. XVI, 24, 29, exposita videri possunt : supra, *Commun. un. Mart.* Evang. II. pag. 51 et 52.

vando enim virum apostolicum idoneum reddit ad munus implendum, atque hoc modo ad idem opus cooperatur. Jam vero, quemadmodum cooperantes ad malum, ejusdem culpæ atque ejusdem pœnæ sunt rei; ita cooperantes ad bonum, ejusdem meriti fiunt participes.

Qui recipit justum in nomine justi mercedem justi accipiet.

Quod si quis recipitur quia homo *justus* est, virtutem sequens et Deo gratus, mercedem justi accipiet : -1) quia justitiam approbando atque honorando, ejusdem particeps efficitur; -2) quia justus pro benefactore orabit ut hic justificetur; imo ipse Christus in persona justi exceptus, dignam pro beneficio mercedem rependet.

Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum, in nomine discipuli : amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

Enumerationem concludit generali sententia, quasi diceret : Quicumque vel minimum juvamen præstiterit alicui, etsi minimo, ex vobis, dummodo mei intuitu agat : mercedem, me donante, dignam consequetur.

Ut significet quodlibet vel minimum beneficium, proponit personas abjectissimas et rem vilissimam, dicens : *Quicumque dederit potum;* nec potum vini, sed *aquæ*, et quidem *frigidæ*, atque unum *calicem;* nec multis, sed *uni*, eique infimo discipulo, *uni ex minimis istis.*

In nomine discipuli, id est, quia meus discipulus ac Christianus est; et proinde, in honorem meum, meique intuitu ac respectu. — Christi enim intuitus ita intentionem dantis rectificat, ipsumque opus exaltat, ut quod Christiano collatum est, ipsi Christo factum videatur, idque Christus velut sibi factum æstimet et remuneret. Quod si alio intuitu alicui benefacias, v. g. quia tuus cognatus vel amicus est, opus parvi meriti apud Deum erit : hic enim est actus misericordiæ naturalis, prior vero supernaturalis.

Amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Litotica hæc locutio est, qua specietenus exprimit minus, ut dicat plus ; et revera significat, mercedem fore certam et magnam : nimirum vitam æternam. Non enim aliud donum Christus largitur, qui ideo tantum venit, *ut vitam habeamus et abundantius habeamus* (Joan. X, 10). — Quod si ille qui beneficium intuitu Christi confert, sit in peccato mortali, adeoque incapax meriti vitæ æternæ atque augmenti gratiæ sanctificantis; accipiet gratiam actualem, qua ad conversionem ac gratiam sanctificantem, et consequenter ad vitam æternam perveniat.

Explicatio secunda.

Non veni pacem mittere, sed gladium.

1° Etsi Christus Dominus Deus pacis est, et pacem dedit atque promisit, negat tamen hoc loco sese pacem attulisse : ut intelligamus duplicem esse pacem, quarum unam quærere, alteram fugere debeamus.

-1) Altera, quæ *pax Domini* dicitur, interna est, et in bona conscientia consistit, atque in conformitate cum divina voluntate : *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Hæc incipit in præsenti vita per Christi regnum in corde, et complebitur in futura vita, in civitate pacis, superna Jerusalem. De hac Propheta dicit : *Inquire pacem et persequere eam.* Ps. XXXIII.

-2) Altera, *pax mundi*, externa est, et in vita tranquilla atque jucunda secundum carnem est sita ; de qua Spiritus sanctus loquitur, dicens : *O mors, quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis !* (Eccli. XLI, 1.) — Pax hujusmodi a mundo promittitur, et quandoque aliquamdiu datur : at non gratis, sed velut emenda pretio peccatorum multorum ; — nec absque peccatis conservatur ; — nec unquam diu perseverat, sed multa mox corrumpitur ama-

ritudine, et desinit in miseriam æternam (1). Hanc pacem falsam et peccaminosam non affert, sed destruit Dominus, tanquam obstaculum pacis veræ et æternæ. Quæ quidem veritas imprimis intelligenda est, nisi in errore valde nocivo versari velimus; ideo monemur his verbis : *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium*, quo nempe gladio mala pax turbetur ac perimatur.

2° Gladius Christi quis est? — 1) Est verbum ejus. *De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat* (Apoc. I, 16). — *Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus* (Hebr. IV, 12). — Est enim verbum Christi *gladius*, quia penetrat in animam, ut in ea separet malum a bono, carnem a spiritu; — est *anceps*, quia simul percutit bonos et malos, seu eos qui obediunt ipsi, et eos qui resistunt : illos vivificando, hos vero occidendo; illos absolvendo, hos condemnando.

-2) Respectu nostri, gladius Christi est -*a*) fides nostra, qua mundum vincere debemus : *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra* (I Joan. V, 4). Verbum scilicet Christi, quatenus a nobis creditur, fit gladius in manu nostra, quo semper armati esse debemus, juxta Apostolum : *In omnibus sumentes... gladium spiritus* (*quod est verbum Dei*) (Eph. VI, 17). — Est -*b*) mortificatio christiana, qua nosmetipsos perpetuo vincere debemus, juxta regulam Sanctorum : *Vince te ipsum.* — -*c*) Est oratio, quæ exiens quoque de ore nostro, simul percutit diabolum tentatorem, et aperit animæ fontem vitæ et gratiarum.

3° Gladius Christi quid efficit? — R. Separationem. Separat enim bonum a malo, verum a falso, virtutem a vitio, carnem a spiritu; — imo, separat homines ab invicem, bonos a malis : in hoc mundo quidem, inchoative tantum : nam zizania cum tritico mixta permanere debent; — in die judicii vero, perfecte. Etenim *tempore messis dicet messoribus : Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum* (Matth.

(1) Cf. *Evangelia dominic.* t. 2, Dominica Pentec. ad Joan. XIV, 27.

XIII, 30). — Tunc *exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum.* Ibid. 49.

Similem, ut patet, separationem, gladio Christi armati, in nobismetipsis operari debemus, et incidere carnem, quantumvis acerba ac dolorosa incisio videatur. *Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis* (II Cor. VI, 27). — *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Jerem. XV, 19.

Et inimici hominis domestici ejus.

His docemur, 1° non raro amicos secundum carnem, inimicos esse animæ nostræ : quia dum carnalia bona nobis conferre student, spiritualia eripiunt. Tales præcipue sunt parentes illi, qui filiis nimiam libertatem concedunt, periculosas recreationes aut conversationes permittunt; educationem minus religiosam, quam temporali vitæ utilem futuram quærunt. *Immolaverunt filios suos et filias suas dæmoniis... et iratus est furore Dominus.* Ps. CV.

2° Inimicos domesticos habemus in nobis ipsis, in corde et in passionibus nostris. Vetus ille homo in nobis vivens, quem sæpius ut amicum amamus et fovemus, inimicus est perfidus, omni odio dignissimus ; quippe qui secreto juvamine hosti nostro diabolo favet, eique portam animæ quærit aperire.

Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.

1° Quid est et quanta res, dignum esse Christo?—R. -*a*) Dignum esse Christo significat, -*a*) esse dignum nomine Christi, quo nomine discipuli ejus, nempe *Christiani*, insigniuntur extrinsecus; sicut baptismali charactere intrinsecus quoque ab infidelibus distinguuntur. -*b*) Significat, esse dignum comitatu Christi, quem conficiunt omnes Angeli, Sancti, et præcipue Virgines in cœlo. -*c*) Significat, esse dignum militia Christi, quam ejus Apostoli, Martyres, omnesque generosi servi fortesque athletæ in militanti Ecclesia constituunt.

-2) Magna et gloriosa res est, dignum esse Christo. Est enim hæc participatio ipsius dignitatis ac celsitudinis Christi, qui est Filius Dei unigenitus, Rex gloriæ ac *princeps regum terræ* (Apoc. I, 5). Qualis enim dux, tales, etsi participative, digni ejus milites, etc. — Jam vero, dux nobilissimus, fortissimus in prælio, gloriosissimus in triumpho, Christus Deus noster, a suis sequacibus non vult separari, sed eos in omnibus habere consortes : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum; ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi* (Joan. XVII, 24). Porro tunc *similes ei erimus : quoniam videbimus eum sicuti est.* I Joan. III, 2.

2° Quænam requiruntur, ut Christus quempiam tanquam dignum discipulum agnoscat? — 1) Requiritur ut homo Christum Dominum suum aliis quibusvis charissimis, sive personis, sive rebus præferat, ejusque amicitiam cuilibet alteri amicitiæ vel benevolentiæ anteponat; imo, si opus sit, charissima quæque pro lege ac beneplacito Christi libenter sacrificet. Etenim Christus summum bonum est, summeque amabilis, quem loco patris, matris, fratrum ac rerum omnium habere debemus.

-2) Requiritur ut crucem accipiat, eamque exemplo divini Magistri amplectens, ipsum in quotidiano labore, in patientia et humilitate sequatur....

Qui recipit vos, me recipit.

1° En mystica inexistentia Christi in suis discipulis, et in sua Ecclesia. *Vos in me, et ego in vobis* (Joan. XIV, 20). — Christus *caput est Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius*, nosque *membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus* (Eph. I, 23 ; V, 23, 30).

Inexistit autem Christus in fidelibus suis vario modo : -1) tanquam in suis filiis, per communicationem similis vitæ ac naturæ; -2) tanquam in suis imaginibus, per similitudinem ; -3) tanquam in amicis, per amorem; -4) tanquam in ciboriis vivis, per sacram Communionem; -5) tanquam in suis templis, per gratiam sanctificantem, atque realem, secundum divinitatem, præsentiam. — Quanto au-

tem vividior fides est in homine atque efficacior, tanto Christi inhabitatio est intimior et familiarior : *Det vobis... corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* Eph. III, 17.

2° En pretium beneficentiæ et operum charitatis. Non enim homini, non regi, non angelo benefacimus ; sed Filio Dei, ac ipsi vero Deo : *Qui recipit vos, me recipit ; et qui me recipit, recipit eum qui me misit. — Amen dico vobis : quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* (Matth. XXV, 40). — Propterea pro esca et potu sibi dato, mercedem Deo dignam, regnum cœlorum, retribuet....

3° En malitia injuriæ, sive corporalis sive spiritualis, quæ Christi discipulis infertur. Non enim homini quantumvis nobili, sed Christo nocumentum irrogatur ; ideoque punietur hac sententia gravissima : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare...* Matth. XXV, 41.

Qui potum dederit uni ex minimis istis calicem
aquæ frigidæ tantum, in nomine discipuli,
amen dico vobis, non perdet
mercedem suam.

1° En Dei liberalitas in retribuendo : minimum obsequium tanto Domino præstitum, retribuetur mercede certissima, et supra omnem mundanum thesaurum pretiosa. — Non sic mundus suorum servitium remunerare consuevit.... — Quam multi laborantes perdunt mercedem suam ! Quicumque hominibus, non Deo famulatur... a fortiori, quicumque servit diabolo et peccato, certo certius *perdet mercedem suam.* — Nisi tamen *mercedis* nomine pœnam iniquitatis intelligas ; hoc enim sensu de omni peccatore, respectu cujusvis peccati, verissime dici potest : *Non perdet mercedem suam....*

2° En facilitas merendi : non agitur de auro in pauperes distribuendo, neque de gravi labore qui vires nostras superet ; sed de re in cujusque hominis, etiam pauperis, potestate posita ; de officio obvio inter fratres ac familiares ; de charitatis actu cujusque facultatibus proportionato ; de quotidia-

nis communibusque operibus.... His enim omnibus mereri, pro peccatis satisfacere, et lucrum lucro addere possumus. Ad omnes ergo, quantumvis pauperes, infirmos, labore occupatos, pertinet illud : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo* (Matth. VI, 20). — *Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus : tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Gal. VI, 10.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

Evangelium quartum.

Matth. X, 26-33. Dixit Jesus discipulis suis : Nihil est opertum, quod non revelabitur; et occultum, quod non scietur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine : et quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse veneunt : et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere : multis passeribus meliores estis vos. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.

Luc. XII, 1-9. (1) Multis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos : Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Nihil autem opertum est, quod non reveletur; neque absconditum, quod non sciatur. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur; et quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. Dico autem vobis amicis

(1) Locum hunc, etsi ad aliud tempus refertur quam lectio ex Matthæo, propter similitudinem tamen sermonis, ut parallelum proponimus.

Explicatio prima.

I. *Aperte et fortiter Evangelium esse prædicandum.*
II. *Fortitudinis evangelicæ incitamenta.*

Nihil est opertum quod non revelabitur, et occultum quod non scietur.

Quum Dominus duodecim Apostolos ad prædicandum mitteret, et præviis monitis instrueret, ut in superioris Evangelii (1) expositione explicatum est, de calumniis erat locutus quibus Apostoli ab hominibus essent impetendi. Præcepit autem ne calumnias aut calumniatores timerent, addiditque hanc rationem : *Nihil enim est opertum quod non revelabitur, et occultum quod non scietur*. Qua proverbiali sententia significat, non obstantibus calumniis, tum Apostolorum innocentiam, tum Evangelii veritatem manifestam fore : idque non tantum in die judicii, sed etiam in hac vita; Deum enim facturum esse, ut ii qui Apostolos primum tanquam diabolicos homines persequentur, postmodum, cognita veritate, eosdem tanquam Dei nuntios honorent et colant, ab eisque fidem accipiant.

meis : ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem quem timeatis : timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis : hunc timete. Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere : multis passeribus pluris estis vos. Dico autem vobis : omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei; qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei.

(1) *Comm. unius Mart.* Evang. III. Supra, pag. 61.

Nota. Idem proverbium : *Nihil est opertum*, etc., alibi (Luc. XII, 2), Dominus applicat Pharisæis, ad significandum fore ut eorum hypocrisis manifestetur (1).

Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine, et quod in aure auditis prædicate super tecta.

Sensus est : Quæ privatim vos docui in exiguo hoc terræ angulo, hæc publice in toto mundo, liberrime et audacter evangelizate.

Quod dico *in tenebris*, *in aure :* id est, privatim et secreto ; — dicite *in lumine*, *super tecta :* id est, palam et publice coram omnibus. — Proverbiales iterum hæ locutiones sunt, quæ sermonem secretum, vel e contra, valde publicum significant. — Illud *prædicate super tecta*, alludit ad architecturam Judæorum. In Judæa enim tecta erant plana, ut in eis ambulare, cœnare, dormire, atque ex iis velut ex alto suggestu concionari liceret.

Citatis verbis Dominus sermonem reducit ad modum, quo Apostoli prædicationis officium debeant exercere : audacter quæcumque ab ipso audierint eis præcipit prædicare ; eaque fortitudine, ut ne mortem quidem ab hominibus intentatam formident : *Nolite*, inquit, *timere eos qui occidunt corpus.* — Quam heroicam fortitudinem ut excitet atque confirmet, tria suggerit argumenta, quæ sunt : immortalitas animæ, providentia specialis discipulis intenta, futura retributio.

Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.

Prima ratio non timendi, est immortalitas animæ, cui nocere nequit mors temporalis, sed solummodo mors æterna gehennæ. Quapropter timenda non est offensa et ira impii tyranni ; sed tantum offensa et ira Dei, qui peccatores detrudit in gehennam. Sensus verborum Domini est quasi

(1) Cf. etiam Rom. II, 16 ; et I Cor. IV, 5.

diceret : Nolite ob metum mortis negare meam fidem, aut cessare ab ejus prædicatione vobis demandata, vel aliquid eadem fide indignum committere; sed obedite Deo potius quam hominibus. Hoc enim si feceritis, ad summum, mortem temporalem subire potestis, quæ spernenda est; si autem secus feceritis, incurretis mortem tum corporis tum animæ, longe atrociorem et diuturniorem, scilicet mortem æternam in gehenna. — Lucas sic habet : *Dico autem vobis, amicis meis : ne terreamini*... ad significandum, ob hoc ipsum quod amici Christi essent, eos sævissimis persecutionibus obnoxios fore.

Christi sententia, ut patet, proprie respicit discrimen, quo quis inter mortem et peccatum mortale versaretur; monetque nos, ut nullo mortis aut tyrannorum metu, fidem Deo datam Deique legem violemus.

Potest et animam et corpus perdere in gehennam : id est, perdere in infernum, mittere in ignem æternum. *Gehenna* enim pro inferno usurpatur in Evangelio, etsi vocabulum istud aliunde translatum est. Erat scilicet *gehenna* proprium nomen vallis cujusdam amœnæ, prope Jerusalem versus meridiem sitæ, ubi olim Israelitæ idololatræ pueros suos immolabant et comburebant idolo Moabitico Moloch, cujus ibi statua erecta erat. Hanc statuam et abominationem cum Josias rex sustulisset, vallis illa maledicta mutata est in receptaculum sordium urbis, quæ illuc devectæ comburebantur. Quare perpetuus illic ardebat ignis, ita ut loci abominatio una, cum lugubri rogo, imaginem inferni exhiberet Judæis, qui propterea nomen *Gehenna* vulgo pro *inferno* usurpabant.

Potest, inquit, *et animam et corpus* perdere : nam totum hominem, corpore et anima constantem, quia corpore et anima peccavit, Deus puniet; ideoque in novissimo die, peccatorem resuscitato corpore instructum mittet in ignem æternum, ubi pœna damni et pœna sensus cruciabitur. Interim vero, antequam resurrectio fiat, animæ damnatæ pœna sensus nequaquam carent; sed, divina justitia organicas vires supplente, sine corpore patiuntur nunc, quod postmodum per corpus et in corpore sentient : ita ut etiam ante judicii diem, damnati perdantur vere quoad animam et quoad cor-

pus in gehennam. Quare divitem epulonem inducit Dominus loquentem quasi corpore indutus esset : *Intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam : quia crucior in hac flamma.* Luc. XVI, 24.

Nonne duo passeres asse veneunt?... multis passeribus meliores estis vos.

En altera fiduciæ et fortitudinis ratio, specialiter discipulos protegens Providentia : Omnia, inquit, Providentiæ subsunt, ita ut absque ejus permissu nihil contingat, nec minima quidem avicula pereat. Atqui si Deus passerculorum agit curam, quanto magis vestri? Quamobrem scitote, non tantum vitam vestram, sed omnia membra, omnesque capillos capitis vestri, a Patre vestro cœlesti custodiri.

Assis seu assarius, de quo hic agitur, minimum erat pretium, uni nostrati centesimo æquivalens.

Unus non cadet super terram, id est, non peribit. Aves enim dum vivunt, in aere degunt et volant; sagittis vero confixæ, vel alia ratione pereuntes, in terram decidunt.

Sine Patre vestro : id est, sine providentia, permissu aut decreto ejus, qui proprie pater *vester* est, non passerculorum. Vos enim ad similitudinem suam rationales formavit, et per Christum redemit, sanctosque et Apostolos effecit. Quare non permittet vos lædi, vel occidi a persecutoribus, nisi ut per martyrium meliori, imo felicissima vita et corona vos donet.

Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt : id est, Deus ab æterno, non tantum membrorum corporis vestri, sed et capillorum capitis numerum statuit ac decrevit, et in tempore creavit, atque ita custodit, ut sine peculiari ejus permissu ac providentia, ne unus quidem e capillis pereat : *Et capillus de capite vestro non peribit.* Luc. XXI, 18.

Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus,
confitebor et ego eum coram Patre meo...
Qui autem negaverit me... negabo
et ego eum.

Tertium fortitudinis motivum : retributio futura præmii vel pœnæ. Sensus est : Omnis qui coram tyrannis de fide interrogatus, fidem ac nomen meum constanter fuerit confessus, adeoque honorarit : hunc pariter ego in die judicii, coram Deo, angelis et hominibus profitebor esse meum discipulum, atque ut talem honorabo et coronabo *coram Patre meo*. Lucas habet : *Coram angelis Dei*, id est, quando veniam judicaturus orbem, circumdatus angelis meis.

Ut autem eum, qui tam magnifica promissione non moveretur, terribili comminatione percellat, addit Dominus : Sicut confitebor confitentem, ita negantem me negabo, nec ut discipulum agnoscam; adeoque a me repellam, dicendo : *Discedite a me maledicti, in ignem æternum.*

—

Explicatio secunda.

Nihil est opertum quod non revelabitur, et occultum,
quod non scietur.

Nihil opertum est oculis hominum, quod non revelabitur eis a Deo omniscio, sive in hoc tempore, sive in futuro. Porro operta sunt, tum multa fidei mysteria, tum innocentia justorum, tum impiorum malitia.

1° Fides ac Religio christiana thesauros continet sapientiæ ac scientiæ, illos nempe thesauros, qui dicuntur in Christo absconditi (Coloss. II. 3). Absconditi autem sunt hominibus dissipatis, superbis ; — revelantur vero humilibus et mundis corde : tum in hac vita, per illuminationem gratiæ, orationis, meditationis ; tum in vita futura, per lumen gloriæ : *Quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (Matth. XI, 25). — *Animalis homo non percipit ea*

quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi (I Cor. II, 14). — *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. V, 8.

2° Innocentia justorum, ac bona opera eorum sæpe ignorantur, — vel etiam calumniis maculantur, sicut Christo Domino contigit.... Et ipsi quidem justi, sicut Dominus, suas virtutes celant, calumniis non respondent; quapropter thesaurus animæ eorum ab ipso Deo manifestabitur suo tempore : sive jam in hac vita,— sive certe, et quidem solemnissime, in die judicii.

3° Malitia impiorum, fraudes, injustitiæ, turpitudines, vario modo ab oculis hominum abscondi solent : nimirum per tenebras nocturnas, per hypocrisim, mendacia, confessionis neglectum, vel, quod pejus est, per confessiones sacrilegas... At vero, non latent oculos Dei, qui suo tempore abscondita revelabit, aperietque sepulcra dealbata.... Quod quidem jam in præsenti vita sæpissime facere incipit; in die autem judicii complebit, quando *illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* I Cor. IV, 5.

Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, prædicate super tecta.

Quomodo Dominus loquitur nobis? et quomodo nos mundo loqui debemus?

1° Dominus loquitur, -1) *in tenebris*, longe a luce hujus mundi : id est, loquitur animabus humilibus, quæ nolunt ab hominibus videri ac laudari; sed a Deo tantum, qui *videt in abscondito*, quique est *lux in tenebris* humilitatis *lucens.*

-2) Loquitur *in aure*, id est, animabus recollectis, et per meditationem divino alloquio intentis, atque ad obediendum paratis. Auris enim symbolum est attentionis et obedientiæ, qua quis loquenti aut præcipienti aurem præbet; et loqui *in aure*, seu levi susurro, denotat silentium requiri, ut vox loquentis Dei percipi possit. — Hinc intelligitur, cur multi vocem Domini non audiant....

2° Nos, Christi discipuli, loqui debemus : -1) ea quæ sic a Domino audiverimus... -2) Ea dicere debemus *in lumine :*

scilicet per lucem exemplorum,—et per lucem prædicationis ac sermonis nostri... sive simplices fideles fuerimus, sive præsertim Ecclesiæ pastores simus constituti. *Ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravæ et perversæ : inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Phil. II, 15.

Nolite timere eos qui occidunt corpus... sed potius timete...

Hic docemur quid unice timendum nobis sit, quænam vero timere non debeamus.

1° Timere non debemus, -1) homines, quantumvis potentes : cum -*a*) nihil nocere valeant nisi permittente Deo : *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper* (Joan. XIX, 11); — -*b*) cum attingere non possint animam, neque vera bona nostra....

-2) Nec magis timere debemus dæmones, dummodo oratione armati permaneamus....

-3) Neque labores, aut morbos, aliave mala temporalia, aut injurias hominum, carcerem mortemve corporalem : quia hæc in die judicii nihil, nisi vana terricula fuisse intelligemus. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Ps. LII.

2° Timendus est solus Deus, ejusque offensa et vindicta; quod sic exponi potest. -1) Timendum est solum peccatum : quia vere illud malum est et quidem unicum, tum in se et oculis Dei, tum respectu nostri : cum illud solum nos a cœlo arcere, et in infernum conjicere possit....

-2) Timendum est peccati periculum quodlibet... qui enim illud amat, in illo peribit.

-3) Timenda est nostra fragilitas; omnisque nostra securitas in oratione atque in Christi vulneribus est quærenda. *Beatus homo qui semper est pavidus.* Prov. XXVIII, 14.

Timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.

En cruciatus inferni quibus punitur peccator prout peccavit.— 1° Punitur in anima, id est, in memoria atque phan-

tasia, per tristem præteritorum recordationem; — in intellectu, per cognitionem bonorum cœlestium quæ amisit; — in voluntate, per remorsus crudeles et desperationem : — eo quod phantasia, incredulitate, impœnitentia, etc., peccavit.

2° Punitur in sensibus : id est, in visu, auditu, gustu et lingua, tactu et carne... Quia his omnibus ad peccandum abusus est.

Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.

En mirabilis, paterna et amabilissima Dei providentia : tum generalis, in universo mundo; tum specialis respectu Ecclesiæ; tum particularis, respectu uniuscujusque hominum, præsertim fidelium.

1° *Providentia generalis* universi mundi cursum dirigit. Homines quidem libertate sua utuntur, cupiditatibus suis obediunt vel resistunt, societatemque humanam, sicut navem fluctibus commovent atque agitant; — sed Dominus gubernaculum tenens, quocumque voluerit ducit eam. Nullus eventus socialis accidit, sicut nec ullus passerculus in terram decidit, sine Patre cœlesti...

2° *Providentia specialis respectu Ecclesiæ*. Hæc est navicula Petri, in qua Christus est, modo dormiens, modo expergiscens et tempestatem sedans. — Hæc est ædificatio Christi, seu arx vel civitas a Christo ædificata, adversus quam portæ inferi non prævalebunt.

3° *Providentia particularis* respectu cujusque hominum, maxime fidelium. -1) Deus omnes et unumquemque amat, vultque salvum fieri, et ad salutem juvare. Est enim *Pater* noster, nosque ut filios charissimos aspicit : *Multis passeribus meliores estis vos* oculis ejus...

-2) Omnia novit, nempe quæ utilia et quæ nociva nobis; quid ferre valeant humeri nostri et quid nequeant... *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt...*

-3) Omnia potest : nempe illuminare mentem nostram, inflammare et roborare voluntatem, vincere hostes nostros,

ab omnibus periculis nos liberare, idque facillime... *Capillus de capite vestro non peribit.* Luc. XXI, 18.

-4) Quapropter unicuique viam sternit qua ambulet; omniaque in toto vitæ decursu cuique disponit, tanquam media ad salutem et sanctificationem : dummodo recto corde homo iis uti velit. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. VIII, 28.

Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.

Quinam ii sunt qui Dominum Christum coram hominibus confitentur? — 1° Sancti Martyres, qui actu heroico fortitudinis et charitatis, pro nomine Jesu sanguinem effundunt. — Porro martyrium distinguendum est duplex : alterum cruentum, cujus Christus ipsemet in cruce exemplum præbet; — alterum incruentum, quale B. V. Maria, regina Martyrum, juxta crucem consistens, in anima perpessa est....

2° Sancti Confessores, qui coram universo mundo, mandata Christi servando, consilia evangelica sequendo, exemplo et doctrina fidem prædicando, Christum confessi sunt.

3° Omnes veri Christiani, qui non tantum in Christo credunt; sed etiam fidem suam profitentur, tum verbis, ubi opus est, tum moribus vere christianis; — qui absque ullo respectu aut metu humano, templa et sacramenta frequentant; — atque ut Dei legi obediant, mundi ludibria ac detrimenta fortunæ viriliter patiuntur...

Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.

1° En apostasiæ peccatum, ejusque punitio.

2° En peccatum respectus humani, ejusque etiam punitio. -1) Respectus humanus est quædam negatio Christi, et species apostasiæ. Qui enim propter homines, ne irrideatur, neve damnum aliud patiatur vel incommodum, Dei legem violat,

ille practice dicit, se Christi in hac re discipulum non esse, se hominibus potius quam Christo obedire....

-2)Hujusmodi ignaviæ punitio erit summa confusio : tum in die obitus ac judicii particularis... tum in die judicii universalis : quando videbit homo, ex una parte, Regem regum, Salvatorem suum, quem negavit; ex altera vero diabolum, quem Christo anteposuit....

3° En peccatum cujuslibet Christiani, ejusque futura punitio. —1) Quicumque enim Christianus evangelicam legem violat, fidem ore quidem profitetur, factis vero negat... -2) Quapropter in die judicii, nequaquam ille ut discipulus a Christo agnoscetur, sed hæc terribilia audiet : *Quia nunquam novi vos : discedite a me, qui operamini iniquitatem.* Matth. VII, 23.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

Evangelium quintum.

Joan. XII. 24-26. Dixit Jesus discipulis suis : Amen, amen, dico vobis : nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

Matth. XVI, 25. Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

Marc. VIII, 35. Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me et evangelium, salvam faciet eam.

Luc. IX, 24. Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet illam; nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam.

Explicatio prima.

I. *De grano frumenti in terra mortificando.*
II. *De Christi ministro in cœlis glorificando.*

Dominica Palmarum, cum Dominus solemniter Jerosolymam ingressus, venisset in templum, nuntium accepit, adesse quosdam gentiles qui quærerent eum. Nam homines illi peregrini, qui et ipsi venerant adorare Deum cum Judæis in solemnitate paschali, quum de Jesu ejusque miraculis ubique sermonem fieri audirent, virum mirabilem videre cupiebant; quumque non cognoscerent eum de facie, nec præ turba propius accedere possent, Philippum Apostolum, cui noti fuerant in oppido Bethsaidæ, allocuti sunt, eique desiderium aperuerunt. Philippus una cum Andrea rem nuntiavit Domino. Qui ubi audivit adesse gentiles ipsum quærentes, indicium id esse sciens futuræ gentium conversionis atque instantis suæ mortis; statim de sua morte deque gentium vocatione magnifice loqui cœpit, exclamans : *Venit hora ut clarificetur Filius hominis.*

His enim verbis significat adesse tempus, tum suæ mortis, tum illuminationis gentium; quasi diceret : Ecce tempus ut *clarificer*, seu notus fiam, non solum Judæis, sed etiam Gentibus : hoc autem est tempus mortis meæ, post quam nomen meum omnibus populis prædicandum est; quo fiet ut, qui nunc videor simpliciter esse Filius hominis, cognoscar esse simul verus Filius Dei et salus mundi. — Quibus dictis addidit verba Evangelii nostri :

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

Clarificationem sui, de qua locutus est, Dominus per similitudinem explicat. Ut enim granum frumenti seminatum,

nisi mortificetur, et corruptum fuerit in sinu terræ, non multiplicatur, sed solitarium manet; si vero mortuum fuerit, grana multa producit sibi similia : — sic cœleste granum cadens in terram : id est, Christus, Filius Dei homo factus, si non mortuus fuisset, in sua perfectione ac justitia solus mansisset; per mortem vero suam, multiplicem fructum produxit fidelium et justorum, juxta illud : *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum* (Isai. LIII, 10). — Granum igitur cadens in terram, Christus ipse est, *mortificandum*, ut Augustinus ait (Tract. 51), *in infidelitate Judæorum, multiplicandum in fide omnium populorum.*

Quod dicit *ipsum solum manet*, significat, nisi mortuus fuisset Christus, humanum genus nequaquam redemptum foret. Non quasi aliter non potuisset nos salvare; sed quia id divina voluntate dispositum erat, ut non nisi morte sua mundum redimeret. Atque hac ratione est accommodanda similitudo grani : nam, quemadmodum, si alium naturæ ordinem Deus voluisset, granum absque sui corruptione poterat multiplicari, imo sine grano poterant gramina nasci; sic etiam, si Deo placuisset, absque morte Filii Dei, imo absque incarnatione ejus, poterant homines salvari.—At vero, placuit Deo redimere nos per mortem Christi, *quem proposuit propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Rom. III, 25.

Qui amat animam suam perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

Sententiam superiorem, quam de se et morte sua Dominus pronuntiavit, nunc extendit ad omnes qui in ipsum crediturí, ejusque exemplum secuturi sunt : significans nempe necessarium esse, eos etiam mortificari ad fructum afferendum; adeo ut, nisi mortificentur, non solum steriles futuri sint, sed etiam perituri.

Non autem præter rem hujusmodi extensionem facit : nam cum dixisset, se morte sua multum fructum allaturum, continuo hunc fructum notum facit, insinuando multos futuros

qui commorituri sint ipsi : quales innumerabiles martyres. — Et hæc ad connexionem sermonis Domini pertinent.

Sensus vero hic est : Qui vitam hanc temporalem vult conservare, potius quam fidem confiteri ; aut hujus vitæ desideria perficere, potius quam mandata servare, perdet vitam æternam : — qui vero vitam hanc temporalem odit, deponendo eam pro me ; aut suis appetitibus contradicendo, ut meis obediat mandatis, hic profecto animam suam custodit in vitam æternam. Nec est odium illud, sed potius verissimus amor animæ suæ.

Si quis mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego, illic et minister meus erit.

Ad doctrinam modo expositam, ad sanctum odium præsentis vitæ suscipiendum, et ad mortem salutarem subeundam nunc hortatur omnes ; quasi diceret : Quicumque mihi *ministrare,* id est, famulari, seu ut discipulus adhærere voluerit, veniat, et me sequatur ad illam, quam dixi, non tam mortem quam vitam : nam perveniet illuc *ubi ego sum*, id est, ad cœlestem gloriam.

Quod dicit *qui mihi ministrat*, significat se simul Dominum esse et Magistrum, uti expresse dixit postea : *Vos vocatis me Magister, et Domine ; et bene dicitis : sum etenim.* Joan. XIII, 13.

Dicit : *Me sequatur*, non vero abrupte : *Mortem illam amplectatur ;* ut proposito suo exemplo, suavius, clarius, et efficacius animos invitet, quasi diceret : Ego præcedo primus, decet ut servi sequantur dominum. Nec difficilis erit via quam ego sternam ; nec periculum errandi, ubi dux ego viæ : nam certo certius ad bonum terminum vos perducam. En terminum vobis ostendo : *Ubi sum ego, illic et minister meus erit :* id est, mecum erit in cœlo. — Quod dicit *ego sum*, non *ego ero*, indicat se Deum esse, simulque quatenus homo est, animam suam jam esse beatam et visione beatifica gaudere.

Quatuor ergo citatis verbis efficit : 1) docet eum qui salutem æternam concupiscit, mortem aliquo modo subire de-

bere; -2) ad illam mortem, seu abnegationem evangelicam adhortatur; -3) ostendit se Dominum ac Deum esse; -4) discipulos præmunit contra scandalum proximæ mortis suæ, significans eam non fore vitæ suæ finem, sed transitum ad vitam veram, pro se et pro mundo universo.

Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

Aliis nunc verbis mercedem sequentium se proponit, et ita, ut quod in verbo *ministrandi* humile videri, atque offendere aures poterat, nobilitet. Quare vocem *ministrandi* repetit, ministerii hujusmodi gloriam ostendendo, quasi diceret : Quod audistis, *si quis mihi ministrat*, non humile et abjectum vobis videatur : quia -1) qui mihi ministraverit, a Patre meo, qui Deus est, honorificabitur ; -2) nec vile esse potest ministrare mihi, qui Filius Dei Patris sum, adeoque ipse Deus.— Non dicit, *ego honorificabo eum*, sed : *Honorificabit eum Pater meus;* quia audientes nondum sat altam de Christo, et majorem de Patre cœlesti opinionem habebant.

—

Explicatio secunda.

Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

1° En mysterium mortis Christi, ejusdemque mortis effectus. -1) Mors illa Domini, figurata sacrificio ac morte Abel, sacrificio Melchisedech, sacrificio Abrahæ, sanguine agni Paschalis, aliisque typis innumeris, per Judæorum malitiam in cruce impleta est : — sed ita, ut et ipsa mors cruenta Domini, figura esset mortis mysticæ veteris hominis atque peccati, ab unoquoque nostrum subeundæ. Voluit enim Deus, ut omni sensu executionem acciperet primitus lata sententia: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris* (Gen, II, 17.). Scilicet *morieris* tum morte corporali, tum morte animæ per

peccatum mortale ; et, ut per Christum libereris, necesse erit, ut moriaris mystice, morte veteris hominis.

-2) Effectus, seu fructus mortis Dominicæ est, -*a*) nostra redemptio et salus æterna, dummodo conditiones a Deo requisitas impleamus. -*b*) Fides innumerabilium hominum, qui Ecclesiam constituunt. -*c*) Gratiæ abundantes, indesinenter hominibus concessæ. -*d*) Christi resurrectio et gloria in cœlis. -*e*) Nostra quoque resurrectio et gloria futura, qua Christo exemplari nostro simillimi evademus.

2° *Si granum frumenti mortuum fuerit...* En juxta exemplar Christi, mors Christiani, ejusdemque mortis fructus. -1) Mors Christiani est vel cruenta vel incruenta : -*a*) cruenta est martyrium ; *b*) incruenta est mortificatio et abnegatio, quæ etiam mors veteris hominis dicitur, qua mori debemus : peccato, — mundo et pompis ejus, — nobismetipsis et concupiscentiis nostris. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis ejus.* Gal. V, 24.

-2) Fructus hujus mortis est, -*a*) respectu nostri : vita nova, per gratiam et virtutes in hoc mundo ; per gloriam et resurrectionem carnis in futuro. -*b*) Respectu aliorum : salus multorum, quam homines mortificati impetrant a Deo, vel per efficaciam verbi atque exempli sui operantur ; adeo ut justorum mortificatio, fere sicut sanguis martyrum, semen sit virtutis et sanctitatis in mundo ; atque dicere sibi quisque possit : *Si* mihi ac mundo *mortuus fuero, multum fructum afferam.*

3° *Nisi mortuum fuerit...* En hujusmodi mortis necessitas. Nisi Christianus moriatur, sive cruente, ubi Deus id requirit ; — sive saltem incruente, quod Deus semper postulat, *solus manet.* Quæ solitudo hominis absque Christo, ejusque gratia, sterilitatem, ac privationem salutis indicat. — Quod si solus, seu sterilis est futurus homo ex parte Christi, non solus erit ex parte diaboli : et fructibus mortis, id est, peccatis abundabit...

4° Quinam sunt illi qui mortem hanc evangelicam subierunt ? — R. -1) Apostoli : *Quasi morientes, et ecce vivimus* (II Cor. VI, 9.) -2) Martyres, quorum sanguis semen Evangelii fecundat, et ipsemet semen est fidelium. -3) Confessores et

Virgines, qui mundi divitias, honores et gaudia conculcantes, Christique mortificationem in corpore suo circumferentes, Domini bonum odorem sparserunt per orbem. -4) Omnes boni Christiani, qui Christi legem crucemque amplectentes, in medio nationis pravæ atque perversæ, tanquam luminaria effulgent, et fructum afferunt in patientia.

Qui amat animam suam perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

1° Quis est amor ille funestus animæ, quo anima perditur? —1) Est ille quo vita temporalis anteponitur legi Dei, prout fit ab apostatis : hi enim dum fidem negant, crucem conculcant, vel idolis thus adolent timore mortis, corporalem vitam præferunt mandatis Dei. — Idem faciunt illi qui legem Dei violant, injustitias committunt, ne ex vita commodiore excidant, ab officio destituantur, etc. : *quia*, ut aiunt, *vivere oportet*. — Iste malus amor vitæ, animam perdit ac damnat.

-2) Malus amor animæ est quoque ille, quo vita sensualis, seu veteris hominis, quæ in cupidine divitiarum, honorum et voluptatum sita est, præfertur mortificationi ac abnegationi christianæ... — Ille amor vitæ veteris obstat, quominus accipiamus vitam et plenitudinem vitæ novæ quam attulit Christus : *Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant*. Joan. X, 10.

2° Quodnam est odium salutare sui, quo anima salvatur? — Est abnegatio evangelica, contemptusque jucunditatum hujus sæculi, quo fit ut Christi discipulus se gerat erga semetipsum, id est, erga hominem suum veterem, velut erga inimicum : ei negando quod appetit, — ei imponendo quæ refugit...

3° Quomodo anima custodienda est? — Animam custodire est -1) diligenter servare ejus vitam, nempe gratiam; et -2) ejus thesauros, nempe virtutes ac merita. — Jam vero gratia servatur fugiendo peccata et peccandi pericula, frequentando orationem et sacramenta; custodiendoque ab omni

inordinatione cogitationes mentis, affectus cordis et portas sensuum, oculorum præcipue, aurium et linguæ.... — Virtutes vero, assiduo earum exercitio, et humilitatis velamine custodiendæ sunt.

Notare interim juverit, hæc omnia ad animæ custodiam pertinentia, mortificationem includere atque sanctum odium sui : *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.*

Si quis mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

En officium ministrorum Christi proprium, et præmia magnifica eis a Domino promissa.

1° Quis est minister Christi? — 1) Minister seu servus Christi est quicumque Christianus, qui Christum non tantummodo ut Magistrum, sed etiam ut Dominum agnoscit, cujus famulatui sese pacto baptismali obstrinxit.

-2) Minister Christi peculiari titulo est, quicumque superior, Dei ac Domini nostri nomine subditos gubernans : ut paterfamilias, magistratus, etc. *Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes... Non est enim potestas nisi a Deo* (Rom. XIII, 6, 1, 4). — *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo... ut servi Christi.* Eph. VI, 5.

-3) Minister Christi, sensu maxime proprio, est quilibet sacerdos, ministerio Ecclesiæ et altaris addictus et consecratus : minister verbi, minister sacramentorum, minister altaris et sacrificii, Christi vicarius, ejusque muneribus fungens. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* I Cor. IV, 1.

-4) Ministri Christi invisibiles sunt angeli (Matth. IV, 11), quos tamen mysteriorum suorum dispensatores non constituit : *Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Hebr. II, 16.

2° Quodnam est proprium ministrorum Christi officium? — R. Sequendi ac imitandi Christum : *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* — Sequendus est Christus in via puritatis, humilitatis, laboris et crucis. *Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat;* quapropter *qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcessor est, sicut ministrator* (Luc. XXII, 27). — Quanto autem altior quis Dei minister est, tanto perfectior esse debet Christi imitator, ut dicere possit : *Imitatores mei estote sicut et ego Christi* (I Cor. IV, 16) ; tanto quoque Christo conjunctior, secundum illud : *Manete in me, et ego in vobis.* Joan. XV, 4.

3° Quodnam generatim erit ministrorum Christi præmium? — R. Ut ipsius Christi, Domini sui, gloriæ ac beatitudinis consortes fiant. *Ubi sum ego,* inquit, *illic et minister meus erit. — In domo Patris mei mansiones multæ sunt... et si abiero, et præparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad me ipsum : ut ubi sum ego et vos sitis* (Joan. XIV, 3). — *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.* Apoc. III, 21.

4° Quantus, in particulari, honor ministris Christi promissus est? — R. Honor maximus qui hominibus competere possit; quandoquidem ab ipso Altissimo præstabitur : *Honorificabit eum Pater meus.* — Honorat autem Pater cœlestis ministros Christi, dum eos facit honorabiles, et in eam provehit dignitatem ac altitudinem, ut honorentur ab hominibus et angelis.

Quare ministrantes Christo honorabuntur, -1) in hac vita, tum ratione dignitatis Domini sui, quæ in ipsos redundat, et *cui servire regnare est;* — tum ratione muneris sui, si ad ministerium altaris fuerint promoti ; — tum ratione reverentiæ populorum, si officio apostolico seu pastorali funguntur, portantes nomen Domini coram populis et regibus terræ.

-2) Honorabuntur et in altera vita, præsertim in die judicii, coram angelis et omnibus hominibus. *Quum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Matth. XIX, 28.

Quam fideliter autem Dominus ministris suis promissum honorem tribuat, videre est in Apostolis : qui piscatores et humiles cum essent, tanto nunc in honore sunt, ut coram ipsorum imaginibus et reliquiis, reges ac principes genua flectant in terris ; — in cœlis vero, quanto honore ab angelis afficiantur, quam honorifice a Deo ipso tractentur, quos filiorum sibi charissimorum nomine et hæreditate cumulavit, enarrari non possit. Merito ergo exclamat Propheta : *Nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Ps. CXXXVIII.

COMMUNE PLURIMORUM MARTYRUM.

—

Evangelium primum.

Luc. XXI, 9-19. Dixit Jesus discipulis suis : Cum audieritis prælia et seditiones, nolite terreri : oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis : Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum. Et terræ motus magni erunt per loca, et pestilentiæ et fames, terroresque de cœlo et signa magna erunt. Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, et persequentur tradentes in synagogas et custodias, trahentes ad reges et præsides, propter nomen meum. Continget autem vobis in testimonium. Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis : ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. Trademini autem a parentibus, et fratribus, et

---

Matth. XXIV, 6 10. Audituri enim estis prælia et opiniones prælio-rum. Videte ne turbemini : oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis : consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiæ et fames et terræ motus per loca. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos ; et

cognatis, et amicis; et morte afficient ex vobis; et eritis odio omnibus propter nomen meum : et capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras.

---

eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem.

Marc. XIII, 7-13. Quum audieritis autem bella et opiniones bellorum, ne timueritis: oportet enim hæc fieri; sed nondum finis. Exsurget enim gens contra gentem, et regnum super regnum, et erunt terræ motus per loca, et fames. Initium dolorum hæc. Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis, et ante reges et præsides stabitis propter me, in testimonium illis. Et in omnes gentes primum oportet prædicari evangelium. Et quum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini : sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini : non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium; et consurgent filii in parentes, et morte afficient eos. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit.

Explicatio prima.

Feria tertia majoris hebdomadæ, cum sederet Dominus in monte Oliveti (1), accesserunt ad eum discipuli, interrogantes quænam signa secundi ipsius adventus in fine mundi essent futura : *Quod signum adventus tui et consummationis sæculi?* (Matth. XXIV, 3.) — Respondet Dominus discipulis interrogantibus ita, ut verba sua ad omnes postmodum in ipsum credituros dirigat, quos discipuli repræsentabant. Respondet autem varia signa indicando, quorum duo præsenti Evangelio continentur : nempe calamitates publicæ per orbem, et persecutiones cruentæ. Tres autem partes distingui possunt.

I. *De futuris calamitatibus mundi.*
II. *De futuris tribulationibus discipulorum.*
III. *De assistentia divina patientibus discipulis affutura.*

Quum audieritis prælia et seditiones, nolite terreri : oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis.

Sensus est quasi diceret : Videbitis societatem civilem universam bellis perturbari atrocibus, quorum exordia terrendis rumoribus, atque seditionibus, seu, ut nunc temporis dici solet, *revolutionibus* significabuntur. Quæ quidem signa minime timete, attente vero considerate. Sunt enim præviæ calamitates, quæ, ut decreta divinæ justitiæ impleantur, finem mundi aliquamdiu præcedere debent.

Tunc dicebat illis : Surget gens contra gentem... et signa magna erunt.

Cum generatim prælia prænuntiasset Dominus, paululum, ut videtur, in loquendo substitit; deinde pergens, magis in

(1) Cf. *Evang Dominicar.* t. II, ult. post Pentec.

particulari futura bella declaravit, simulque indicavit alias calamitates venturas : *Tunc dicebat illis.*

Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum. Universale bellum significatur, quo gentes et regna inter se commovebuntur, sicut fluctus maris, sævientibus procellis.

Terræ motus magni erunt per loca : id est, in locis variis et multis, terræ motus erunt, quibus non tantum domus concutiantur et corruant, sed integra oppida subvertantur.

Pestilentiæ et fames, puta sævissimæ, sicut illæ bellicæ vastationes, ex quibus consequentur. De cætero omnes istæ plagæ tanquam severissimæ atque insolitæ intelligendæ sunt, ut a communibus calamitatibus distingui, et ultimæ mundi catastrophes signa esse possint.

Terroresque de cœlo, et signa magna erunt : id est, signa seu monstra in aere, insolita et terribilia apparebunt. Etsi ignoramus quænam hæc signa futura sint, existimare tamen licet fore ut sint præcedentibus analoga, et in atmosphæræ perturbationibus consistant ; proinde eruptura tonitrua, fulgura, ventorum turbines, aliaque hujusmodi dirissima ac prorsus insolita. — Non agi hoc loco de signis in sole et stellis inde concludendum videtur, quod de sole et stellis infra sermo fiat (versu 25).

Qui hæc verba Domini non tantum ad finem mundi, sed etiam ad Jerosolymæ excidium referunt, hujusmodi signa fuisse dicunt illa, quæ a Flavio Josepho (1) et ab Eusebio (2) narrantur : nimirum, incubuisse per annum integrum Jerosolymis horribilem cometem, forma gladii ; in aere apparuisse armatas acies ; in templo, die Pentecostes, auditam vocem angelorum : *Migremus hinc ;* etc.

Sed ante hæc omnia, injicient vobis manus suas, et persequentur... propter nomen meum.

Alterum signum, persecutio, præ aliis persecutionibus violenta, atque ita insolita ac universalis, ut signum finis mundi esse intelligatur. — Persecutiones itaque communes, quas

(1) *De bello Jud.* l. VII, cap. 12. — (2) *Hist.* l. III, cap. 8.

Dominus Ecclesiæ suæ perpetuo affuturas alibi prædixit (Joan. XV, 20), persecutionis extremæ tantum imagines quædam præviæ erunt.

Quod dicit *ante hæc omnia*, indicat persecutionem orituram ante bella et reliqua mala, quæ solent ex impietate et perditis moribus tanquam ex sua causa procedere.

Persequentur tradentes in synagogas, puta ad flagellandos vos : *In synagogis vapulabitis* (Marc.). Flagellatio enim tanquam religiosa pœna, a Judæis in synagoga infligi solebat. Porro nomine synagogæ, seu flagellationis et custodiæ, omnigena supplicia intelligenda veniunt, quibus fideles exagitabuntur, eo quod Christi religionem ac nomen profitentur : *Propter nomen meum.* — Illud *tradentes in synagogas*, respicit Judæos ; quæ autem adduntur pertinent ad gentiles.

Trahentes ad reges et præsides : scilicet, tanquam judices, ut interrogantibus eis de fide vestra respondeatis. — Jam vero hæc vobis occasio erit præclarum perhibendi testimonium :

Continget autem vobis in testimonium.

Testimonium de Christo intelligitur, et sensus est : Ut ex vestro de me testimonio, vestraque fidei professione, me meamque religionem cognoscant ; adeoque ut per ipsas persecutiones Evangelium et via salutis omnibus innotescat et offeratur.

Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis : ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.

Explicat quomodo futurum sit, ut testimonium eorum evadat tam præclarum et efficax : Ego, inquit, per Spiritum sanctum loquar in vobis ; ita ut de modo respondendi judicibus non debeatis esse solliciti. — Similiter alibi dixit : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (Matth. X, 20). — Divinam hic assistentiam

ac perpetuum auxilium martyribus suis solemniter promittit; quæ promissio mirabiliter omni ævo impleta apparuit. Nam ab initio de Stephano protomartyre jam legimus, Judæos adversarios *non potuisse resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur* per os ejus. Act. VI, 10.

Illud *non præmeditari* indicat quoque, omnimodam fiduciam esse constituendam in Christi gratia, per quam solam, non per humanas vires, martyres constantia pollere possint.

Quod dicit, *cui non poterunt resistere*, triumphum veritatis significat, quam carnifices, etsi corpora opprimunt, vincere nequaquam valebunt; sed potius, vel inviti, magis manifestam reddent.

Trademini autem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis; et eritis odio omnibus propter nomen meum.

Post explicationem testimonii, redit ad ipsam persecutionem, ejusque vim et universalitatem vivide describit, quasi diceret : Quicumque fideliter meum nomen ac fidem profitebuntur, universali et atroci odio erunt obnoxii; adeo ut ubicumque terrarum fuerint, quasi nullum amicum, ne inter ipsos propinquos suos inveniant : sed ab omnibus impetantur ad vexationem, et sæpe ad mortem.

Et capillus de capite vestro non peribit.

Furori hominum iterum opponit protectionem Dei, quasi diceret : Quamvis sæviant in vos, et lædere vos velint, aut etiam vos destruere sibi videantur; nihil tamen nocere vobis poterunt : nam ita illæsi manebitis, ut *ne capillus quidem de capite vestro sit periturus*. — Quod quidem duplici sensu intelligi potest : 1) respectu sæculi præsentis : et ita significat, providentiam specialem martyribus affuturam, sine cujus permissu, ne unus quidem capillus eorum unquam lædi poterit; — quæ non raro eos a periculis custodiet; — quæ sæpe quidem permittet ut affligantur et occidantur, sed ita, ut tormenta semper eorum viribus sint attemperata. *Tanquam aurum in fornace probavit illos* (Sap. III, 6). — *Fidelis Deus*

est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. I. Cor. X, 13.

-2) Intelligi idem potest respectu sæculi futuri : ut significet, in resurrectione gloriosa integritatem membrorum, totiusque corporis eis restitutum iri ; quem sensum Dominus principaliter intendit.

In patientia vestra possidebitis animas vestras.

In patientia, id est, per patientiam seu perseverantiam vestram, constanti nempe malorum tolerantia ; quasi diceret : Tantum abest, ut ex persecutionibus detrimentum ullum capiatis, ut potius ex iis vitam et salutem sitis accepturi. Etenim per tribulationem patienter ac perseveranter toleratam animas vestras incolumes custodietis et salvabitis : *Qui sustinuerit in finem, hic salvus erit* (Marc.). — Quibus verbis Dominus æternam salutem Martyribus promittit.

—

Explicatio secunda.

Quum audieritis prælia et seditiones, nolite terreri.

Dominus calamitates et tribulationes multas nobis annuntiat, et simul terreri nos vetat : ut discamus fortitudinem christianam, qua tribulationes prævidere et exspectare debemus, non vero timere.

1° Tribulationes omnigenas exspectare debemus in hoc mundo, usque ad mortem obventuras : *Nondum statim finis.* — Etenim non est discipulus supra Magistrum, qui et ipse tribulationes expertus est, semper crescentes usque ad mortem crucis...

2° Terreri non licet : -1) quia malum non afferunt, sed utilitatem animæ ; -2) quia Dominus ipse confirmat nos verbo, exemplo, et adjutorio : *Cum ipso sum in tribulatione : eripiam eum et glorificabo eum.* Ps. XC.

Surget gens contra gentem... et signa magna erunt.

Quinque genera calamitatum recensentur, quæ totius naturæ perturbationem conficiunt : nimirum bella, seu perturbatio societatis humanæ ; terræ motus, seu perturbatio habitationis humanæ ; pestilentiæ, seu perturbatio corporis humani ; fames, seu perturbatio plantarum et animalium ; terrores de cœlo, seu perturbatio aeris.

Hinc docemur quid sit peccatum. Nam præfatæ calamitates, quæ tanquam signa indicantur proximæ consummationis sæculi, simul pœnæ sunt peccati. Et quidem pœnæ sunt adaptatæ peccato, illud aliquomodo repræsentantes, sive per similitudinem, — sive per disparitatem, — sive per causam aut effectum.

1° Turbatio ordinis naturalis, imago peccati est quo turbatur ordo moralis. — Natura velut insurgit adversus hominem, eo quod homo adversus Deum suum insurgere est ausus. — Rebus omnibus naturalibus peccatores puniuntur, eo quod ad peccandum omnibus sunt abusi...

2° *Puniuntur bello :* -1) quia peccando bellum intulerunt Deo, Domino suo, cui rebelles facti sunt, dicendo : *Non serviam* (Jerem. II, 20). —2) Quia pace mundana et præpostera frui voluerunt, potius quam certare bonum certamen adversus mundum, carnem et diabolum...

3° *Puniuntur terræ motibus :* -1) quia ipsi moti non sunt salutari timore Dei. -2) Quia terræ divitias quæsierunt et bonis adhæserunt perituris...

4° *Puniuntur pestilentiis :* -1) quia amaverunt peccatum, quod est pestis animarum, animam peccantis occidens et putrefaciens, animasque aliorum suo afflatu inficiens... -2) Ut in carne pœnam accipiant, peccatis carnis speciatim debitam...

5° *Puniuntur fame :* -1) quia rejecerunt verum animæ panem, voluntatem nempe Dei, ejusque legem. -2) Quia peccando manducaverunt fructum vetitum pravæ voluptatis. -3) Ut accipiant pœnam intemperantiæ...

6° *Puniuntur terroribus de cœlo:* -1) quia iram Dei accenderunt. -2) Quia caput superbe in cœlum extollere ausi sunt. -3) Quia cœlum contempserunt cœlique militiam et potestatem : quasi vana figmenta essent, nihilque præter hæc infima, terrena et humana, uspiam existeret...

Injicient vobis manus suas,
et persequentur.....

En persecutiones patiendæ : quæ sunt multiplices, necessariæ, et maxime fructuosæ.

1° *Persecutio* generatim est quælibet impugnatio aut vexatio, homini illata propter fidem Christi : id est, quia Christo fideliter adhæret, et eo fine ut a Christo deficiat. — Distinguitur autem persecutio multifariam : est enim -1) persecutio externa, domestica, vel interna; -2) manifesta et violenta, vel occulta et fraudulenta, aut etiam illecebrosa.

-1) Persecutio -*a*) *externa*, ea est, quæ ab hominibus impiis, Ecclesiæ hostibus infertur. Persecutores hujusmodi esse solent *reges et præsides*, seu principes civiles, sive ethnici, sive hæretici, sive apostatæ catholici. *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus* (Ps. II). —*b*) Persecutio *domestica* ea est, quæ a catholicis hypocritis, perfidis, vel etiam tantum imprudentibus ac debilibus provenit : qui omnes communi nomine *falsi fratres* vocari possunt : *Trademini a parentibus et fratribus.* — *c*) Persecutio *interna* oritur, tum ex proprio corde, atque carne quæ concupiscit adversus spiritum; tum ex inimico diabolo, qui internis animæ cogitationibus et affectibus sese insinuat...

-2) Persecutio -*a*) *manifesta* et *violenta* fidem catholicam aperte proscribit, et confiscationem bonorum, carceres vel mortem adhibere solet : ut Nero aliique tyranni fecerunt. -*b*) *Occulta* et *fraudulenta*, fidem Christi non expresse proscribit, imo eam permittere fingit; sed interim variis modis atque artificiis eam ita impedire et velut irretire satagit, ut ejus professionem impossibilem reddat. Sic Julianus apostata, sic moderni Francomuratores Ecclesiam persequuntur.

-*c*) *Illecebrosa* persecutio, temporalia commoda ac divitias promittendo, malos libros aliaque scandala et passionum blandimenta spargendo, fidem ac virtutem corrumpere studet. — Qui quidem varii persecutionis modi non raro permiscentur, et pro circumstantiis usurpantur simul...

2° Persecutiones sunt necessariæ, non tantum Ecclesiæ generatim, sed etiam singulis fidelibus : -1) quia Christi religio, essentialiter pravis hominum passionibus adversatur, quæ propterea necessario adversus eam insurgunt. Quare Apostolus pronuntiat : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur* (II Tim. III, 12). — *Quia de mundo non estis*, inquit Dominus, *sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*. Joan. XV, 19.

-2) Quia adversarius Christi, diabolus, perpetuo furore Ecclesiam impugnare non desinit.

-3) Quia persecutiones prænuntiatæ sunt nobis : *Si me persecuti sunt, et vos persequentur*. Joan. XV, 20.

-4) Quia Christus persecutiones passus est, et *non est servus major Domino suo*. Joan. XV, 20.

-5) Quia secus timendum foret, ne funesta securitate ac negligentia torperemus : sunt enim persecutiones virtutis stimulus, ut ex dicendis patebit.

3° Persecutiones sunt maxime fructuosæ, tum fidelibus qui eas patiuntur, tum aliis qui patientiæ sunt spectatores.

Nam -1) fidelibus qui eas patiuntur, persecutiones sunt -*a*) virtutis exercitium saluberrimum : divinus enim agricola sic *purgat palmitem, ut fructum plus afferat* (Joan. XV, 2). — *Virtus in infirmitate perficitur* (II Cor. XII, 9), et *tanquam aurum in fornace* probanda est. — Persecutiones sunt -*b*) materia meriti et gloriæ præclarissimæ in cœlo : *Gaudete in illa die et exultate : ecce enim merces vestra multa est in cœlo*. Luc. VI, 23.

-2) Persecutiones prosunt earum spectatoribus. — Sunt enim eximium de Christo testimonium, quo fidei veritas et gratiæ efficacitas omnibus demonstrantur. Sunt velut ignis, quo spirituale thus christianæ fidei crematum, suavem odorem spargit; et merito Ecclesia thuribulo comparatur, quod quanto vehementius agitatur persecutionibus, tanto magis

divinis flammis exardescit, et Christi odorem per orbem diffundit. Ideo Dominus dicit : *Continget vobis in testimonium.* — Et : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Matth. V, 10.

Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.

1° En motivum fiduciæ in persecutionibus tolerandis : Christus ipse, suis militibus assistens : *Cum ipso sum in tribulatione* (Ps. XC). — Adest autem, non ut auferat pugnam, sed ut præstet victoriam ; non ut calicem transferat a nobis, sed ut discipulos ad eum hauriendum confortet : divino eos Spiritu replendo, Spiritu intelligentiæ et fortitudinis invictæ... — Ut autem Christi Regis sui virtute polleant, in ipso solo confidere debent, in se nequaquam ; sed de viribus suis prorsus diffidant oportet, nec ullo modo iis innitantur; nec terreantur aut solliciti sint : *Non præmeditari ;* Christi auxilio nempe unice et firmissime freti.

2° En quoque victoria Martyrum : *Non poterunt resistere omnes adversarii vestri ;* quamvis occidere vos possint.

-1) Dat igitur Christus martyribus victoriam, non externam, sed internam. Externe enim, et quoad exteriorem hominem, succumbunt et vincuntur, sicut Christus in cruce ; interne vero, et quoad interiorem hominem, qui fide et charitate Christi vivit, non succumbunt, sed permanent immobiles, infracti, et omni morte superiores : iterum sicut Christus in cruce...

-2) Dat eis triumphum similem suo. — Jam in hoc mundo, martyres laudibus exaltari solent ; — sed in cœlo palmas et coronas gloriæ immarcescibiles accipiunt ; — in resurrectione vero, sua corpora recuperabunt, Christi corpori glorioso simillima : *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Phil. III, 21.

Et capillus de capite vestro non peribit.

1° En quomodo Christus fideles suos, et omnia quæ ad eos pertinent, custodiat in hoc mundo, dummodo ipsi pro Domini sui causa militent aut patiantur. Nulla humana potestas eos attingere valet, nisi Christo permittente : *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Joan. XIX, 11.

2° En quomodo corpora eorum, cineres et ossa custodiat Dominus, mox meliore in statu restituenda. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Ps. XXXIII. — Quapropter et nos reliquias Sanctorum, tanquam pretiosissima pignora custodimus ac veneramur, mox in cœlis exaltanda.

3° En quomodo Dominus quæcumque pro ejus nomine sacrificantur, melius sit restituturus : corpus, vitam, sanitatem, libertatem, bona fortunæ, etc. ; prout ille Machabæus martyr dicebat : *Propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.* II Machab. VII, 11.

In patientia vestra possidebitis animas vestras.

1° Hoc oraculo Dominus docet nos *necessitatem* tum tribulationis, tum virtutis patientiæ : ad quam christiana vita tota reducitur, quæque salutis certissima at necessaria conditio est; quasi diceret : *In patientia*, eaque sola, *possidebitis animas;* ita ut sine patientia animas sitis perdituri. — Ergo tribulatio, quæ est materia patientiæ, medium certum præbet salutis ac sanctificationis ; sicut mundana prosperitas periculum continet perditionis...

2° Docet nos *pretium* tribulationis patienter toleratæ : per eam possidebimus animas nostras : id est, quidquid habemus pretiosissimum, salutem ac vitam animarum, earumque divitias, quæ sunt virtutes variæ, in patientia inveniemus, acquiremus et augebimus... Quare S. Jacobus ait ; *Patientia opus perfectum habet.* Jac. I, 4.

—

COMMUNE PLURIMORUM MARTYRUM.

Evangelium secundum.

Luc. VI, 17-23. Descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judæa et Jerusalem, et maritima, et Tyri et Sidonis, qui venerant ut audirent eum, et sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere; quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes. Et ipse elevatis oculis in discipulos suos, dicebat : Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis quum vos oderint homines, et quum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis. Gaudete in illa die, et exultate : ecce enim merces vestra multa est in cœlo.

Matth. V, 1-12. Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem ; et quum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et aperiens os suum docebat eos, dicens : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis quum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me : gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Explicatio prima.

Evangelium hic occurrens est de *Beatitudinibus* secundum Lucam, et similitudinem habet cum Evangelio festivitatis Omnium Sanctorum, quod Beatitudines exhibet secundum Matthæum (1).

Utrum autem concio Domini de qua loquitur Lucas, eadem sit ac illa quæ a Matthæo (cap. V et seqq.) refertur, et *Sermo in monte* vocari solet, disputant interpretes. Primo quidem intuitu videtur diversa, cum circumstantiæ diversæ esse appareant. Nam -1) apud Matthæum Jesus *ascendit* in montem; apud Lucam vero de monte *descendit*. -2) Illic loquitur *sedens* in monte; hic vero dicitur *stare* in loco campestri. -3) Illic *octo* Beatitudines recensentur; hic *quatuor* dumtaxat, nec eodem modo propositæ. Ergo differentia non exigua indicare videtur, Dominum diversa occasione doctrinam eamdem, non eodem tamen modo atque ordine proposuisse. Atque id eo probabilius est, quod aliunde dubium non sit, quin Dominus quum doceret, certa documenta sæpius proposuerit ac repetiverit.

Nihilominus, si attentius omnia considerentur, non obscure apparet, præfatas differentias apte inter se conciliari posse, prout plerisque auctoribus conciliandæ visæ sunt. Nimirum, -1) Dominus *ascendit* in montem pridie vespere, et mane *descendit* e fastigio ad partem ejusdem montis procliviorem et campestrem. -2) Ibi *stetit*, id est, substitit, ulterius non descendendo, et exspectavit turbas; quæ cum accessissent, ipse *consedit* ut doceret. -3) Quod si unus Evangelista octo recenset Beatitudines, alter quatuor, easque diversis verbis, tamen, ut adnotat S. Ambrosius, in illis octo hæ quatuor continentur.

Quæcumque demum opinio præplaceat, illud certum est, circumstantias hic a Luca referri novas, quæ a Matthæo non

(1) Cf. *Evangelia dominic.* tom. 2, in festo *Omn. Sanct.*

referuntur, et propterea in præsenti expositione considerandæ sunt.

I. *Infirmorum sanatio.*
II. *Domini prædicatio.*

Cum descendisset Jesus de monte, stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis...

Sub medium, ut videtur, Maii, anno prædicationis Domini secundo, cum venisset ad montem quemdam Galilææ, tribus milliariis Capharnao distantem, ibique multos infirmos sanasset, ascendit in montis fastigium, ibique orando pernoctavit. Sequenti mane vocavit ad se discipulos suos, inter quos elegit duodecim Apostolos, quibuscum de montis vertice descendit ad locum campestrem, in ipso clivo, nec longe a montis radicibus situm. Illuc accesserunt ad eum turbæ quæ in valle remanserant, ita ut tres personarum classes Dominum circumstarent : -1) duodecim Apostoli ; -2) reliqui discipuli qui Christum perseveranter sequebantur, ut ejus doctrinam audirent : *Turba discipulorum ;* -3) multitudo varia, undequaque congregata : *Multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, et Jerusalem, et maritima, et Tyri et Sidonis.* Hi ad Dominum confluxerant, partim ut eum audirent, partim ut liberarentur a morbis aut a vexatione dæmonis ; partim ob utramque causam : *Venerant ut audirent eum, et sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur.*

Quod dicit de energumenis, *curabantur*, insinuat, eos ut plurimum infirmitatibus corporalibus fuisse obnoxios, quæ a dæmone infligebantur. De cætero, ægrotos simpliciter ab energumenis apprime distinguit.

Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.

Dominus ergo primum juvare cœpit omnes miseros, et quidem peculiari ratione, nimirum ope tactus, quem ab eis

patiebatur : *Omnis turba quærebat eum tangere.* Nitebantur scilicet tangere, non quidem carnem Domini, sed vestem ejus, seu, ut Matthæus habet, *vel fimbriam vestimenti ejus* (Matth. XIV, 35).

Quod autem infirmi solo tactu Domini sanabantur, id ex una parte infirmorum fidem maximam, ex altera vero, potentiam ac beneficentiam Christi commendat. Nam tanta erat hominum de Christo existimatio, ut putarent sese per minimum attactum ejus esse sanandos ; Christi autem caro erat revera adeo efficax et salutifera, ut ipsi vesti qua tegebatur suam virtutem communicaret ; quod Lucas significat dicens : *Quia virtus de illo exibat et sanabat omnes.*

Virtus, id est, mira quædam vis et efficacia ab eo prodiens, manifestabatur eo quod sanaret omnes. Quæ quidem virtus miraculosa Christo intrinsece inerat, et Homini-Deo tanquam attributum proprium competebat ; prorsusque differebat a virtute simili qua Petrus sanabat infirmos (Act. V, 15, 16) : virtus enim Petro non propria, sed a Christo velut fonte mutuata erat.

Et ipse elevatis oculis in discipulos suos, dicebat...

Hucusque Dominus oculos benigne defixos habuérat in miseros, turbatim ad pedes suos accedentes, ut vestis suæ fimbriam attingerent et sanarentur ; nunc vero, cum sanatos videt omnes, oculos attollit ut intueatur suos discipulos, quos peculiari modo alloqui intendit. Ad discipulos enim ea quæ dicturus est, directe pertinent ; indirecte tantum ad turbas.

Beati pauperes... beati qui nunc esuritis... beati qui nunc fletis...

Vox *spiritu*, quæ apud Matthæum exprimitur his verbis : *Beati pauperes spiritu*, hic similiter subintelligenda est. Non enim beatos proclamat Dominus illos, qui quomodocumque sunt pauperes, esurientes, flentes, persecutionibus obnoxii ; sed qui sancta quadam ratione, seu *spiritu*, ipso nempe Spi-

ritu sancto movente, tales existunt : qui vel hujusmodi incommoda voluntarie eligunt propter abnegationem evangelicam ; vel saltem ea, si ultro accidant, propter doctrinam et exempla Christi patienter tolerant.

Beati pauperes, id est, beati estis vos, mei discipuli, qui propter me voluntarie pauperes facti, dicere potestis : *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te.*

Beati qui nunc esuritis, id est, qui in hac vita propter me multis rebus caretis, quæ ad corporis sustentationem aut commoditatem pertinent : quia in vita futura saturabimini, illa saturitate de qua David loquitur, dicens : *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Ps. XVI.

Beati qui nunc fletis, id est, qui in hac vita propter me laboribus, doloribus et tentationibus obnoxii estis : quia in vita futura *exultabitis lætitia inenarrabili et glorificata.* I Pet. I, 8.

Beati eritis cum vos oderint homines... ecce enim merces vestra multa est in cœlo.

Quæ præcedunt incommoda, ab ipsa natura Evangelii fluunt, quod abnegationem requirit : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum* (Matth. XVI, 24) ; — quæ vero hic additur beatitudo, refertur ad incommoda extrinseca, quæ nempe ab hominum malitia oriuntur, et generali nomine *persecutionis* comprehendi solent. Sensus est quasi Dominus diceret : Beati eritis quum homines, eo quod mea præcepta fideliter sequamini, vos oderint, et odium suum in vos omni violentia et injuria exercuerint.

Quum separaverint vos : id est, quum a sua societate vos excluserint, atque proscripserint : en exilium et bonorum rapina. — *Et exprobraverint*, id est, calumniis et contumeliis affecerint : en læsio honoris. — *Et ejecerint nomen vestrum tanquam malum :* id est, ita vos rejecerint, ut vel ipsum nomen vestrum, vestramque nemoriam, si fieri possit, deleant : en supplicia et mors. Quæ si propter Christum infligantur fidelibus, eis non tristitiæ, sed summi gaudii causa esse debent. Cujus rei ratio additur : *Ecce enim merces vestra*

multa est in cœlo : id est, merces vos manet ineffabilis, digna Deo retribuente, et proportionata tribulationibus quas fideles pro Christi causa fuerint perpessi.

In ordine Beatitudinum hujusmodi quatuor, quas Lucas commemorat, hæc gradatio notari potest : prima statuit divitiarum contemptum, secunda superaddit privationes, tertia dolores, quarta tribulationes ac persecutiones extrinsecas.

—

Explicatio secunda.

Descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri, et turba discipulorum...

1° Dominus modo ascendit in montem ut oret, modo descendit ad turbas ut eas adjuvet : qua ratione agendi normam vitæ exhibet sequendam, tum suis sacerdotibus, tum quibusvis fidelibus.

Etenim -1) sacerdos ac minister Christi, vicissim debet ascendere et descendere : ascendere ad Deum per sacrificium, orationem et spiritualia quælibet exercitia ; — descendere vero ad populum, per ministerii sui functiones : dispensando sacramenta, docendo verbis et exemplis, visitando infirmos, etc. ; ad omnes, vel infimos, et ad omnium etiam parvulorum captum sese demittendo. — Quæ quidem vicissitudo orationis et operationis necessaria ita est, ut nisi quis ascendat ad agendum cum Deo, descendere non possit ad agendum secure et fructuose cum populo....

-2) Quilibet homo christianus similiter, ut christiane vivat, exemplo Christi, ascendere debet et descendere alternatim : scilicet ascendere in templum, et ad religionis officia implenda... descendere in Nazareth, ad opera externa et domestica, ac status sui munia rite obeunda. Adeo ut vita in duas partes, orationem et operationem externam, pulcherrime dividatur. — Quod quidem ita necessarium est, ut nisi Christianus ascendat frequenter ad cœlestia, nequaquam se-

cure descendere possit ad terrena; terreno enim luto mox inquinabitur et absorbebitur, terrenis illusionibus fascinabitur, et a cœlesti patria alienus fiet...

2° Dominus descendit ad infirmos, qui ascendere in ardua non possunt : ut miseri quilibet ad ipsum accedere facile possint, erudiendi et sanandi... *Ad vulnera nostra descendit*, ut loquitur Ambrosius.

-1) Hinc intelligimus Christi benignissimam misericordiam, qui propter nos homines vilissimos, et propter nostram salutem, *descendit* de cœlo in terram, descendit in stabulum nativitatis, descendit in Nazareth, in domum absconditam, in officinam obscuram; descendit in Jordanem, baptizandus aquis humiliationis; descendit in mare rubrum suæ passionis; descendit in sepulcrum, *in inferiores partes terræ*, ut inde nobiscum, quos sic liberavit, *ascenderet super omnes cœlos* (Ephes. IV, 9). — Sic, tantis nempe humiliationibus, descendit ad vulnera nostra, quantumvis insanabilia videantur, ut confidenter ab ipso sanationem petamus...

-2) Hinc intelligimus, quomodo nos descendere debeamus, per humilem misericordiam, ad fratres nostros et miseros quoslibet juvandos. Nisi benigne, humiliter, indulgenter nos ad pauperes, peccatores, eorumque vulnera inclinemus, eis efficaciter prodesse non poterimus...

Venerant ut audirent eum et sanarentur a languoribus suis.

1° Duo beneficia Dominus confert hominibus : sanat corpora, erudit mentes. — Per corporalia beneficia eos allicit et inducit ad accipiendum quod pretiosius est, beneficium spirituale disciplinæ salutis. Unde docemur, opera misericordiæ corporalia cum spiritualibus esse jungenda, et per corpora ad animas perveniendum.

2° Duo beneficia a Domino accipere debemus, doctrinam et sanationem, sicut turbæ quæ venerant ut *audirent et sanarentur*. — Indigemus sanatione, languoribus multis laborantes : quæ sunt, tum peccata, tum vitia ac passiones nostræ; tum etiam cordis perturbationes, anxietates, etc., a quibus

utique cupimus liberari. Et quidem in Christo remedium certum reperiemus dicente : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (Matth. XI, 28). — At vero sanationem non recipiemus, nisi simul divinum Magistrum *audire* velimus : tum doctrinam christianam, ut par est, addiscendo, ac viva fide credendo; tum legi christianæ debitam obedientiam præstando... Sic, audiendo Christum, sanabimur; — sicut e contra, audiendo mundum, mortifero veneno inficiemur...

Quærebant eum tangere (1).

En qua ratione sanentur : attactu, tangendo Dominum. — Quid est tangere Jesum?

1° Est viva fide orare, — sacram Communionem recipere, — eleemosynam aliave charitatis opera præstare.

-1) Sicut enim homines illi tangebant Dominum, extendendo ad pedes ejus, vel ad ejus vestimenta, manum suam; ita et nos, si fidem habemus, eumdem Dominum, sed excellentiore modo, attingimus : in S. Communione, suscipiendo carnem ejus; in oratione, penetrando usque ad cor et animam ejus; in beneficiis respectu proximi aut Ecclesiæ, attingendo membra mystica et vestimenta ejus... Quid enim Ecclesia ejusque cultus, ejusque pauperes et parvuli, nisi mysticum corpus Christi, ejusque membra, et ornatus quo vestitur? *Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato circumdata varietate* (Ps. XLIV.). — *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Matth. XXV, 40.

-2) Requiritur autem, ut fide viva hujusmodi actus præstentur; secus enim essent inefficaces, sicut sagittæ sine ictu, quæ manu parvulorum mittuntur : neque sic vere aut salubriter tangeretur Dominus. Ergo cum fide viva orandum est, quasi Deum quem alloquimur, oculis præsentem spectaremus...Similiter in proximo, cui benefacimus, Christus videndus est mystice inexistens... At præcipue in sancta Communione, Domini præsentia, non jam mystica, sed realis,

(1) Cf. *Evang. Dominic.* t. 2. Domin. 23. Pentec. ad Matth. IX, 20.

fide illa vivida apprehendenda est, quæ omnis veræ devotionis basis est et incitamentum.

2° Tangitur quoque Dominus, at male, et nequaquam salubriter, dum aliquo modo, sive in persona sua, sive in iis quæ ad ipsum pertinent, læditur aut vulneratur. Sic eum tetigerunt inimici ejus, Judas osculando, Judæi ac milites gentiles eum ligando, conspuendo, vestibus spoliando, crucifigendo, etc. In quibus tria genera actuum, superioribus pietatis actibus prorsus contraria, facile perspicimus ; eorumdemque actuum effectus, non salutiferos, sed mortiferos esse intelligimus, ut in morte Judæ, etc., videre est.

3° Porro alterutro modo ab omnibus tangendus est Christus, vel salubriter, vel exitialiter... *Positus est enim hic in ruinam et in resurrectionem multorum.* Luc. II, 34.

Sanabat omnes.

En potentia et benignitas Domini.—1° Omnes, quacumque infirmitate, quantumvis gravi et inveterata teneantur, eadem facilitate sanitatem recipiunt, dummodo Christum tangant. Cæci itaque visum, surdi auditum, muti loquelam, claudi gressum, et qui vexantur a spiritibus immundis, liberationem accipiunt : dummodo, virtute sanativa Domini, omni obstaculo devicto, sese affici sinant. — Quæ omnia sensu spirituali plenissimam veritatem habent. Ergo nemo desperet...

2° Omnes, quantumvis miseri, viles vel indigni sint, a Domino admittuntur : nec quisquam repellitur, aut suæ miseriæ derelinquitur. Ergo, quicumque in sua miseria remanet, sibimetipsi causam adscribat : *Perditio tua ex te, Israel ; tantummodo in me auxilium tuum.* Oseæ XIII, 9.

Virtus de illo exibat.

1° Non fulmina, non malum quodpiam, sed *virtus* de Domino exit, quia in ipso sunt omnes thesauri spiritus absconditi ; ut intelligamus, fore ut a nobis virtus quoque exeat, si spiritum Christi, spiritum fidei et charitatis possideamus...

2° Non sic de mundo, aut de mundanis hominibus : quorum contactus, vel potius contagium est fugiendum. Non

virtus, sed *virus de illis exit quod inficit omnes*, secundum illud : *Fascinatio nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia* (Sap. IV, 12). — Quo spectat et illud : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Eccli. XIII, 1.

Elevatis oculis in discipulos suos, dicebat ; Beati...

1° En amor peculiaris Domini erga discipulos suos : aspicit eos benignissimis oculis, et pronuntiat, atque pronuntiando efficit beatos. — At vero discipuli ejus genuini non sunt, nisi qui tales esse contendunt de quibus dicere possit : *Vos qui estis pauperes, esurientes*, etc. (1) — Tales vero erunt, quicumque aspicientem se Dominum vicissim aspiciunt fiduciæ et amoris oculo ; *Revelata enim facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformantur.* II Cor. III, 18.

2° Etsi omnes amanter aspicit, nonnullos tamen affectu diligit teneriore : eos nimirum, qui Joannem, discipulum prædilectum, castitate et simplicitate imitantur...

Ecce enim merces vestra multa est in cœlo.

En beatitudo cœlestis, gaudii causa in omni labore ac tribulatione nostra.

1° Quænam hæc merces copiosa erit? vel quid est cœlum quod nobis promittitur? — R. In hac mortali vita cognoscere illud non possumus, nisi imperfecte valde, per speculum, in ænigmate ; — in exitu autem ex hac vita, videbimus sicuti est, et videndo *exultabimus lætitia inenarrabili et glorificata.* I Pet. I, 8.

-1) Non possumus in hac vita cognoscere bona cœlestia ; sicut homo qui cœcus natus est, splendorem solis aut pulchritudinem naturæ intelligere nequit : quum lumine careat, sine quo corpora videri non possunt. Similiter cœlestia percipere non possumus, donec lumine gloriæ instruamur.

-2) Habemus tamen in hoc mundo lumen fidei, quo velut in ænigmate atque imagine, aliquam umbram, aliquem radium cœlestis splendoris percipere nobis datur. Transfigura-

(1) Cf. *Evang. Dominicar.* t. 2, *in fest. omn. Sanctor.* ad Matth. V, 3 et seq.

tio Domini, ejus resurrectio et ascensio, ejus apparitiones quibus sese spectabilem S. Paulo, S. Teresiæ, etc. obtulit, radium aliquem, etsi pallidum et mortalibus nostris oculis attemperatum, cœlestis claritatis exhibent... His addantur verba Scripturæ bene multa, ut hæc Isaiæ : *Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ : oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit; nec auferentur clavi ejus in sempiternum, et omnes funiculi ejus non rumpentur; quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster.* Isai. XXXIII, 20.

—3) In exitu ex hac vita videbimus. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus : quoniam videbimus eum sicuti est* (I Joan. III, 2). — Videbimus angelos, excipientes nos ut fratres; — Sanctos Domini, *fulgentes sicut solem in regno Patris eorum,* amplectentes nos ut socios; — Beatam Virginem... ipsum Christum, qui ostendet nos Patri, e cujus ore audiemus hæc suavissima verba : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, conformis factus imaginis Filii mei unigeniti... Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui!*

2° Quomodo hanc mercedem mereri debeamus, —1) clare a Christo indicatur, dum beatitudines, quæ in evangelica abnegatione consistunt, nobis proponit.—2) Ab ipsis Sanctis jam cum Christo triumphantibus, idem discimus : quos vidit Joannes *amictos stolis albis, et palmas in manibus eorum..... qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Apoc. VII, 9, 14.

COMMUNE PLURIMORUM MARTYRUM.

Evangelium tertium.

Matth. XXIV, 3-13. Sedente Jesu super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes : Dic nobis quando hæc erunt? et quod signum adventus tui, et consummationis sæculi? Et respondens Jesus dixit : Videte ne quis vos seducat ; multi enim venient in nomine meo, dicentes : Ego sum Christus, et multos seducent. Audituri enim estis prælia et opiniones præliorum. Videte ne turbemini : oportet enim hæç fieri, sed nondum est finis : consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiæ et fames et terræ motus per loca. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. Tunc tradent vos in tribulationem, et occident

---

Marc. XIII, 3-10, 13. Et quum sederet in monte Olivarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus et Jacobus et Joannes et Andreas : Dic nobis, quando ista fient? et quod signum erit quando hæc omnia incipient consummari? Et respondens Jesus cœpit dicere illis : Videte ne quis vos seducat : multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum : et multos seducent. Quum audieritis autem bella et opiniones bellorum, ne timueritis : oportet enim hæc fieri ; sed nondum finis. Exsurget enim gens contra gentem, et regnum super regnum, et erunt terræ motus per loca, et fames. Initium dolorum hæc. Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis, et ante præsides et reges stabitis propter me, in testimonium illis. Et in omnes gentes primum oportet prædicari

vos; et eritis odio omnibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem. Et multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum : qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

---

evangelium... Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit.

Luc. XXI, 7-15, 16-19. Interrogaverunt autem illum dicentes : Præceptor, quando hæc erunt, et quod signum quum fieri incipient? Qui dixit : Videte ne seducamini : multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum : et tempus appropinquavit; nolite ergo ire post eos. Quum autem audieritis prælia et seditiones, nolite terreri : oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis : Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum. Et terræ motus magni erunt per loca, et pestilentiæ, et fames, terroresque de cœlo, et signa magna erunt. Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, et persequentur tradentes in synagogas et custodias, trahentes ad reges et præsides, propter nomen meum. Continget autem vobis in testimonium... Trademini autem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis; et eritis odio omnibus propter nomen meum : et capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Explicatio prima.

I. *Interrogatio discipulorum de consummatione sæculi.*
II. *Responsio Domini.*

Feria tertia Majoris hebdomadæ, cum Dominus discipulis suis futuram Jerosolymæ et templi ruinam prædixisset; et paulo post super montem Oliveti in conspectu ejusdem templi sederet, accesserunt ad eum quatuor e discipulis, Petrus, Jacobus, Joannes et Andreas, eumque de prædictis eventibus interrogarunt. Accesserunt autem *secreto*, ut Matthæus ait, quia periculosum erat propter Scribas et magistratus, de templi excidio vaticinari, imo de ea re loqui et interrogare; id enim postea Judæi crimini verterunt Stephano, ut eum lapidarent : *Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum et legem. Audivimus enim eum dicentem quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum.* Act. VI, 14.

Dic nobis quando hæc erunt? et quod signum adventus tui et consummationis sæculi?

Res duas interrogant : 1° Quando erunt *hæc*, id est, excidium urbis et templi, de quo Dominus paulo ante locutus erat ; 2° quo signo annuntiabitur secundus Christi adventus et consummatio sæculi, id est, finis mundi? — Putabant scilicet Apostoli, hæc tria eodem tempore esse eventura : excidium urbis, excidium orbis, et diem Judicii ; cumque ex Christi verbis cognovissent imminere jam ruinam urbis, inde opinabantur instare pariter excidium orbis et adventum Christi judicis, seu diem judicii. Qua ex opinione prodiit duplex eorum quæstio.

Illam fortassis opinionem ex verbis Domini collegerant, paulo ante pronuntiatis ad Judæos : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis : Non me videbitis amodo, donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini*

(Matth. XXIII, 38, 39). Quibus verbis ruinam Jerosolymæ cum adventu suo glorioso Christus conjungere videtur; at licet ambos eventus verbis conjungat, nequaquam tamen pronuntiat ambos eodem tempore eventuros.

Et respondens Jesus dixit eis...

Ad utramque discipulorum quæstionem respondet, et quidem incipit a secunda, indicando *signa adventus sui et consummationis sæculi*. Sunt autem signa sequentia : 1° pseudochristi; 2° bella, aliæque calamitates sævissimæ; 3° persecutio universalis et atrox, quæ magnæ defectionis causa erit; 4° pseudoprophetæ; 5° refrigescentia charitatis in ipsis fidelibus.

Quamquam non desunt interpretes, qui putant, hæc signa adeoque hæc verba Domini, ad utramque propositam quæstionem simul pertinere. Et re quidem vera, duo illa eventa, excidium Jerosolymæ, et excidium orbis, licet tempore distantia, inter se connexa sunt. Nam -1) unum est figura alterius; -2) ambo ad unius divinæ operationis seu providentiæ actum pertinent : qui actus est *vindicatio Christi in terris*, tum respectu Israelis, tum respectu Gentium. Hinc fit, ut mente prophetica duo illa simul spectari, et velut confundi possint. — His tamen non obstantibus, utrumque eventum a Domino distingui, et utriusque distincta signa indicari videntur.

Porro responsionem Christus dirigit, non ad interrogantes tantum discipulos; sed in eorum persona, ad omnes per decursum temporis in ipsum credituros.

Videte ne quis vos seducat : multi enim venient in nomine meo...

Primum signum : prodibunt pseudochristi, *in nomine meo :* id est, nomen meum falso usurpantes. Tales erunt hæresiarchæ plurimi, aliique impostores, sicut olim Simon Magus, præstigiis variis divinitatem sibi affingentes; talis erit præsertim Antichristus.

Audituri enim estis prælia... et terræ motus per loca (1).

Audituri *enim,* id est, audituri *autem* (græce δέ); nam alterum jam signum enuntiatur : nimirum corporales plagæ et bella ab hostibus, quæ opponuntur morali plagæ et bello a seductoribus; quare particula adversativa *autem* requiritur.

Videte ne turbemini : id est, cavete ne, vel metu hostium a fide deficiatis; vel desperatione fructus referendi, a prædicatione Evangelii mei cessetis. — Causam cur turbari non debeant subjicit, dicens : *Oportet enim hæc* prælia et seditiones seu revolutiones *fieri, sed nondum est finis :* id est, ex decreto divinæ justitiæ, non statim erit finis sæculi, nec præviarum calamitatum; nam unius calamitatis finis, alterius erit principium. Quapropter *ne turbemini* ut animo cadatis; sed majores assumite animos, ut vos ad majora mala præparetis; neque expectate pacem in terra, sed militiam esse totam vitam vestram intelligentes, ad bellum vos accingite, et bonum certamen certando ad coronam pacemque futuram tendite.

Hæc autem omnia initia sunt dolorum.

Dolores majores et extremos intelligit, quibus velut convulsionibus agonizans mundus torquebitur. Sicut enim in morituris hominibus sensim et gradatim accrescunt dolores, donec adeo ingravescant ut perimant; sic fiet sub excidium orbis. *In occasu sæculi,* inquit Ambrosius, *præcedent quædam ægritudines mundi* (in Luc. XXI, 9). — Quæ analogia inter mortalis hominis vitam, et humani generis ac mundi decursum, si extendatur, ostendit, quaslibet quovis tempore occurrentes calamitates, velut præambula esse et imagines convulsionis finalis.

Tunc tradent vos in tribulationem... et invicem tradent, et odio habebunt invicem.

En signum tertium : persecutio vehemens et funesta. *Tradent vos in tribulationem,* id est, comprehendent vos et

(1) Cf. supra, *Plurim. Mart.* Evang. I. Pag. 94 seqq.

tradent in carceres, ad supplicia, etc. — *Et eritis odio omnibus gentibus* : en causa persecutionis universalis, odium universale. — *Propter nomen meum*, en causa odii, nomen ac religio Christi.

Et tunc scandalizabuntur multi : id est, persecutio tanquam lapis scandali erit, in quem offendentes multi cadent, et a fide deficient. Illi autem fidei desertores et apostatæ, ut persecutoribus placeant, reliquos fideles, fratres et amicos perfide prodent : *Et invicem tradent.* Isti sunt *falsi fratres*, ut eos Chrysostomus vocat, dicens : *Vides hic bellum triplex futurum : unum ab hostibus, alterum a seductoribus, tertium a falsis fratribus.*

Et multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos.

En quartum signum : *pseudoprophetæ*, id est, falsi doctores, falsique philosophi, qui maximo numero abundabunt, et scientiæ nomine ac specie, Christi fidem penitus destruere conabuntur. — *Et seducent multos*, tum subtilitate suorum sophismatum, tum etiam negligentia et imprudentia audientium.

Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum

Quintum signum : ipsius Ecclesiæ diminutio, non jam quoad numerum, sed quoad fervorem : sol charitatis, quo velut splendido indumento Sponsa Christi induitur, pallescet. Imo fides quoque et spes debilitabitur ; quique prius fide in Christum vigebant, et charitate ardebant, videntes tot Ecclesiæ calamitates, defervescent, imo *frigescent*, ita ut in teporem et quasi in defectionem deveniant. Cujus rei causa additur : *Quoniam abundavit iniquitas*, id est, scandala, hæresis, persecutio, omnisque impietas. — Hæc autem Dominus prædicit, ut suos fideles contra omnia discrimina præmuniat ; et quo efficaciorem stimulum addat, subjungit :

Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Hortatio est hæc ad patientiam et perseverantiam. *Qui perseveraverit*, puta in fide et charitate per invictam patientiam ; — non aliquamdiu, sed *usque in finem*, tum persecutionis ac tribulationis, tum vitæ suæ : ita ut nullis terroribus neque blanditiis cedat ; — *hic*, et quidem hic solus, *salvus erit*, et æterna felicitate coronabitur.

Quibus verbis duplex continetur fortitudinis incentivum : -1) patientiæ necessitas ; cum tot malorum remedium unicum sit, ut ea constanter tolerentur. -2) Patientiæ præmium ; cum perseverando patienter victoria certa referatur, et gloria æterna. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Apoc. III, 21.

—

Explicatio secunda.

Dic nobis, quando hæc erunt ?

Discipuli inquirunt de futuris, de novissimis, de tempore; quæ quæstiones maxime salutares, nostram quoque mentem occupare debent.

1° Inquirendum est de futuris : quod quidem vulgaris prudentia quoque suadet, ne sola præsentia considerantes, veluti clausis oculis in maxima incommoda incidamus. — Futura autem consideranda nobis sunt illa quæ fides prænuntiat : futura destructio nostri corporis, omniumque corporalium... futura æternitas, ibique futura merces vel pœna... — Quam gravia hæc et grandia, in comparatione rerum præsentium et caducarum ! O hebetudo cordis humani, quod solis præsentibus intentum, futura et æterna tam parum considerat !

2° Inquirendum de novissimis : de morte, de judicio, de inferno, de paradiso... ut nimirum pericula tremenda quæ unusquisque illic necessario subire debet, feliciter ac certo

evadat. *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Eccli. VII, 40.

3° Inquirendum de tempore : *Quando hæc erunt?* Scilicet, -1) *hæc* quæ Dominus nobis enarravit... quæque nunc invisibilia sunt, quandonam apparebunt visibiliter? Quandonam aperietur mihi mundus ille fidei, ubi alii incolæ, alia bona?... —2) Quandonam finietur mihi mundus præsens et transitorius? Nonne brevi, brevissimo tempore? *Fratres, tempus breve est : reliquum est, ut..... qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur : præterit enim figura hujus mundi.* I Cor. VII, 29.

Respondens Jesus dixit eis...

Responsio Domini, qua signa secundi sui adventus indicat, non solum ad illos homines pertinet, qui circa mundi finem victuri sunt; verum etiam, latiore sensu, ad omnes cujusque ævi fideles, adeoque ad unumquemque nostrum. — Nam secundus adventus Domini duplex est futurus : unus visibilis in fine mundi, quum vocabit omnes ad judicium universale; alter invisibilis, in fine cujusque hominis vitæ, quum venit vocare unumquemque nostrum ad judicium particulare. *Estote parati : quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet* (Luc. XII, 40). — Jam vero, sub utroque respectu, prænuntiata signa ad nos pertinent.

1° Si respiciamus adventum Domini visibilem, signa ejusdem prævia jam videmus, quasi inchoative et in imagine, quatenus pseudochristi, bella, aliaque flagella, quæ jamjam accidunt, præambula sunt et figura quædam eorum quæ finem mundi proxime annuntiabunt. Quapropter hujusmodi calamitates, quoties occurrunt, tanquam signa nobis in mentem vocare debent adventum Christi Judicis : ut hac cogitatione fortiter mala patiamur, nosque ferventius ad comparendum coram Domino præparemus...

2° Si respiciamus adventum Christi invisibilem, et nostram mortem, signa ejus habemus in iisdem calamitatibus, spiritualiter, vel latiore sensu intellectis. Nam pseudochristi, bella, pestilentiæ, fames et terræ motus, persecutiones,

pseudoprophetæ, refrigescentia charitatis, quotidie nobis occurrunt, et proximum Filii hominis adventum, nostramque mortem in memoriam revocare debent.

-1) *Pseudochristi* sunt quilibet seductores, qui nos a sequela Christi Domini revocare conantur. Quod ubi primum animadvertimus, instantem nobis mortem, et rationem Judici reddendam recogitare debemus : ne seductoribus cedamus, sed Christo, duci vero, fortiter adhæreamus.

-2) *Bella* sunt certamina, contra mundum, diabolum et nosmetipsos sustinenda : quæ ubi exardescunt, tanquam signa nobis sint et hortamenta...

-3) *Pestilentiæ* sunt vitii cujuslibet illecebræ, præsertim carnis ; necnon mundi corruptio et pravi exempli contagium : quæ similiter signa nobis sint et hortamenta...

-4) *Fames* sunt desideria terrena et peccaminosa : ambitio honorum, cupiditas divitiarum insatiabilis, sitis vindictæ... quæ ubi animum invadunt, signa sint et hortamenta...

-5) *Terræ motus* sunt pericula vel detrimenta valetudinis aut bonorum temporalium, labefactatio fortunæ, timor damni subeundi si legi Domini fideliter inhæserimus... Quæ ubi animum concutiunt, signa sint et hortamenta...

-6) *Persecutio* est quælibet vexatio, quæ violenter nos a Christi lege retrahit, et velut gladius animum vulnerat et cruentat. At quæcumque pressura aut violentia cordi nostro inferatur, signum sit et hortamentum...

-7) *Pseudoprophetæ* sunt quælibet doctrinæ, vel principia, evangelicis documentis contraria, sive a mundo externo, sive a nostris passionibus suggerantur... et hæc similiter, statim ac animadvertuntur, signa nobis sint et hortamenta.

-8) *Refrigescentia charitatis* est quævis negligentia et tepiditas, quivis fidei ac fiduciæ defectus : quæ ubi in nobis vel in aliis sentiuntur, signa sint et hortamenta, ut proximum Domini adventum recordemur, nosque ad eum fortiter præparemus...

Videte ne quis vos seducat.

En munimen contra seductores. Quinam sunt seductores? Quare et quomodo ab eis cavendum est?

1° Seductores sunt quicumque falsi duces, qui a via arcta Christi Domini ad viam latam et funestam nos traducere contendunt. Tales sunt ipse diabolus, princeps hujus mundi (1); dein, pravi socii, mali libri... ipsa nostra phantasia, quæ rationis partes usurpare nititur, ut vitam nostram regat... — Seductio hujusmodi multiplex, sive intelligentiam, sive affectus cordis, sive sensus pervertere aggreditur, ut facile patet. Vocatur autem a Spiritu sancto, communi quodam nomine, *vanitas*, *mendacium*, *fascinatio :* cui opponitur *veritas*, quæ est in Christo Jesu et in sancta cruce ejus.

2° Cavendum a seductoribus triplici medio : vigilantia, fuga, fortitudine. -1) Vigilantia suadetur hoc verbo : *Videte;* id est, attendite : inspiciendo utrum quæ suadentur, sint Christi legi conformia. — *Videte*, nempe respiciendo ad Christi crucem, et ad tuam ipsius futuram mortem, pulverem et sepulcrum : ut videas utrum id quod suadetur, et captivat, non sit illusio, phantasma seducens, quod consideratione veritatis dissipetur...

-2) Fuga. — Qui enim amat periculum in illo peribit, sicut Eva, quæ cum serpente colloquendo seducta est. *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Ps. CXVIII.

-3) Fortitudo. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Eph. VI, 11.

Nondum statim finis.

Humana imbecillitas labore et ærumnis mox fatigatur, et subito finem videre cupit, ut quiescat et gaudeat : unde impatientia, pusillanimitas atque lapsus procedunt. Huic rei remedium affert Dominus dicendo : *Nondum statim finis.* Quo verbo docemur exspectare et perseverare in hoc mundo.

1° Exspectare debemus Dominum, qui afferet quidem consolationem, sed simul tribulationes novas; quia non tam cito finis esse potest : tum ratione peccatorum nostrorum,

(1) Vid. *Adjumenta Orat. sacri*, Argum. 43.

tum ratione mercedis æternæ... Cum tribulatione autem nova ac tentatione *proventum facit, ut possimus sustinere* (I Cor. X, 13), donec in fine nos eripiat. *Exspecta Dominum, viriliter age... quoniam veniens veniet et non tardabit* (Habac. II, 3; Ps. XXVI). — *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum.* Ps. XC. — De cætero, quamvis probationis tempus infirmitati nostræ longum videatur; respectu tamen æternæ mercedis, breve est et momentaneum...

2° Perseverare debemus fortiter et constanter in laboribus et tribulationibus hujus vitæ; considerantes, hanc esse sortem nostram in hoc mundo, ut patiamur, et patiendo cum Christo, duce nostro, intremus in gloriam. *Oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam.* Luc. XXIV, 26.

Et tunc scandalizabuntur multi.

En monitum de scandalo (1), tum activo, tum passivo.

1° Scandalum aliis dare horrendum scelus est, et Dei vindictam invocat, eamque utpote spirituale homicidium, invocat magis quam homicidium corporale. *Væ homini illi per quem scandalum venit.* Matth. XVIII, 7.

2° Scandalum acceptum, proh dolor! ratione humanæ infirmitatis, multis causa damnationis erit. Quoniam autem scandalis plenus est mundus, remedium et munimen quærendum est, *ut non cum hoc mundo damnemur* (I Cor. XI, 32). — Porro munimen est, -1) suam infirmitatem cognoscere, et sibi timere : *Beatus homo qui semper est pavidus* (Prov. XXVIII, 14). *Cum metu et tremore vestram salutem operamini* (Phil. II, 12). — Munimen est, -2) Deo confidere, et per assiduam orationem, atque sacramentorum frequentationem, ei semper conjunctum manere. *Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Ps. XXII.

Refrigescet charitas multorum.

En tepiditas, languor spiritus, in exigua fide, debilique spe et charitate consistens, — magna in divino servitio negli-

(1) Vid. *Adjumenta Orat. sacri*, Argum. 9. — Item, *Evangelia Dominicarum*, tom. 2, *in festo S. Angeli cust.*

gentia, multisque defectibus sese manifestans, — et ad lamentabilem ruinam disponens...

1° Tanti mali causa a Domino indicatur, *quod abundaverit iniquitas;* nimirum : -1) iniquitas aliorum et mala exempla... -2) Iniquitas propria, voluntariæ culpæ, etsi veniales... ingratitudo erga Deum, quæ per neglectum orationis incipere solet.

2° Remedium est oratio assidua; S. Communionis et devotionis erga SS. Cor Jesu frequentatio... jejunii vel alterius pœnitentiæ susceptio, et fuga mundi...

3° Remedium quoque est, pro peccatoribus et mundi miseriis orare, ut ipsa iniquitas, ubi occurrit, fiat stimulus fervoris; utque vincamus semper in bono malum, exemplo Christi, per quem *ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Rom. V, 20.

Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

En perseverantia (1), cujus mensura, necessitas et motivum a Domino indicatur. — 1° Mensura est *usque in finem* : id est, quamdiu probatio, Deo volente, durabit. Oportet ergo ut omnino et non ex parte homo se resignet, divinæque ordinationi committat, dicens : *Non sicut ego volo, sed sicut tu!*

2° Necessaria est perseverantia ad salutem : non enim qui inceperit, sed qui usque in finem perseveraverit, hic salvus erit...

3° Motivum est ipsa *salus.* Quæ quidem bonum tantum est, ut nullus labor, nullaque tribulatio hujus vitæ illud digne mereri possit. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Rom. VIII, 18.

4° Medium seu adjumentum quoque insinuatur a Domino, cum eas tribulationes ostendat, quæ humanas vires omnino superent; unde sequitur, ad auxilium divinum recurrendum esse, eique inseparabiliter inhærendum. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Ps. XC.

(1) Cf. *Adjumenta,* argum. 49.

—

COMMUNE PLURIMORUM MARTYRUM.

Evangelium quartum.

Matth. XI, 25-30. Respondens Jesus dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater : quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

Luc. X, 20-23. In hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur : gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. In ipsa hora exultavit Spiritu sancto, et dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quod abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Etiam, Pater : quoniam sic placuit ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater ; et quis sit Pater, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Et conversus ad discipulos suos, dixit : Beati oculi qui vident quæ vos videtis.

Explicatio prima.

I. *Scientia cœlestis solis datur humilibus.*
II. *Ejusdem scientiæ magister constitutus est Christus.*
III. *Qui invitat omnes ad suam disciplinam humiliter suscipiendam:*

In illo tempore, respondens Jesus dixit...

Mense Octobri anni tertii prædicationis suæ, cum in Judæa esset Dominus, et revertentes exciperet septuaginta duos discipulos, gaudentes ob missionis suæ fructus et successum, ipse quoque gavisus est : *Exultavit*, inquit Lucas, *Spiritu sancto*, id est, per Spiritum sanctum, qui ei consilia Dei sanctissima præ oculis ponendo, gaudium suggerebat. Videns enim Christus, quomodo ex una parte superbi Pharisæi, Scribæ, Capharnaitæ, qui sibimetipsis videbantur sapientes esse et prudentes, contemnerent Evangelium ; ex altera vero, quomodo humiles discipuli et plebeiæ turbæ illud dociliter susciperent ; ad divinum sanctissimumque decretum oculos sustulit, quo Deus Pater cœleste lumen humilibus dare, superbis vero, quasi indignis, illud abscondere statuit. Qua consideratione misericordissimæ simul et justissimæ sapientiæ Dei, velut in extasim præ gaudio raptus, in laudes et gratiarum actiones erupit, his verbis :

Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.

Sensus est : Laudo te, Deus Pater, quod humilibus revelaveris mysteria salutis, quæ permisisti ignorari a superbis. — Gaudet scilicet Dominus ob consilium Dei, atque ob illuminationem humilium ; non vero ob cæcitatem superborum : non enim poterat gaudere et suum Patrem laudare, eo

quod isti, quamvis gravi sua culpa, ad fidem non pervenirent.

Confiteor tibi, id est, laudo te, et gratias ago ob consilia tua, semper sanctissima. — *Pater*, qui omnia disponis ad tuam, tuique Filii unigeniti gloriam; simulque ad salutem hominum, quos omnes paterne diligis, et vere vis salvos fieri.

Quod addit : *Domine cœli et terræ*, innuit Patrem omnia posse in ordine gratiæ, sicut omnia potest in ordine naturæ, omniumque corda in manu habere : ita ut solo nutu, superborum quoque mentes possit flectere et Evangelio subjicere; quam quidem gratiam eis non denegabit, si ipsimet eam accipere velint. — Porro, nomine *cœli et terræ* significantur omnes creaturæ, angeli et homines universi; adeoque insinuatur, -1) Deum non solos Judæos, sed et Gentes paterne regere, et per Christum ad salutem vocare; -2) Deum servos suos e terra in cœlum deducere velle; -3) Deum, sicut superbos angelos ab humilibus separavit in cœlo, ita superbos homines ab humilibus separare in terra.

Abscondisti hæc... Quæ? Mysteria regni cœlorum, uti alibi dixit : *Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum; illis autem non est datum* (Matth. XIII, 11). — Dicitur Deus *abscondisse*, quia nolentibus recipere retraxit, quia noluit invitis vi intrudere, quia noluit indignis dare, ut Chrysostomus et Theophylactus docent. — A nemine enim Evangelium absconditur, sed omnibus, id est, tam superbis quam humilibus prædicatur : id autem uni accipiunt, alteri vero sua culpa repellunt.

A sapientibus et prudentibus, qui nempe a mundo ut tales habentur. Alludit ad Capharnaitas et Scribas, qui vel in terrenis negotiis, vel in scientia Legis, sibi et mundo sapientes videbantur; ideoque ab humili Jesu scientiam salutis discere dedignabantur. — Quibus opponuntur *parvuli*, id est, simplices et humiles, ac pauperiores homines qui Scribis videbantur rudes, insipientes, ac velut infantes et parvuli. Alludere hic videtur Dominus ad illud. Ps. VIII : *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem.*

Quod addit : *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te*, confirmat enuntiatam sententiam, quasi diceret : Utique, o Pater! quod fecisti, rectissime fecisti; quia sic placuit tibi humiliare superbos, et exaltare humiles. — Quo docemur, prædestinationis œconomiam in hac fundari Dei voluntate atque sanctissimo decreto, humiles exaltandi et humiliandi superbos; ita tamen ut, si res *effective* spectetur, salutis electorum causa *principalis* sit divina misericordia : reprobationis autem impiorum causa *unica* sit peccatum (1).

Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.

Quibus verbis testatur, se constitutum esse Dominum, ac Doctorem salutis universi mundi. Quod ideo dicit, ut necessitatem ostendat recipiendi a se, quantumvis humili, doctrinam evangelicam ac vitam æternam.

Omnia mihi tradita sunt a Patre meo : id est, a Patre meo, qui est Dominus cœli et terræ, mihi tradita sunt omnia : puta omnipotentia, omniscientia, omniumque rerum, speciatim hominum, dominium ac gubernatio. Quæ quidem mihi data sunt a *Patre*, per æternam generationem, tanquam Deo, et per unionem hypostaticam, tanquam Homini : ut possim quos velim eligere et salvare; quos vero nolim, ut superbos Capharnaitas, rejicere et damnare. — Aliis verbis : Constituit me Deus Pater mundi Salvatorem et reparatorem : ut sicut per me omnia creavit, ita et per me, in carne assumpta, instauret universa. — Quibus verbis Christus officium suum, dignitatem et auctoritatem edocet : ut omnes ipsi tanquam doctori et legato Patris auscultent, credant et obediant.

Et nemo novit Filium nisi Pater... Sensus est : Sicut Pater et Filius sese mutuo cognoscunt per consubstantialitatem; ita homo cognoscere non potest Patrem et Filium nisi per revelationem. Pater enim, sicut naturam, ita et sui cognitionem, omniaque quæ habet, communicat Filio, et per Filium

(1) Cf. *Elementa theol. dogm.* tom. 2, tract. 9 *De gratia*, n. 263.

cæteris hominibus. Qui ergo ad veritatem et salutem, quæ in Deo Patre sita est, pervenire cupit, ad Patrem per Christum accedat oportet : id est, Christum docentem audiat et in ipsum credat ; sic enim in eodem Christo viam, veritatem et vitam inveniet.

Dum dicitur : *Nisi Filius*, non excluditur Spiritus sanctus ; sicut cum dicitur *nisi Pater*, non excluditur Filius. Regula enim Theologorum est, particulas exclusivas, additas uni personæ divinæ in attributis essentialibus, non excludere cæteras duas personas ; sed tantum creaturas, seu id quod alterius est essentiæ. — Hic autem notari potest, Christum primo Patris Filiique solummodo mysterium revelasse, et postea Spiritum sanctum manifestasse : ut gradatim et facilius rudes discipuli ad tam sublimes notiones erigerentur.

Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos... et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

Postquam deitatis suæ majestatem ac thesauros ostendit, et sese pro humano genere arbitrum ac magistrum salutis constitutum declaravit ; invitat omnes ut suum magisterium ac disciplinam suscipiant, proposito motivo triplici : -1) quia ab omni gravamine liberabuntur ; -2) quia jugum Evangelii leve esse experientur ; -3) quia invenient animabus suis suavissimam requiem.

Venite ad me : id est, agnoscite et suscipite me ut salutis Magistrum. Non enim tam motu corporis ad Christum accedendum est, quam motu spiritus : per fidem nempe, spem, amorem, devotionem, etc.

Omnes qui laboratis : id est, qui molestiam miseriamve patimini, quantumvis gravem. Nemo enim excluditur. — *Et onerati estis :* scilicet qui oppressi estis gravamine, ac succumbentes oneri, tum peccatorum vestrorum, — tum legis Mosaicæ, — tum ærumnarum et tentationum hujus vitæ.

Et ego reficiam vos : id est, levabo, recreabo vos, ab oneribus et miseriis vos liberando.

Tollite jugum meum super vos : id est, suscipite legem evangelicam; quæ susceptio modus est quo ad me veniatis, et conditio, ut a me reficiamini. Nec timeatis jugum legis meæ quasi durum esset et tyrannicum; mox enim experiemini, me non esse immitem et superbum tyrannum; sed mitem et humilem corde, cujus *jugum suave est et onus leve.*

Et discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Duplex hic sensus accipi solet : -1) quasi diceret : A me, et exemplo meo, discite humilitatem et mansuetudinem; qui sensus vulgaris est et verus, quia verbis vere continetur, non tamen iis proprie et immediate enuntiatur. -2) Quasi diceret : Suscipite jugum ac disciplinam meam absque formidine; nam, ut mox experiemini, ego mitis et humilis sum corde. Ita ut illud *quia* idem sonet ac *etenim,* et indicet, non objectum quod discere debemus; sed causam, cur jugum ac disciplinam Christi suscipere debeamus. Quæ posterior litteralis interpretatio videtur.

Quod dicit : Humilis *corde,* animum indicat, intime humilitate et mansuetudine imbutum ac temperatum : ut nimirum sinceritatem et veritatem hujusmodi suæ indolis significet.

Et invenietis requiem animabus vestris : id est, invenietis pacem, jucunditatem, in qua tanquam in suo proprio bono anima conquiescat. Hanc autem invenietis, inchoative quidem in hac vita; in futura vero, plene et perfecte. — Bonum quod ad se venientibus promittit, vocat *requiem,* quia succedet labori et oneri a quo liberabuntur.

Jugum enim meum suave est et onus meum leve. Hæc præcedentium est simul ratio et recapitulatio, quasi diceret : Venite, tollite jugum meum, et invenietis, non gravamen, sed levamen et pacem; quia jugum meum commodum est, atque onus leve : jugum nempe benigni, suavis, et clementissimi patris, qui filios suos regendo felicissimos efficiet.

Est autem suave et leve jugum Christi, tum præ jugo Legis veteris, tum in se : -1) quia pauciora et faciliora habet præcepta; -2) quia majorem affundit gratiam; -3) quia amore

nos regit ut pater filios, non timore ut servos; -4) quia hoc jugum acceptantibus vitam promittit felicissimam.

—

Explicatio secunda.

Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ...

Christus Dominus Patrem laudat, eique gratias agit, ut exemplo doceat nos debitas Deo laudes et gratiarum actiones omni tempore offerre. Ad hoc enim creatus est homo, ut Creatorem suum assidue et in omnibus laudet, sicut Psalmista, dicens : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (Ps. XXXIII). — Obsequium illud ab homine debetur Deo, duplici ex titulo : quia -1) Deus amantissimus ac beneficus pater est, et -2) quia supremus Dominus; quod innuit Christus dicens : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ*. Porro hi tituli, si rite intelligerentur, sponte sua laudem et benedictionem dignam e nostris cordibus elicerent.

1° *Deus est pater*, laudabilis propter beneficia, sive evidenter talia, sive specietenus nobis contraria videantur.... — Pater est, omnes creaturas suas paterno affectu complectens, et ad veram felicitatem perducere volens. *Unus Deus et pater omnium... qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* (Eph. IV, 6; I Tim. II, 4).

Hinc, -1) opera ejus omnia totidem sunt beneficia erga nos : sive hactenus jam collata, ut creatio, redemptio, etc.; sive in posterum præparata, ut paradisus, et resurrectio gloriosa... — Quod si -2) quædam minus benefica videantur, imo mala et contraria; nihilominus hæc etiam ad veram nostram utilitatem disponuntur. *Quem diligit Dominus castigat* (Hebr. XII, 6). — *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Rom. VIII, 28.

2° *Deus est supremus Dominus*, laudabilis propter magnam gloriam suam : id est propter omnipotentiam et sapientiam, quam in universis operibus manifestat. Hæc autem opera sunt creatio et gubernatio : est enim Deus omnium creator

ac possessor, omniumque gubernator : habens in creaturas universas summum et ineluctabile dominium proprietatis et jurisdictionis, *omnia operans secundum consilium voluntatis suæ* (Eph. I, 11). — *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis* (Ps. CXLIV). — Porro cur vocetur *Dominus cœli et terræ*, in particulari perpendi potest.

-1) *Dominus cœli* dicitur, *a*) quia cœlum stellatum e nihilo creavit : *Quoniam videbo cœlos tuos, lunam et stellas quæ tu fundasti* (Ps. VIII). — *b*) Quia rex est cœlestis curiæ, Angelorum et Sanctorum, quos in gloria sua collocavit, et ex quorum consortio superbos angelos exclusit. -*c*) Quia dat gloriam cœlestem quibus placet, aliis aperiens, aliis claudens introitum ejus.

-2) *Dominus terræ* dicitur similiter, -*a*) quia e nihilo fecit terram et omnia quæ in ea sunt. *Tui sunt cœli et tua est terra, orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti... Tu dominaris potestati maris : motum autem fluctuum ejus tu mitigas* (Ps. LXXXVIII). — *b*) Quia rex mundi est, *Rex regum et Dominus dominantium* (Apoc. XIX, 16), reges erigens et humilians, eventusque omnes gubernans et moderans secundum consilia voluntatis suæ. — *c*) Quia Dominus est uniuscujusque hominis in particulari, quem regit et gubernat ad salutem : dummodo voluerit homo huic suo Domino obedire.

Revelasti ea parvulis.

En mysterium spiritualis infantiæ (1), quam Deus cœlesti sapientia exornandam elegit.

1° Quinam sunt hi beati parvuli? — R. Humiles, qui per Spiritum sanctum quasi repuerascunt, et spiritualem infantiam induunt, ad regnum Dei ingrediendum necessariam : *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* (Matth. XVIII, 3). — Id autem infantia illa in mentibus humilium efficit, -1) ut suis oculis sint parvi, infirmi, insipientes, omnique modo de se submisse sentiant; Deo autem, tanquam optimo Patri confidant, in cujus providentia, sicut pueruli in materno sinu, placide se committant et conquiescant.

(1) Cf. *Evang. Dominicar.* tom. 2, *in festis SS. Angelor.* ad Matth. XVIII, 3.

-2) Efficit, ut oculis hominum mundanorum sint infantes, prudentia, sapientia et velut ratione carentes; adeoque contemptibiles. *Vitam illorum æstimabamus insaniam.* Sap. V, 4.

-3) Efficit, ut oculis Dei sint infantes sine malitia, sine dolo, sine ambitione, sine libidine; pleni docilitate, simplicitate, fide, aliisque virtutibus naturaliter infantium propriis.

2° Quænam sunt parvulorum privilegia? — R. Illuminatio et exaltatio. -1) Illuminatio cœlestis. *Sapientia clamitat: Intelligite parvuli... si quis est parvulus, veniat ad me* (Prov. VIII; IX, 4).—Vocat autem increata Sapientia parvulos eosque vult ad se venire, ut eos alloquatur, doceat, revelatione arcanorum suorum illuminet, et linguas eorum reddat disertas. *Cum simplicibus sermocinatio ejus* (Prov. III, 32). — *Quoniam sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas* (Sap. X, 21). — *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, propter inimicos tuos* (Ps. VIII). — Quænam autem arcana parvulis revelat? R. Caducitatem terrenorum, magnitudinem rerum cœlestium; præsertim vero margaritam absconditam, vivam et vivificam, Jesum Christum....

-2) Exaltatio.—Parvulos et humiles non tantum ad se vocat, nec tantum erudit; sed eosdem benigne amplectitur atque exaltat, cumulando gratiis in hac vita, coronando gloria in futura. *Qui se humiliat, exaltabitur* (Matth. XXIII, 12). — Sic humiles Apostolos exaltavit, non solum in cœlis, sed etiam, uti videmus, in terra. *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Ps. CXXXVIII.

Ita, Pater: quoniam sic fuit placitum ante te.

En sanctissimum, semperque laudandum Dei beneplacitum.

1° Quid est beneplacitum Dei, et quanta ejus excellentia? — 1) *Beneplacitum Dei* est ipsa Dei *voluntas beneplacens*, ut Apostolus loquitur (Rom. XII, 2); sed a voluntate distingui solet, ita ut aliud intelligatur esse Dei voluntas, aliud Dei beneplacitum. Voluntas Dei respicit mandata, beneplacitum respicit consilia, id est, ea quæ non strictæ obli-

gationis sunt sed perfectionis : estque velut nutus divinæ voluntatis.

-2) Dei beneplacitum summa perfectio est : quid enim Deo placere potest, nisi quod undequaque optimum et perfectissimum sit? — Est respectu nostri, summæ perfectionis regula, illa nimirum regula quam ipse Christus semper sequebatur, prout dicebat : *Quæ placita sunt ei* (Patri) *facio semper* (Joan. VIII, 29). — Est summum hominis bonum, jam in hac vita : in quo scilicet, quæ maxima huic vitæ competit, felicitas sita est. Quisnam enim melior aut suavior animæ cibus dari potest, quam ut faciat voluntatem Dei sui, eique complaceat, exemplo Christi, dicentis : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus?* (Joan. IV, 34) — Quapropter divinum beneplacitum omnis desiderii nostri objectum, ac terminus ultimus esse debet.

2° Quomodo Dei beneplacitum implere debemus? — R. Quærendo et amplectendo, non quæ nobis, sed quæ Deo placent, idque respectu præteriti, præsentis et futuri. —1) Respectu præteriti, oportet nos omnibus acquiescere quæ jam evenerunt, quatenus a Deo facta vel permissa sunt : *Ita, Pater : quoniam sic fuit placitum ante te!* —2) Respectu præsentis, iis semper debemus incumbere quæ Patris nostri sunt, et dicere : *Domine, quid me vis facere?... Quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse* (Luc. II, 49; Act. IX, 6). —3) Respectu futuri, parati esse debemus ad omnia facienda, quæ Deus a nobis postulaverit; ea vero exoptare, quærere et precibus postulare, quæ nobis magis ad gloriam Dei conferre videbuntur : cum subordinatione tamen ad Dei abscondita consilia; ita ut ultimus cordis nostri terminus semper sit sanctissimum, semperque adorandum et laudandum Dei beneplacitum.

Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.

1° En Christi majestas.—Filius ille hominis, est ipse Deus immensæ majestatis, factus visibilis in carne humana, qua indutus est : verus *Emmanuel*, Nobiscum-Deus; in quo nobis datum est visibiliter Deum cognoscere, ut per hunc in invisibilium amorem rapiamur....

2° En thesauri in Christo absconditi. *Omnia*, inquit, *mihi tradita sunt a Patre :* nimirum, -1) omnes thesauri sapientiæ et scientiæ. -2) Omnes thesauri gratiæ et sanctitatis : thesauri humilitatis, fidei, fiduciæ, patientiæ, fortitudinis, charitatis... -3) Omnes thesauri consolationis, pacis et felicitatis. -4) Omnes demum thesauri gloriæ, decoris, pulchritudinis et magnificentiæ, quos cor nostrum desiderare possit....

3° Quomodo hujusmodi thesauros participare possumus? —1) Per fidem : Christum Jesum ut verum Deum nostrum, ac fontem omnis boni, viva fide agnoscendo et profitendo. -2) Per fiduciam et orationem. -3) Per charitatem : Christum amando... et quidem sicut ipse vult a nobis amari, per observantiam legis omniumque verborum ejus : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit* (Joan. XIV, 23). -4) Quocumque modo ad ipsum veniendo, ut infra explicabitur.

Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis : et ego reficiam vos.

En benignitas, humanitas, misericordia Salvatoris nostri Dei, qui invitat nos ut ab ipso salutem accipiamus. Cujus misericordissimæ invitationis pretium ut rite æstimemus, variæ circumstantiæ sunt perpendendæ.

1° Quis invitat? — Ipse amantissimus Salvator ac Deus noster vocat nos.... ipse medicus, adjutor, consiliator supremus.... ipse omnipotens ut possit, benignissimus ut velit nobis, tanquam pater filiis, opitulari ac benefacere.

2° Quinam invitantur? — Omnes, nemine, ne miserrimo quidem, excepto ; imo qui miseriores sunt, ii imprimis vocantur : *Qui laboratis,* quacumque scilicet ignorantia, concupiscentia, ægritudine ac miseria, sive mentis, sive corporis, *venite ad me.* — Et quicumque *onerati estis,* sive onere proprio peccatorum, passionum, officiorum status vestri... sive onere aliorum, subditorum, qui regendi sunt, — æqualium, quorum defectus tolerandi, — inimicorum, quorum persecutiones sustinendæ... — Nemo nimis ægrotus divino medico, nec nimis reus divino Salvatori, qui *non venit vocare justos, sed peccatores.* Matth. IX, 13.

3° Quodnam beneficium offert? — *Ego*, inquit, *reficiam vos :* nimirum, -1) in hoc mundo alleviabo onus, sanabo vulnera animæ, medebor infirmitatibus mentis et corporis; medebor fami, inopiæ vestræ, ita ut nihil jam desideretis in hac vita, sed omnibus instructi sitis et abundetis. Quæ quidem omnia per gratiam internam, per doctrinam, sacramenta, aliaque medicamenta spiritualia Salvator operatur. -2) In vita futura reficiet animam in cœlo, abstergendo omnes lacrymas ejus, induendo eam veste gloriæ, satiando intellectum lumine, et cor amore divino... — Reficiet corpus in resurrectione, *reformando corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*. Phil. III, 21.

4° Quomodo ad ipsum venire debemus? —1) Recedendo a diabolo, a peccato, a vanitatibus terrenis. —2) Accedendo ad ipsum per varia religionis exercitia : orando, adeundo templum ejus, adeundo confessarium, adeundo Synaxim Eucharisticam... subeundo jugum ejus suavissimum.

Tollite jugum meum super vos.

Conditio hæc statuitur ad participanda Domini beneficia, ut tollamus jugum ejus.

1° Quodnam est jugum Domini? — R. Jugum Christi Domini est -1) sanctissima religio ejus, seu lex evangelica; -2) est officium cujusque status; -3) crux Domini et christiana patientia; -4) sanctissima Dei voluntas; -5) charitas, quæ legis christianæ compendium est et perfectio.

2° Quale illud jugum est, et quam jucundum? — R. Est -1) jugum verum, servitutem inducens ac laborem, prout voce *jugo* significatur, quod instrumentum est ac symbolum servitutis et laboris.

-2) Est autem jugum *leve et suave :* tum comparative ad jugum tyrannicum mundi et diaboli; tum in se, quia ipse Dominus alleviat illud per gratiam suam et per spiritum amoris : *ubi enim amatur, non laboratur*. Idem alleviat ipse portando nobiscum, quod insinuare videtur dicendo *jugum meum*. Ipsius enim jugum est, non tantum quia ipse imponit, sed etiam quia ipse prior portavit ac porro semper

portat nobiscum : *Cum ipso sum in tribulatione* (Ps. XC.). Jugum præterea duos innuit portantes : nam *jugum* a *jungendo* nuncupatur, eo quod duo jumenta juncta illud subeant.

Merito onus leve Christi a S. Bernardo comparatur pennis avium, quæ pondus sunt, non onerans sed levans : sic disciplina Christi portat potius quam portatur. Et S. Augustinus inquit : *Hæc sarcina non est pondus onerati, sed ala volaturi*, volaturi nempe in cœlum. Detracta hujusmodi sarcina, volucris remanebit in terra.

-3) Præterea jugum et onus Domini, non suave tantum, sed pretiosum est, et gloriosum cervicis ornamentum. *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ : ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo* (Prov. I, 9). — *Injice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum... et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, et bases virtutis, et torques illius in stolam gloriæ. Decor enim vitæ est in illa, et vincula illius alligatura salutaris. Stolam gloriæ indues eam, et coronam gratulationis superpones tibi.* Eccli. VI, 25 seq.

Non tamen omnes suave experiuntur jugum Domini ; quia nec congrue illud accipiunt, nec apte portant.

3° Quomodo portandum? — R. Portandum est -1) duobus humeris, id est, ex corde, omnino et non ex parte illud suscipiendo. -2) Cum Christo, ita ut non solis viribus nostris illud ferre contendamus, obliti orationis, etc. -3) Humiliando cervices nostras, id est, cum humilitate et mansuetudine, quam a Domino Jesu, ejusque Corde discemus : *Nihil arduum est humilibus, et nihil asperum mitibus* (S. Greg.). -4) Perseveranter, quotidie illud assumendo, donec perveniamus cum Christo ad montem Ascensionis....

Discite a me quia mitis sum et humilis corde.

1° En documenta divini Magistri : non docet nos mundos fabricare, miracula patrare, etc. ; sed humiles fieri et mansuetos.... — Humilitatem porro et mansuetudinem præ cæteris virtutibus discendas proponit, utpote quæ principium simul sunt et summa totius disciplinæ ejus.

2° *Mitis sum et humilis corde :* en aperit nobis, etsi partim, *Cor suum divinum*, thesaurum omnis sanctitatis... (1) Cujus sanctitatis basis est humilitas ac mansuetudo et patientia...

3° En propria Christi indoles, character peculiaris spiritus ejus : ut *mitis* sit *et humilis corde ;* — sicut e contra, adversarius Christi, princeps hujus mundi diabolus, durus et superbus tyrannus existit....

Et invenietis requiem animabus vestris.

En fructus suavissimus disciplinæ Domini, promissus discipulis.

1° Quis ille fructus est? — R. Non quidem corporis semper, sed animæ requies et pax, tum in vita, tum in morte, tum in æternitate.... — Requies a remorsu conscientiæ, requies a desideriis et cupiditatibus, requies a timore, etc.

2° Consequenda autem est illa requies animæ, -1) per humilitatem et mansuetudinem. Quicumque ergo agitatione qualibet turbatur : humiliet se cum Domino Jesu, et inveniet anima ejus requiem. -2) Per generosum laborem : animo nempe magno, omnino et non ex parte assumendo Domini jugum, omnemque laborem quamvis ingratum, qui nobis voluntate ejus fuerit oblatus....

3° Quod si quis Christi jugum non suscipiat, nec sese plane humiliet ; vel a mundo mundique Principe requiem petat : ille non requiem, sed motum et turbationem super turbationem inveniet.... Christus Dominus solus illam dat, quam mundus dare non potest pacem.

(1) Cfr. *Compendium perfectionis sacerdotalis*, cap. VII seqq.

COMMUNE PLURIMORUM MARTYRUM.

Evangelium quintum.

Luc. XI, 47-51. Dicebat Jesus Scribis et Pharisæis : Væ vobis qui ædificatis monumenta prophetarum : patres autem vestri occiderunt illos. Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum : quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra. Propterea et sapientia Dei dixit : Mittam ad illos prophetas et apostolos, et ex illis occident et persequentur; ut inquiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi, a generatione ista : a sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare et ædem. Ita dico vobis : requiretur ab hac generatione.

Matth. XXIII, 29-36. Væ vobis, Scribæ et Pharisæ hypocritæ, qui ædificatis sepulchra prophetarum, et ornatis monumenta justorum, et dicitis : Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis quia filii estis eorum qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ? Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas, et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem : ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare. Amen dico vobis : venient hæc omnia super generationem istam.

Explicatio prima.

I. *De occisione prophetarum.*
II. *De vindicta sanguinis prophetarum*

Dicebat Jesus Scribis et Pharisæis : Væ vobis...

Feria tertia Majoris hebdomadæ, id est, quatriduo ante mortem suam, cum Dominus in templo esset, et videret circumstantes Scribas et Pharisæos, qui quærebant non tantum eum capere in sermone, sed etiam occidere; sciretque quomodo jamjam sibi mortem pararent; vehementer in eorum hypocrisim et malitiam invexit : ut hoc velut tonitru sermonis, obduratos animos frangeret, vel saltem speciosam plebique nocivam eorum hypocrisim dissiparet. Post alia multa, orationem concludit significando, nequaquam ignorare se, mortem sibi ab eis parari; monetque eos, inferendo sibi mortem, -1) horrendum scelus committere, et -2) vindictam Dei terribilem incursuros.

-1) Quoad scelus, occidendo Jesum, occidunt Dei prophetam, imo prophetarum Regem, Christum; et sic continuant, imo consummant impietatem patrum ipsorum, qui prophetas quoque occiderunt : adeo ut mensuram iniquitatis impleant, qua impleta, Dei vindicta erumpet.

-2) Quoad vindictam, hæc terribilis erit : nam tota generatio, tota gens Judaica punietur; et quidem punietur quasi rea omnis sanguinis justi, qui effusus est ab initio mundi. Quo insinuatur, Jesum in se continere dignitatem omnium prophetarum et justorum; siquidem ejus occisio continebit malitiam ac reatum occisionis illorum omnium.

Væ vobis, qui ædificatis monumenta prophetarum : patres autem vestri occiderunt illos.

Illud : *Patres autem vestri occiderunt illos*, hebraismus est, pro, *quos patres vestri occiderunt.* — Sensus est : Væ vobis,

hypocritæ, veri occisores prophetarum, etsi ædificando eorum sepulchra, eos honorare videmini. Nam ex una parte, illa monumenta ædificando, significatis quidem vos honorare prophetas ; ex altera vero, quærendo me interficere, thaumaturgum ac prophetam Nazarenum, revera demonstratis, eodem vos spiritu esse animatos ac patres vestros, antiquorum prophetarum interfectores. — Nimirum ex illa contradictione, qua opera vestra inter se pugnant, satis patet, sepulchrorum ædificationem non tantum esse vanam pietatis ostentationem ; sed potius cooperationem in peccatis patrum vestrorum : complementum scilicet occisionis prophetarum ab ipsis patratæ : *Quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.* Sic enim latrones solent occisos viatores, per se, vel per filios sepelire.

Dicendo itaque : *Væ vobis, qui ædificatis monumenta prophetarum*, Dominus non improbat præcise illum ædificandi actum, qui in se bonus erat ; sed Pharisæorum hypocrisim et impium animum. Etenim ædificando, seu instaurando ruinosa veterum prophetarum sepulchra, extrinsecus quidem venerationem erga Dei legatos demonstrabant, et patrum facinus qui eos occiderant, detestari videbantur ; intrinsecus vero, nihilo melius erant animo dispositi patribus suis : nam sicut hi persecuti erant prophetas sui temporis, ita nunc Scribæ et Pharisæi persequebantur Prophetam Nazarenum. Quod ut solemniter simul et energice significet Jesus, ædificationem sepulchrorum exhibet tanquam consensionem in occisione prophetarum ab antiquis patrata, et tanquam cooperationem in iisdem sceleribus : quæ conclusio revera ex eorum agendi ratione logice fluebat. Latrones enim non sepeliunt a latronibus occisos, nisi ut ejusdem latrocinii complices.

Propterea et sapientia Dei dixit : Mittam ad illos prophetas et apostolos, et ex illis occident et persequentur.

Sensus est quasi diceret : Propterea quod animo tam perverso parati estis, Sapientia Dei, futuri præscia, de vobis

dixit, fore ut Dei nuntios persequamini et occidatis. — Nomine *Sapientiæ Dei* se ipsum designat, alluditque ad vaticinium alias a se editum, quod ab Evangelistis non memoratur. — *Mittam prophetas et apostolos*, id est, doctores sacros et Evangelii ministros. Eosdem apud Matthæum vocat *prophetas, et sapientes, et scribas,* quibus nominibus Judæi doctores sacros, ac divinæ legis interpretes insigniebant. — *Ex illis occident et persequentur :* id est, illos partim occident, partim vexabunt et persequentur.

Ut inquiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi, a generatione ista...

Vindicta prænuntiatur non minus certa quam terribilis; quoque vividius exprimatur certitudo, pœna quasi scopus ab impia ista generatione intentus proponitur. — *Ut inquiratur sanguis*, id est, ut repetatur pœna sanguinis effusi. *Sanguis* enim metonymice ponitur pro pœna sanguinis, seu homicidii.

Loco *sanguinis prophetarum*, apud Matthæum dicitur *omnis sanguis justus*, id est, justorum, qui scilicet cæteros homines ad juste sancteque vivendum, tam verbis quam exemplis cohortati sunt. Quo sensu *justus* idem sonat ac *propheta*.

A sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare et ædem.

Sensus est quasi diceret : Pœnam dabit generatio ista omnium propheticidiorum, a primo usque ad ultimum. — Etenim homicidium primum quod Scriptura commemorat, est Abelis (Gen. IV, 8); ultimum vero Zachariæ, *filii Barachiæ*, ut Matthæus habet, de quo mentio fit (II Paralip. XXIV, 22), in ultimo nempe ex libris historicis, secundum canonem Judæorum. — Periit ille *inter altare et ædem,* id est, in atrio sacerdotum, ubi erat altare holocaustorum. *Ædes* scilicet, seu *templum* hic designat templi ædificium ut distinctum ab atriis.

Quæritur autem, 1° cur Christus Abelis necem afferat, qui non fuit occisus a Judæis ; cum agere non videatur nisi de iis justis ac prophetis, quos occiderunt patres eorum? *Consentitis*, inquit, *operibus patrum vestrorum*. — R. Quia licet Cain, qui fratrem Abel occidit, non fuerit Judæorum pater naturalis, fuit tamen pater eorum moralis et symbolicus. -1) Pater moralis, quia eodem fuit spiritu animatus, quem Judæi, via imitationis velut hæreditarium ab illo acceperunt. -2) Symbolicus, quia occidens fratrem, imago fuit Judæorum, fratres suos, prophetas nempe et Christum occidentium. — Simili analogia diabolus dicitur pater omnium superborum et impiorum.

Ex his recte concludit Tertullianus, Cain fuisse typum Judæorum, Abel vero Christianorum.

Quæritur 2° quis hic nominetur *Zacharias, filius Barachiæ?* — R. Sententia probabilior tenet, Zachariam fuisse filium Joiadæ pontificis, qui a Joas, rege ingrato, sacrilege occisus est in atrio sacerdotum, seu *inter templum et altare* (II Paralip. XXIV, 22). Id confirmatur eo quod -1) Zacharias iste ultimus est cujus Scriptura cædem commemorat; -2) quod solius Abelis et Zachariæ istius sanguinem tanquam ulciscendum eadem Scriptura significat. De Abele enim dicit : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* (Gen. IV, 10); de Zacharia vero, eum morientem hæc verba pronuntiasse : *Videat Dominus et requirat*. II Paral. XXIV, 22.

Nec obstat quod Zacharias ibidem dicitur *filius Joiadæ*, non Barachiæ. Fieri enim potuit, ut Joiadas alio nomine vocaretur Barachias, ut Hieronymus censet, hæc addens : « In « Evangelio quo utuntur Nazareni, pro filio Barachiæ, *filius* « *Joiadæ* reperimus scriptum. » — Fortassis etiam, ut alii putant, Joiadas fuit avus, Barachias vero pater Zachariæ, in Scriptura quidem non memoratus, sed vulgo notus tempore Christi. Alibi enim Scriptura similiter nomen avi ponit pro patre, omisso nomine immediati genitoris. Sic Zacharias propheta (non confundendus cum Zacharia Pontifice), qui filius erat Barachiæ et nepos Addo (Zach. I, 1), ab Esdra bis vocatur filius Addo. I Esd. V, 1 ; et VI, 14.

Ita dico vobis : requiretur ab hac generatione.

Sensus est : Certissime hoc affirmo, nec dubitetis : omnium illorum scelerum pœnam hæc generatio luet. — 1° Ipsa præsens generatio pœnam accipiet, quia ipsa, implendo mensuram iniquitatum, eliciet vindictam. Qui enim mensuram implent, quam statuit Deus ut pœnas temporales infligat in hoc mundo, illi pœnas temporales solvunt. Quæ Providentiæ œconomia exemplo declarari potest. Quum columna, ædificium sustentans, concutitur, paulatim quidem labefactatur ; non tamen statim cadit, sed, supremo quodam ictu, subito corruit : et tunc qui in ædificio sunt, ruinis obruti pereunt. Similiter generatio Judæorum quæ Christum occidit, divina ultione oppressa est.

2° Luit autem præsens generatio pœnam totius seriei anteriorum propheticidarum ; quia occisio Christi, seu deicidium, omnia illa scelera in se continebat.

Explicatio secunda.

Væ vobis, qui ædificatis monumenta prophetarum.

1° En hypocrisis, peccatum oculis Dei detestabile, et gravissime puniendum : *Væ !* — Peccatum Scribarum et Pharisæorum : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, hypocritæ !* Peccatum quoque pravorum Christianorum, quorum pravi Judæi typus sunt et figura. — Porro in hoc consistit hypocrisis seu simulatio probitatis, quod quis alium se ostendit quam revera est : bonum sese simulat, cum bonus non sit ; externam speciem ac nomen Christiani gerit, cum spiritum ac veros mores hominis christiani non habeat. Hujusmodi vana species homines quidem fallere aliquamdiu possit ; at Deum non fallit, qui videt abscondita cordis, eaque suo tempore manifestabit. *Væ vobis, hypocritæ !*

2° *Qui ædificatis monumenta prophetarum...* En fides mortua, qua Christus velut propheta mortuus colitur, ejusque sancta religio velut sepulchrum magnificum ædificatur, in quo vita non est.

-1) Fides mortua, quæ fides inefficax est, et similis grano sinapis quod non seminatur, sed in arca depositum servatur; — Christum quidem colit, at velut mortuum ac præteritum. Qui hujusmodi fide mortua credit, Christum non amplius videt, nec audit loquentem, nec accipit dona gratiæ ejus, imo vix exspectat dona gloriæ ejus... Verbum quidem Christi, doctrinam ejus et legem Evangelii forte cognoscit; sed tantum velut litteram mortuam... Ecclesiam Christi quoque honorat; sed tanquam sepulchrum quoddam, vel monumentum inanime... Auctoritas Ecclesiæ, ejusque ministri, sacramenta et cultus, non apparent oculis ipsius nisi ut institutio, legitima quidem, sed velut commemorativa rei præteritæ; quasi non esset jam eadem illa institutio, quæ, tempore Christi et Apostolorum, spiritu ac vita vigebat: quasi non esset jam illa vinea immortalis a Christo plantata, cujus Christus ipse perpetua radix existit, et vita et fecunditas...

Qui fidem hanc mortuam habent, et ipsi mortui sunt; ex fide enim tantum justus vivit. *Nomen habes quod vivas et mortuus es.* Apoc. III, 1.

-2) Fides viva, e contra, quæ, sicut granum sinapis in horto seminatum, vim suam exerit, Christum colit, uti est, vivum... Ecclesiamque honorat et inhabitat, ut domum Christi viventis, et tabernaculum ejus cum hominibus. *Fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula sæculorum, et habeo claves mortis et inferni* (Apoc. I, 18). — *Mundus me jam non videt. Vos autem videtis me : quia ego vivo et vos vivetis. In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me et ego in vobis* (Joan. XIV, 20). — *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula* (Hebr. XIII, 8). — *Vivus est sermo Dei* (Hebr. IV, 12). — *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Joan. VI, 64.

Consentitis operibus patrum vestrorum.

1° His verbis docet nos Dominus, cavendum esse a consensione ac participatione in peccatis alienis. Exprobrat enim Judæis, quod sequendo impiorum patrum spiritum et veluti partes, scelera eorum approbarent et sua facerent. Debuissent enim patrum scelera detestari ex animo, ab iisque recedere et viam prorsus diversam inire. — Unde discimus necesse esse, ut vere christianus, qui Christo ejusque legi vere inhæret, omne id quod huic legi contrarium est, ex animo detestetur, et a partibus adversis omnino recedat. Si enim quocumque prætextu, malorum hominum partes sequatur, eisque serviat, faveat, consentiat, cooperetur; ipse eorum peccati et pœnæ reus efficitur. *Egredimini de Babylone, fugite a Chaldæis.* Isai. XLVIII, 20.

2° Docemur, non sola externa opera apud Deum valere, sed præterea internum sensum, seu rectam cordis dispositionem requiri. Judæi enim ædificando monumenta prophetarum, opus in se honestum et religiosum efficiebant; sed quia corde alienati erant a Christo, et odio pleni, illo opere externo nequaquam Deo placebant. — Unde discimus, imprimis cor nostrum bene disponendum : illud nimirum ab omni sensu mundano superbiæ, odii, etc., evacuare debemus; et sensu christiano, pœnitentiæ, humilitatis, charitatis, etc., replere. *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu...* Phil. II, 5.

Mittam ad illos prophetas et apostolos, et ex illis occident et persequentur.

1° En bonitas Dei ex una parte, et ingratitudo hominum ex altera. — Deus mittit legatos suos, prophetas, ministros varios, imo ipsum unigenitum Filium suum... et homines, qui deberent eos recipere cum gaudio, honore, etc., non tantum ita non recipiunt, neque audiunt; sed contumeliis et morte afficiunt. En spectaculum quod mundi historia exhibet usque in hodiernum diem... Quam ingratitudinem sapiens quisque, non imitari, sed deplorare et reparare debet...

2° *Ex illis occident...* En imago peccati. Hoc enim ingratitudo summa est erga Deum, infinite beneficum. Deus ex una parte vocat, promittit, largitur... anima peccatrix ex altera, aures avertit, promissiones spernit, injuriam reddit, ipsisque Dei beneficiis ac donis ad peccandum abutitur...

3° *Occident...* En imago peccati, quod similiter est effusio sanguinis justi, sanguinis nempe Christi; imo hujus divini sanguinis profanatio et conculcatio.

-1) Per peccatum mortale homo Christum, quantum in se est, occidit et crucifigit : cum ponat causam passionis ejus, quæ non fuit alia quam peccatum.

-2) Per peccatum quodlibet homo rejicit, conculcat gratiam Dei, quæ repræsentat sanguinem Christi : hoc enim pretio gratia empta nobis est.

-3) Per peccatum scandali, occidit animam fratris, vel ipsum Christum in fratris anima viventem : effundit sanguinem justum.

-4) Per Communionem indignam, fit *reus corporis et sanguinis Domini* (I Cor. XI, 27).

-5) Omne peccatum est homicidium spirituale vel potius suicidium; extinguens animæ vitam; vel, si culpa mortalis non sit, saltem eam lædens. Ideo diabolus, peccati auctor, vocatur *homicida ab initio*. Joan. VIII, 44.

Ut inquiratur sanguis omnium prophetarum...

1° En mysterium *sanguinis justi*, et *sanguinis Christi*, in præsenti ordine Providentiæ. Hæc autem duo, sanguis justus et sanguis Christi, in idem fere recidunt. Nam sanguis prophetarum, justorum, martyrum omnium, qui propter Christi causam morientes, eum figurant, eumve imitantur; moraliter ac mystice sanguis est ipsius Christi, qui in illis omnibus mystice patitur et immolatur.

Porro sanguis ille clamat de terra ad Deum, appellatque misericordiam et vindictam : misericordiam pœnitentibus, vindictam impœnitentibus et gratiæ resistentibus. — Quæ vindicta terribilis erit... Cujus imago est pœna Cain, pœna Judæ proditoris, et pœna Judæorum deicidarum : nimirum

obduratio in perversitate usque ad mortem, mors pessima, et post mortem æterna damnatio. *In peccato vestro moriemini.* Joan. VIII, 21.

2° *Ut inquiratur :* en dilatio, non vero remissio vindictæ divinæ. Peccatori impœnitenti differtur quidem, non vero aufertur pœna, quæ suo tempore irruet in eum ineluctabiliter. *Amen dico vobis : venient hæc omnia super generationem istam.*

3° *Sanguis prophetarum.* En necessitas sanguinis in statu naturæ lapsæ : *Sine sanguinis effusione non fit remissio* (Hebr. IX, 22). — Sicut Christus suo sanguine mundum vivificavit, ita ejus Prophetæ, Apostoli, ministri quilibet, imo quicumque vere discipuli ejus esse volunt, per sanguinem suum, cum Domini sui sanguine conjunctum, semetipsos et alios sanctificare debent. Adeo ut sanguis sit velut irrigatio quædam terræ necessaria, ut fructum spiritualem producat...

Porro duplici modo sanguis effundi potest : *realiter*, ut sanguis Christi et Martyrum ; *mystice*, ut sanguis B. V. Mariæ, quæ incruento quodam martyrio regina Martyrum facta est. Mariæ enim virgineus sanguis, non ferro militum, sed gladio abnegationis, sacrificii et amoris, sanctissimam animam ejus transfigente, effusus est. — Quem gladium mysticum, qui etiam pœnitentia et mortificatio christiana vocatur, effugere aut declinare nemo potest, si quidem Christi crucifixi discipulus esse velit. *Non veni pacem mittere, sed gladium* (Matth. X, 34). — *Qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus.* Luc. XIV, 27.

COMMUNE PLURIMORUM MARTYRUM.

Evangelium sextum.

Luc. X, 16-20. Dixit Jesus discipulis suis : Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes : Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis : Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici; et nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur : gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.

—

Explicatio prima.

I. *Quomodo legati Christi sint audiendi.*
II. *Quanta sit eorum potestas in dæmones.*
III. *In quo debeant gaudere.*

Anno tertio prædicationis suæ, mense Octobri, cum in Judæa esset Dominus, et septuaginta duos discipulos ad prædicandum Evangelium mitteret, eosque præviis documentis instrueret; inter alia dixit, severissime puniendos esse in die judicii, quicumque evangelicam prædicationem repulissent. *Dico vobis*, inquit, *quia Sodomis in die illa remissius erit, quam illi civitati*, quæ Evangelii præcones audire noluerit; eo quod peccati, Sodomitarum peccato gravioris, rea sit futura. Cujus peccati gravitatem declarat, addendo :

Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.

Ex his verbis patet, Christum ipsum et Deum Patrem loqui per os eorum, quos ut legatos ac ministros suos mittit. Legatus enim regem legantem repræsentat, ejusque vices ac personam gerit : adeo ut per legatum, et in legati persona, moraliter ipse legans loquatur. Quapropter qui legatum audit vel spernit, ipsum principem a quo ille missus est, audit vel spernit; omnisque honor, vel injuria legato illata in ipsum principem redundat; et quanto princeps fuerit excelsior, tanto quoque honor vel contemptus, legato ejus exhibitus, major erit. — Hæc intelligentes Thessalonicenses acceperunt verbum ab Apostolo prædicatum, *non ut verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei.* I Thess. II, 13.

Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes : Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.

Revertuntur ab evangelica sua missione gaudentes de successu, et speciatim de imperio quod in dæmones exercuerunt, prout significant dicendo : *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis.* Sensus est quasi dicant : Non tantum morbos, uti promiseras, sanavimus; sed *etiam* dæmones ejecimus, vi nominis tui quod invocavimus, dicendo : In nomine Jesu Christi, exi, o dæmon, ab homine isto.

Quod autem peculiari ratione gaudeant de expulsione dæmonum, causa videtur esse, vel 1) quia hanc potestatem a Domino non expresse acceperant, ideoque inexspectatam experti sunt : quod Evangelista insinuare videtur, de ejectione dæmonum supra (versu 9) non loquendo; — vel 2) si eam acceperint, quia ob exiguam fidem vix crediderant fieri a se posse opera, quæ dein cum admiratione effecerunt.

Gaudium quod manifestant, non est quidem gaudium superbiæ : cum nequaquam sibi, sed Christi nomini rem attribuant; videtur tamen aliquid vanæ complacentiæ obrepsisse,

quod per se, non per alios Christus tanta patraret. Propterea Dominus non undequaque gaudium illud approbat, ut ex sequentibus palam fiet.

Et ait illis : Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.

Quæritur hic imprimis de quonam Satanæ lapsu sermo fiat? Dupliciter enim Satanas de cœlo lapsus est : 1° in principio, quando ob superbiam suam, cum suis asseclis, de cœlo in infernum præcipitatus est; 2° in adventu Christi, cùm per potestatem Verbi incarnati, ex imperio mundi, ubi velut deus in cœlo per idololatriam regnabat, dejectus est. — Atqui de utroque Dominus loqui videtur.

1° Sensu litterali, de primo casu Luciferi, quasi diceret : Nolite mirari, o discipuli, quod in nomine meo dæmonia ejiciatis; nam ego, qua Deus, jam olim Luciferum, meam deitatem superbe appetentem, e cœlo præcipitavi in gehennam; at potius ejus lapsu edocti, et vos cavete, ne in superbiam elati, eo quod dæmones vobis subdiderim, cadatis in abyssum, sicut cecidit Lucifer. — Alludit Dominus ad illud Isaiæ : *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris?* Isai. XIV, 12.

2° Sensu allegorico, loquitur Dominus de casu secundo Luciferi, quasi diceret : Nolite mirari, mei discipuli, dæmones vobis subjici; nam ego qua homo, Satanæ imperium fregi. Veniens enim per Incarnationem in mundum, ubi Diabolus quasi deus in templo suo adorabatur, eum dejeci; vidique eum, sicut olim de cœlo, ita nunc ex imperio mundi decidere tanquam fulgur. Quare, fracta ejus potestate, eum cum angelis ejus vobis, omnibusque discipulis meis subjeci.

Quæritur secundo, an apposite Lucifer comparetur fulguri? — Resp. affirmative : -1) quia fulgore fulguris ad vivum repræsentatur præstantissima, et, ut ita dicam, ignea natura, majestas ac principatus Luciferi. Deus enim fecit *angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis* (Hebr. I, 7). -2) Similiter signatur ejusdem potestas maxima ad nocendum. Etenim talis est vis fulguris, ut omnia etiam durissima et

robustissima pervadat, sternat, frangat, incineret; quare summopere terret et nocet : quæ cuncta Lucifero conveniunt. -3) Item signatur brevitas temporis, quo malignus ille spiritus servos Dei vexare permittitur : tempore scilicet brevissimo transit sicut fulgur; etenim dumtaxat in hoc sæculo, et in hac vita brevissima eis nocere potest.

Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici; et nihil vobis nocebit.

Illud præteritum *ecce dedi*, per hebraismum ponitur pro præsenti, sicut in textu græco legitur; et sensus est : Ecce do vobis potestatem, jus et dominium, ut vincatis omnes dæmones, eorumque vires malignas, utque totum exercitum Satanæ conculcetis, velut serpentem, conterendo pedibus caput ejus. Illud enim *calcare supra* significat vincere, ac prorsus sibi subjicere : metaphora a serpentibus sumpta, qui humi repunt.

Serpentes et scorpiones figurate dicuntur malignæ potestates, omneque genus immundorum spirituum, de quibus solis hic sermo est, ut ex sequenti versu aperte patet : *Quia spiritus vobis subjiciuntur*. Hæ sunt potestates diabolicæ, quas Paulus sic describit : *Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (Eph. VI, 12). — Non tamen excludi videtur sensus proprius, ita ut a veris serpentibus, aliisque animalibus, discipuli lædi non possint, sicut alibi dictum est : *Serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit* (Marc. XVI, 17); et sicut expertus est Paulus, qui correptus a vipera, eam illæsus excussit. Act. XXVIII, 3.

Et super omnem virtutem inimici, id est, potestatem dedi super, seu adversus vim, robur, exercitum diaboli. *Inimicus* enim Satanam designat; quamquam illud nomen non excludit alia principia hostilia ac nociva, ut feras, venena, procellas, imo et homines malos, quibus diabolus abutitur, ut homines passim, præsertim christianos lædat et perimat.

Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur; gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.

Postquam explicavit discipulis amplitudinem potestatis, ipsis adversus dæmones communicatæ, redit ad gaudium, quod propter tantam potestatem manifestaverant; ut salutare documentum inde deducat, dicens : De hoc tamen dono, quantumvis excellenti, non tam gaudendum vobis est, quam de alio longe meliori, nempe de dono gratiæ, qua, si perseverabitis, beati cives eritis cœlestis Jerusalem.

Quod dicit : *Nolite gaudere*, non vetat omne gaudium de dominio in dæmones sibi dato : cum id donum Dei sit, ob quod utique gaudere liceat; sed vult, ut de illa potestate non gaudeant tantum, quantum de sua prædestinatione, de gratia et gloria. Cujus rei ratio est, -1) quia dominium in dæmones est donum mere *gratis datum*, ut aiunt, Ecclesiæ; prædestinatio vero et gratia interior, est donum *gratum faciens*, adeoque longe præstantius. -2) Quia gaudium illud superbiam ac tumorem generare solet; alterum vero gaudium, nempe de donis internis, gratiarum actionem producit, et omnis boni operis sollicitudinem.

Quod nomina vestra scripta sunt in cœlis : id est, in libro vitæ, ut dicitur Phil. IV, 3 : *Mecum laboraverunt cum Clemente et cæteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.* — Est autem *liber vitæ* distincta Dei scientia et præscientia, in qua velut in libro scripta sunt nominatim omnes et singuli, ad vitam æternam destinati et electi; quare etiam *liber prædestinationis* vocatur.

Porro liber vitæ distinguitur duplex, sicut duplex prædestinatio et præscientia : prædestinatio ad gratiam, et prædestinatio ad gloriam. Prior est mutabilis, quia gratia amitti potest; posterior immutabilis, quia gloria est inamissibilis. Quapropter nomina in libro vitæ descripta, deleri possunt, si agatur de libro gratiæ; ideoque Ecclesia, in secreta Missæ de tempore quadragesimæ, sic orat : *Ut omnium fidelium nomina beatæ prædestinationis liber adscripta retineat.* — Omnes

scilicet per Baptismum ac justificationem libro vitæ adscribuntur; non tamen omnes adscripti sunt indelebiliter, nec prædestinantur absolute, sed *conditionate* tantum : si videlicet in fide et sanctitate usque ad finem vitæ perseverent.

Hoc autem loco, adscriptio in libro vitæ accipi videtur sensu conditionato, et intelligenda de prædestinatione ad gratiam. Id enim indicant verba illa : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem;* quibus Dominus metum discipulis suggerit, quasi dicat : Gaudete, quia in statu gratiæ estis, et hæredes secundum spem futuræ gloriæ; at cavete, ne sicut angeli superbi, ita et vos, de cœlo vobis præparato excidatis. Similiter quod alibi promisit Apostolis, dicens : *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim*, intelligendum est non absolute, sed sub hac conditione : si in mei sequela usque ad mortem perseveraveritis. Quod quidem ex defectione Judæ manifestum est, qui ad promissum thronum non pervenit.

—

Explicatio secunda.

Qui vos audit, me audit.

1° En dignitas ministrorum Ecclesiæ, omniumque superiorum, qui in quocumque ordine legitima auctoritate investiti sunt. Christi enim locum tenent, Christi personam gerunt respectu subditorum : quapropter ex una parte, maximam eis reverentiam debent subditi; ex altera vero, ipsimet suam dignitatem honorent oportet, illam vitam ducendo quæ Christi vicarios deceat...

2° En virtus obedientiæ : qua, dum superioribus paremus, ipsi Deo ac Domino nostro Jesu Christo paremus : *Servientes sicut Domino, et non hominibus* (Eph. VI, 7). Hinc patet, -1) obedientiæ necessitas : Christo enim, sive per se, sive per vicarios præcipienti, detrectare obsequium nemo potest. -2) Obedientiæ præstantia : cum non homini, aut terreno regi, aut angelo, sed ipsi Deo obediamus, Deo nostram volun-

tatem subjicimus, Deo nostram operam præstamus. Quare Spiritus sanctus dicit : *Melior est obedientia quam victimæ* (I Reg. XV, 22). — 3) Obedientiæ jucunditas : cum nihil jucundius esse possit quam Dei voluntatem sanctissimam cognoscere et implere, quam ab ipso Deo, duce ac Domino optimo, in omnibus regi et gubernari. *Dominus regit me, et nihil mihi deerit* (Ps. XXII). — Hinc intelligitur et illud : *Vir obediens loquetur victoriam*. Prov. XXI, 28.

3° En malitia inobedientiæ. — Inobediens enim, non homini resistit, sed Deo ; non homini, sed Deo obmurmurat ; non hominem, sed Deum spernit. *Quasi peccatum ariolandi est, repugnare ; et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere* (I Reg. XV, 23). — *Pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus ne sis rex* (Ibid.).

Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.

1° En potentia nostra in Christo : quatenus cum ipso uniti manemus, ipsius potentiæ participes existimus, omniaque subjacent nobis. *Omnia subjecisti sub pedibus, oves et boves universas, insuper et pecora campi* (Ps. VIII). — Ergo non solum homines, et terrenas tribulationes, sed etiam dæmones, omnemque eorum rabiem vincimus in Christo, id est, per virtutem a Christo mutuandam....

2° Conditio hujus potestatis participandæ est, ut in operibus nostris procedamus in nomine Christi. Jam vero, in nomine Christi procedere, id est, -1) invocare nomen Christi, et in eo fiduciam collocare. -2) In nomine Christi procedere, est operari, laborare pro Christo, sub obedientia ejus, et secundum mentem ac spiritum ejus. -3) In nomine Christi non procedit, qui agit in nomine suo : id est, qui agit fretus suis viribus, et obsequens suis cupiditatibus et commodis....

Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.

1° En lapsus angeli, qui de cœlo ruit in abyssum, et ex principe cœlesti mutatur in diabolum : ut intelligamus, neminem esse in hac vita securum, etiamsi angelus esset et in

cœlestibus habitaret; nisi humilis sit, et Dei pedibus assidue inhæreat....

2° *Satanas de cœlo cadens,* en lapsus hominis christiani in peccatum, et inde in infernum. — In persona enim Luciferi, vidit Christus omnes ejus asseclas, non solum dæmones, sed etiam homines, e sublimi sua destinatione, velut e cœlo cadentes.

3° *Satanas de cœlo cadens*, en imago peccati ejusque effectuum in anima. — Nam -1) per peccatum anima decore gratiæ spoliatur, et horribilis efficitur oculis Dei. -2) Excidit e jure ad hæreditatem æternam, e dignitate et libertate filiorum Dei. -3) Excidit ex amicitia Dei, et incurrit Dei odium. -4) Excidit ex omnibus bonis spiritualibus, omnibusque meritis antea acquisitis. -5) Decidit demum, si sic moriatur, de cœlo in infernum : ex quo lapsu in æternum sese erigere non poterit.

4° *Satanas de cœlo cadens*, en peccatum superbiæ, quod ex angelo dæmonem facit, quod exaltantem se præcipitat, et symbolo fulguris aptissime adumbratur. Nam -1) superbia et vana mundi gloria, instar flammæ fulgureæ coruscat, et illico evanescit. -2) Eadem e cœlo dejicitur : quia *Deus superbis resistit* (I Pet. V, 5). -3) Dejicitur in terram, imo in tartara : quia *omnis qui se exaltat humiliabitur*, et igni perenni punietur.

5° Anima humilis de cœlo non cadit, sed e contra in cœlum gloriosa ascendit; —nec fulguri maligno, sed soli benefico et immortali similis prædicatur : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ?... quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Cant. III, 6; VI, 9.

Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes...

1° Quis confert hominibus potestatem hanc? — R. Ille, de quo ab initio dictum est ad Serpentem antiquum : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus* (Gen.

III, 15). — Ille potens antagonista, inimicus Serpentis, quem et ipsemet, tum verbo, tum cruce contrivit, et conterendi potestatem discipulis tribuit....

2° Quinam sunt illi serpentes? — 1) Satanas, qui vocatur in Scriptura *Serpens antiquus*, *draco magnus;* ipse et angeli ejus. -2) Pravi homines, diaboli spiritu afflati, imitatores ejus, ministri ac instrumenta ejus : qui ejus partes et velut exercitum constituunt. -3) Diaboli opera, peccata. -4) Vitia et passiones pravæ, quæ veluti genimina viperarum sunt, et progenies diaboli immundissima, animamque coinquinant et veneno inficiunt.... Hæc ab aliis misere nutriuntur in corde; — ab aliis vero in Christi nomine ejiciuntur et conculcantur pedibus.

3° Quare diabolus vocatur serpens? — -1) Quia sub forma serpentis insinuavit se in paradisum. -2) Quia, sicut serpens, callidus est, fallax et multiformis. -3) Quia venenosus est, et hominem inficiendo occidit. -4) Quia terræ undequaque adhæret, id est, in terrestribus bonis versatur, quibus homines decipit. -5) Quia insidiatur pedibus prætereuntium, id est, homines in hac transitoria vita aggreditur ex parte ipsorum infima, quæ est caro : hanc inficere satagit, ut concupiscat et prævaleat adversus spiritum. Quapropter virtute quadam superna opus est, ut insidiosus ille anguis conculcetur.

4° Quomodo calcatur pedibus et conteritur? — 1) Calcavit eum Christus, contrivitque caput ejus, pede humanitatis et ligno crucis, in quo humanitas humiliata et prorsus immolata est. -2) Calcavit eum Maria immaculata, tum per gratiam suæ immaculatæ Conceptionis vincendo omni ex parte peccatum; tum standO fortiter sub cruce, particeps omnis sacrificii Filii. -3) Calcarunt eum omnes justi, vincendo peccatum in nomine, id est, per fidem, imitationem, gratiam Christi, et per præsidium immaculatæ Virginis Matris ejus. -4) Calcare eum et nos debemus similiter....

5° Quodnam est serpentis caput quod conterendum est? — R. Caput serpentis est -1) superbia et inobedientia; -2) hæresis et incredulitas; -3) vitium cujusque dominans....

6° Quomodo infernalis serpens conterentis se calcaneo insidiatur, seu illud lædit? — R. Lædendo hominem in vita

bonisque corporalibus, quæ infima pars hominis et velut calcaneum ejus est : hac parte sola tum Christo, tum discipulis ejus nocere permittitur. Corpus scilicet, per se vel per impios homines, instrumenta sua, affligere potest; animam vero non attingit. Quare Dominus dicebat : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Matth. X, 28.

In hoc nolite gaudere.

En gaudium inordinatum, quod contingit, quum gaudet homo de re, de qua non est gaudendum ; vel quum plene gaudet, ubi partim tantum gaudere licet.

1° Causa legitima gaudii non est quævis mundana et peccaminosa delectatio, nec fortuna inique acquisita, nec vindicta, nec ambitionis vel alterius cupiditatis expletio, nec successus improborum hominum, aut humiliatio bonorum.... *In hoc nolite gaudere.....* Imo iis qui sic perperam gaudent, dicitur : *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.* Luc. VI, 25.

2° Causa gaudii pleni non sunt quæcumque bona terrena et corporalia, ut divitiæ, scientia, sanitas, successus operum etiam quæ ad gloriam Dei et animarum salutem pertinent... quia hæc omnia, vel non prosunt nobis quoad animam, nec meliores efficiunt oculis Dei, vel non carent periculo spirituali, vel morte tolluntur... — De his modice tantum gaudere licet, quatenus nempe ad gloriam Dei conferunt, et nobis vel aliis proficiunt ad salutem.

Gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.

En causa gaudii pleni, ob quam scilicet gaudere licet plene, ex toto corde, quasi de bono puro, et ita animam satiante, ut conquiescat et dicat : *Hoc mihi sufficit.*

1° Hujusmodi gaudii causa a Domino assignatur : *Quod nomina vestra scripta sunt in cœlis :* id est, quod estis in statu gratiæ, quod Dei legem atque voluntatem impletis. Ergo causa gaudii in hac vita, est gratia et amicitia Dei, et quidquid ad eam conservandam vel augendam pertinet. — Ergo

remissio peccatorum, conscientia pura, pœnitentia, victoria de tentationibus, oratio, eleemosyna, aliaque bona opera; et præsertim tribulatio patienter tolerata, causa sunt gaudii veri et pleni in hac vita... quantum scilicet fert hujus vitæ conditio, quantum cor nostrum in hoc tempore præparatorio gaudium capere potest. *Ut gaudium vestrum sit plenum.* Joan. XVI, 24.

2° Alia est plenitudo gaudii in hoc sæculo, alia in futuro; quia alia est conditio et capacitas animæ in hoc tempore caliginoso fidei ac gratiæ, alia erit in luce gloriæ. Tunc enim, quando non tantum nomina justorum, sed ipsæ eorum personæ erunt in cœlis, *exultabunt lætitia inenarrabili et glorificata : reportantes finem fidei suæ, salutem animarum* (I Pet. I, 8). — Tunc gaudebunt cœlestium bonorum plenitudine *in re;* nunc vero eadem plenitudine non gaudent nisi in spe : *Spe gaudentes.* Rom. XII, 12.

3° Ut ergo plene gaudeamus in hoc mundo, curandum est ut *nomina nostra scripta sint in cœlis;* et cavendum quam maxime ne misere deleantur. — Porro scribuntur nomina in libro vitæ per Baptismum imprimis, deinde vero per pœnitentiam et opera bona; delentur autem per peccata mortalia; scripta retinentur per fugam periculorum, per humilitatem et orationem assiduam....

4° Quicumque non est inscriptus libro vitæ, vere gaudere non potest : adscriptus est enim cum omnibus peccatis suis in libro mortis; et nisi prompte animæ statum mutet, sibique prospiciat, incidet in ruinam æternam....

5° Quicumque inscriptus est in libro vitæ, nulla adversitate tristari, saltem ex animo, debet; sed semper illud verum et plenum gaudium in intimo corde servare potest et debet, quod *gaudium Domini, pax Domini* appellatur. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (Joan. XIV, 27). — *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace* (Rom. XV, 13). — *Gaudete in Domino semper; iterum dico : gaudete* (Phil. IV, 4). — *Deus autem pacis conterat satana sub pedibus vestris velociter.* Rom. XVI, 20.

—

COMMUNE PLURIMORUM MARTYRUM.

Evangelium septimum.

Luc. XII, 1-8. Dixit Jesus discipulis suis : Attendite a fermento Pharisæorum ; quod est hypocrisis. Nihil autem opertum est, quod non reveletur; neque absconditum, quod non sciatur. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur; et quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. Dico autem vobis amicis meis : ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis : hunc timete. Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere : multis passeribus pluris estis vos.

Matth. XVI, 6, 11, 12. Qui dixit illis : Intuemini, et cavete a fermento Pharisæorum et Sadducæorum. — Quare non intelligitis quia non de pane dixi vobis : Cavete a fermento Pharisæorum et Sadducæorum? Tunc intellexerunt quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisæorum et Sadducæorum.

Matth. X, 26, 29, 32. Ne ergo timueritis eos : nihil enim est opertum, quod non revelabitur; et occultum, quod non scietur. Quod dico vobis

Dico autem vobis : omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei.

---

in tenebris, dicite in lumine : et quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse veneunt : et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? — Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.

Marc. VIII, 15. Et præcipiebat eis dicens : Videte, et cavete a fermento Pharisæorum, et fermento Herodis.

Ibid. IV, 21, 22. Et dicebat illis : Numquid venit lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto? nonne ut super candelabrum ponatur? Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur; nec factum est occultum, sed ut in palam veniat.

Explicatio prima.

I. *Cavendum ab hypocrisi.*
II. *Aperte Evangelium prædicandum.*
III. *Intrepide Christus confitendus*

Anno prædicationis suæ tertio, mense Novembri, cum versaretur Dominus in Judæa, essetque in domo Pharisæi, a quo invitatus fuerat ad prandium, ingens multitudo ante domus ostium confluxerat; cumque Jesus egrederetur, cœpit docere discipulos audientibus illis turbis, ita, ut ad eas subinde sermonem etiam directe converteret. *Multis turbis circumstantibus*, inquit Lucas, *ita ut se invicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos :*

Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.

Dominus his verbis præmunit audientes contra hypocrisim Pharisæorum : tum ut eam non imitentur, tum ut ea non decipiantur. Erat enim, ut scribit Josephus (1), populo de Pharisæis magna quædam et admirabilis existimatio, qua ut viros doctos et sanctos eos haberent; cumque eosdem viros adversari Christo viderent, inde fiebat, ut plurimi Christo adhærere minus auderent.

Ut igitur illud credendi obstaculum a populo removeret, Dominus Pharisæos quales erant manifestavit; eorumque virtutem ostendit esse meram simulationem externam et hypocrisim : cum externas tantum cæremonias, et apparentem sanctitatem spectarent, neglecta interiori animæ puritate.

Hoc autem vitium Pharisæorum appellat *fermentum :* quia in omnibus suis operibus eodem imbuti erant et corrupti. — Dicit autem *ab illo fermento cavendum esse*, quo monito audientibus significat, necesse esse ut attendant et sibi ca-

(1) *Antiq. Jud.* l. 18, c. 2.

veant, ne per fictos illos homines a Christo et Evangelio ejus avertantur.

Alia occasione (Matth. XVI, 6), Pharisæorum *fermentum* appellavit doctrinam eorum : quatenus eam suis vanis, legique Dei contrariis traditionibus, quasi acido fermento inquinabant, et sic auditorum mentes inficiebant ac vitiabant.

Nihil autem opertum est quod non reveletur, neque absconditum quod non sciatur...

Proverbium istud, quod alibi usurpavit Dominus (1), sed applicatione diversa, significare hoc loco videtur, fore ut aliquando hæc fictio omnium oculis manifestetur : nempe in die judicii, *quum judicabit Deus occulta hominum* (Rom. II, 16) ; quumque veniet *Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* I Cor. IV, 5. (2).

—

Explicatio secunda.

Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.

Plurima hic documenta inveniuntur, sive spectetur persona Pharisæorum ; sive eorum fermentum, a quo cavendum esse nos admonet Dominus.

1° Quinam sunt Pharisæi ? — R. Sunt Judæi perversi, sicut gentis suæ primores et doctiores, ita etiam vitiosiores ; homines hypocritæ ; Christi adversarii et persecutores. Repræsentant autem, -1) pravos Christianos, qui omnium pessimi esse solent : *Corruptio optimi pessima.* -2) Quoslibet principes et superiores, divites, doctos, qui, ubi depravati sunt, influxu

(1) Matth. X, 26 ; Marc. IV, 22 ; Luc. VIII, 17. Cf. supra *Commune un. Mart.* Evang. IV. pag. 72.

(2) Quæ sequuntur in textu Evangelii, explicata vid. supra, *Commune un. Mart.* Evang. IV, Matth. X, 26 seqq. pag. 72 seq.

suo populum a Christi lege avertunt. -3) Omnes persecutores Christi, Ecclesiæ et fidelium : tum visibiles, tum invisibiles.... -4) Repræsentant demum partes diaboli, mundique perversi, oppositas partibus Christi et justitiæ....

Quæ duæ partes humanum genus diviserunt ab initio, prout exemplo Cain et Abel videmus : quorum unus justus, alter vero perversus et justi persecutor. Deinceps vero, labentibus sæculis, propagatur utrumque semen, bonorum et malorum; ita tamen ut semen malorum, quod Christus *zizania* appellavit, inter bonos mixtum, uberius multiplicetur. — Porro malum semen tempore Christi, erant Pharisæi, Caini successores, et improborum hominum omnis ævi antecessores.... Hi omnes sunt genus illud inimicum, perpetuo oppositum Christo, principi justitiæ; et ab eo, tum in se tum in suis discipulis spectato, jugiter vincendum. De quo illud : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum, et semen illius : ipsa conteret caput tuum* (Gen. III, 15). Quare Dominus Pharisæis aperte dixit : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere* (Joan. VIII, 44). Quæ verba ad Pharisæos omnis ætatis pertinent....

2° Quodnam est fermentum Pharisæorum? — R. Fermentum pharisaicum est -1) omne principium corruptionis, quo animæ vita, quæ in gratia ac virtutibus, fide, spe, etc., consistit, corrumpitur et putrescit.... -2) Fermentum Pharisæorum opponitur fermento Christi, quod est principium vitæ ac spiritus, principium puritatis omnisque virtutis, consistitque in verbo evangelico (1). — 3) Fermentum Pharisaicum est prava doctrina et pravum exemplum. *Modicum fermentum totam massam corrumpit* (I Cor. V, 6). — 4) Fermentum Pharisaicum est concupiscentia prava, omneque vitium naturæ nostræ lapsæ inolitum. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi* (I Cor. V, 7). — 5) Fermentum istud est præcipue superbia, cupiditas bonorum temporalium, et vitium cujusque dominans....—6) Peculiari tamen ratione, ut ipse Dominus declarat, fermentum Pharisaicum

(1) Cf. *Evangelia Dominic.* t. I, Domin. VI post Epiphan. ad Matth. XIII, 33.

est hypocrisis; quæ filia quidem est superbiæ, sed illum proprium actum habet, ut honestatem quamdam externam prætendat : qua homo sibimet et aliis probitatis opinionem faciat, cum intus et oculis Dei sit malitia repletus.

3° Quomodo a fermento Pharisaico est cavendum? — R. -1) Recedendo ab eorum conversatione et influxu. -2) Fugiendo pravos libros. -3) Inhærendo Christi doctrinæ et exemplis. -4) Cavendo ab omni hypocrisi et superbia....

COMMUNE MARTYRUM TEMPORE PASCHALI.

Evangelium primum.

Joan. XV, 1-7. Dixit Jesus discipulis suis : Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum ; et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Manete in me : et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites ; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me, nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis.

—

Explicatio prima.

I. *Quomodo Pater cœlestis sit agricola.*
II. *Quomodo Christus sit vitis.*
III. *Quomodo discipuli sint palmites.*

Cum Dominus post ultimam Cœnam de instante sua morte locutus esset, et jam valedixisset suis discipulis ; loquendi finem facere noluit, quin eos adhortaretur, ut sibi per fidem et dilectionem perseveranter adhærerent. Atque ideo dilectis suis discipulis significavit, eos quidem corporaliter a suo divino Magistro separandos esse ; spiritu autem semper cum

ipso unitos manere posse ac debere. Quod eleganti et notissima vitis ac palmitum allegoria effecit.

Notandum est autem, allegoria seu parabola proposita multas contineri sententias; non tamen omnes esse scopum et finem parabolæ, sed tantum ad scopum, qui unicus est, ordinari. Nam parabola primo et principaliter propter Apostolos est introducta, quatenus curent, omnique studio incumbant, ut in Christo per fidem et dilectionem permaneant; secundario autem, in Apostolorum persona, omnibus fidelibus generalis doctrina traditur.

Hanc porro hortationem habuit Dominus stans in Cœnaculo, antequam egrederetur. Nam cum dixisset : *Surgite, eamus hinc* (XIV, 31), surrexit quidem, sed non statim egressus est; et sicut amantissimus pater, qui abiturus ægre a filiis avellitur, sermonem novum annexuit et protraxit; quo demum absoluto, exivit ad hortum Olivarum, ut Joannes testatur : *Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron* (XVIII, 1). — Stans ergo in medio discipulorum, quos adstantes, veluti palmites viti circumfusos spiritu aspiciebat, sic loqui exorsus est :

Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est.

Sensus est : Ego, Filius Dei incarnatus, sum verissimo sensu spiritualis vitis; et Pater meus cœlestis agricola, seu viticola est : qui scilicet me quasi vitem plantavit in terra, meosque palmites, id est, Apostolos cæterosque fideles, curat et excolit.

Ego sum vitis : id est, similis sum viti. Per allegoriam enim et similitudinem a re rustica sumptam, vitem se vocat, non per naturæ proprietatem ; sicut alibi vocatur agnus, leo, petra, etc.

1° Alias Christus sese domino vineæ comparavit, in quam excolendam operarios mittat (Matth. XX, 2); item alias, filio domini vineæ, quem pater misisset, ut a vineæ cultoribus fructum exigeret (Matth. XXI, 37); — hic autem se comparat ipsi arbori vitis. Quæ quidem inter se nequaquam pugnant;

sed totidem sunt imagines diversæ, eumdem nobis Christum diverso sub respectu exhibentes.

2° Hic autem sese comparat viti : -1) quia id postulabat peculiaris quem intendebat scopus, docendi nimirum Apostolos et discipulos, quomodo in se, id est, in sua fide ac dilectione manere deberent; nec ob instantem Domini passionem, vel quodvis aliud scandalum ab ipso discedere : uti expresse dicit : *Manete in dilectione mea.* — Quod inculcat per parabolam vitis, quasi diceret : Sicut palmes semper inhæret viti, nec ullo frigore, vento, fulmine ab ea divellitur; sic et vos, mei Apostoli, in mea dilectione persistite.

-2) Quia paulo ante Eucharisticum vinum, id est, sanguinem suum eis dederat, tanquam fructum amoris sui : ideo nunc se dicit vitem, ut arborem ostendat mirabilem, cujus jam fructum exhibuit.

-2) Quia jam ibat ad passionem crucis, quam optime repræsentat vitis per suas uvas. Sicut enim ex uva calcata exprimitur vinum; sic e calcato Christo in torculari crucis, expressus est sanguis pretiosus, quo redemptus est mundus. Alludere ergo videtur Christus ad illud patriarchæ Jacob de se vaticinium : *Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum : pulchriores sunt oculi ejus vino.* Gen. XLIX, 11.

3° *Vitis,* arbor vinifera, constat quidem radice, stipite et palmitibus, et hæc tria comprehendit; hic autem vitis a suis palmitibus distinguitur : Christus est ipsa vitis, radicem et stipitem continens; palmites vero sunt discipuli. — Ipsa autem vitis integra cum suis palmitibus spectata, est Christus cum suis fidelibus, seu Ecclesia universa.

4° Christus se assimilat viti, non qua Deus est, sed qua homo : sic enim homines ei inseruntur, quasi palmites, qui ejusdem cum vite naturæ sunt, et homogenei. Idcirco, ait Hilarius, Christus carnem assumpsit, ut illi, quasi viti, nos homines carnei, quasi palmites, inseri possemus. — Verumtamen caro Christi non haberet illam vim producendi palmites, id est, fideles et sanctos omnis generis, nisi ei con-

juncta esset divinitas : *Quamvis Christus*, ait Augustinus, *vitis non esset, nisi homo esset ; tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi Deus esset.* Quo sensu Cyrillus dicit, Christum vitem esse ratione divinitatis : scilicet quia divina persona est, ideo per mortem suam promereri potuit succum vivificum gratiæ, quem nobis palmitibus suis jugiter influit.

Quod si qua homo vitis est, et Patri suo tanquam agricolæ subjectus ; simul etiam, qua Deus, agricola est ac dominus vitis, æqualis Patri.

5° Si quæratur, cur potius viti se comparet quam olivæ, cedro, alterive arbori? Respondetur, Dominum id facere ob vitis dotes et proprietates, quæ optime ipsi et Ecclesiæ conveniunt, atque ad præsentem sermonis scopum conferunt :

Nimirum, -1) ratione ramorum, quos vitis plurimos producit, quique vocantur sarmenta ; vel, si ad ferendas uvas apti sunt, palmites. His significantur fideles.

-2) Ratione ligni sui, quod est specie ignobile, flexile et indigens palo ad quem alligetur. His significantur christiana humilitas, obedientia, et lignum crucis....

-3) Ratione propagationis, qua facillime diffunditur. Hac significatur Ecclesiæ extensio, quam figuravit vinea populi Israel, *extendens palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines suas.* Ps. LXXX.

-4) Ratione fecunditatis, qua fructibus abundat. Hac significatur gratiæ Christi abundantia et efficacitas.

-5) Ratione uvarum, quæ fructus sunt suavissimi. His significantur virtutes, bona opera et merita.

-6) Ratione vini, quod ex vitis fructu violenter exprimitur : quodque est symbolum passionis ac mortis, et amoris divini.

-7) Ratione foliorum, quæ sunt latissima, quibus poma, cerasa, aliosque fructus contegere, ac mensæ inferre solemus. His significantur gratiæ externæ, donum miraculorum, doctrinæ, eloquentiæ sacræ, etc. ; quæ sunt veluti folia Christi.

-8) Ratione culturæ, quæ multiplex, magna et assidua esse debet. Hac significatur cura multa et laboriosa, qua indiget Ecclesia et animæ sanctæ, Christo velut viti insertæ.

Ego sum vitis vera. — Cur Christus dicitur vitis *vera?* R. -1) Quia respectu ejus, omnes reliquæ vites sunt figuræ. Est enim ipse *vitis spiritualis*, imo divina, adeoque præstantissima, omnes vitis effectus tam excellenter producens, ut vitis quælibet alia, sive physica, sive moralis, qualis erat populus Israel, non sit nisi adumbratio ac figura hujus veritatis. — Dicendo se vitem esse *veram*, alludit Dominus ad illud Siracidis : *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris; et flores mei fructus honoris et honestatis* (Eccli. XXIV, 23). Et ad illud Davidis : *Plantasti radices ejus, et implevit terram : operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei : extendit palmites suos usque ad mare* (Ps. LXXIX). — Sicut dicitur hic *vitis vera*, ita similiter alibi Christus nominatur *lux vera*, *panis verus* et *vita* implicite quoque *vera :* quia lucet, vivificat, nutrit magis et excellentius quam ulla corporea lux, vita aut panis.

-2) Dicitur vitis *vera*, quia non est vitis falsa, ficta, degenerata, aliena, quæ non proferat veras uvas ; sed genuina, quæ non tantum speciem, sed veras vitis proprietates habet, verosque fructus producit. Opponitur ergo vitibus falsis, de quibus dicitur : *De vinea Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ. Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile* (Deut. XXXII, 32). — *Ego plantavi te, vineam electam, omne semen verum ; quomodo ergo conversa es mihi in pravum, vinea aliena?* Jer. II, 21. Cf. Isai. V, 2.

Et Pater meus agricola est. — Filius quoque et Spiritus sanctus est agricola hujus vitis ; sed Christus de more, soli Patri id attribuit, quia Pater est origo Filii et Spiritus sancti, ac principium primum in divinis.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum ; et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.

Duplex agricolæ erga sarmenta cura est : -1) ea quæ prorsus inutilia sunt, ad radicem penitus resecat ; -2) quæ autem utilia sunt, ea purgat : id est, a vermibus, omnique noxa

liberat, præcisis extremitatibus amputat, et luxuria frondium spoliat, quo plus roboris sumant, plusque afferant fructus. — Ea ipsa duo docet Christus Patrem erga fideles facere; ita ut sensus sit : Omnem fidelem, qui mihi per fidem unitus quidem est, sed fructum bonorum operum non profert : id est, legem non servat, Pater a me separando puniet; illum vero qui fructum operum producit, magis excolet et purgabit, ut fructum ferat uberiorem.

Palmes in Christo est quilibet Christianus, qui per fidem et Baptismum, Christo, tanquam palmes viti insertus est. — Illa tamen inhæsio in Christo admittit gradus : nam per meram fidem *incipit* homo esse in Christo; per justificationem autem et charitatem ei *plene* inseritur, etc.

Tollet eum : id est, puniet, præcipue, separando eum a Christo. — Hæc autem separatio iterum gradus admittit : est enim separatio a gratia sanctificante, per peccatum mortale; separatio a fide, per infidelitatem ac hæresim; separatio ab Ecclesia militante, per excommunicationem; separatio demum ab Ecclesia triomphante, per æternam damnationem. — Dicendo *tollet eum*, alludere videtur Dominus ad miserrimum Judam Iscariotem, qui jam a divino Magistro defecerat.

Purgabit eum : id est, omni modo fideles excolit ac juvat, ut magis magisque proficiant. Quod non solum fit dum Christi discipuli tentationibus ac tribulationibus exercentur; sed multo magis dum majore cumulantur gratia. — Hinc quæstioni, quænam sit spiritualis falx putatoria, qua Deus Ecclesiæ palmites purget? respondetur :

1) Est sermo Dei; quare mox subditur : *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.*

2) Sunt persecutiones, tentationes, tribulationes quæcumque.

3) Sunt illustrationes, inspirationesque sanctæ, et quælibet gratiæ internæ, quibus Deus fidelium mentes confirmat et promovet in spiritu.

Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.

Enuntiatam modo sententiam applicat Dominus discipulis audientibus, dicens : Jam purgavit vos Pater per mea verba, monita, hortamenta, omnemque doctrinam quam audistis a me, ex quo mihi per fidem adhærere cœpistis. — De malo palmite non amplius loquitur, sed de solis bonis; quia, egresso Juda, adstantes undecim boni et fideles erant.

Dicendo *jam mundi estis*, munditiem Apostolis asserit veram, non tamen ita perfectam, ut non majore incremento indigeat. Etenim valde imperfecti adhuc erant Apostoli, ut mox in passione Domini patuit.

Hujusmodi puritatis causa dicitur *sermo* seu *verbum Dei*, quatenus est objectum fidei ; quia verbo Dei credendo mundamur. Fides enim est prima justificationis et mundationis internæ causa : *Justus ex fide vivit* (Rom. I, 17). — *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis.* Trid. Sess. 6, cap. 8.

Manete in me : et ego in vobis.

Id est : Manete in me, sicut palmites fructiferi in vite; et tunc ego infallibiliter, per influxum vivificum gratiæ, in vobis manebo. — In hunc sensum Augustinus scribit : *Cum Deus hominem ad justitiam perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur.* De nat. et grat. l. 1. c. 2.

Hæc est conclusio, qua Apostolos ad perseverandum in bono adhortatur, quasi diceret : Cum ergo sitis justi, ac palmites fructiferi, culturaque digni, manete tales, in mea fide et charitate constanter perseverando : et sic beneficum meum influxum indeficienter experiemini.

Quam conclusionem practicam ut efficaciter discipulis persuadeat, septem deinceps confirmat rationibus. -1) Quod sine ipso nihil boni aut salutiferi possint facere. -2) Quod, si in ipso manserint, multum fructum sint producturi. -3) Quia, si in ipso non manserint, arescent, et in ignem gehennæ mittentur. -4) Quia, si in ipso perseveranter manserint, impetra-

bunt a Deo quidquid postulabunt. -5) Quia hoc modo valde glorificabunt Deum, ejusque gloriam per totum orbem promovebunt. -6) Quia ipse Dominus indesinenter et mirifice dilexit eos; quare æquum est ut vicissim discipuli eum diligant, et in ejus dilectione persistant. -7) Quia, in hac dilectione manendo, perenne gaudium consequentur.

Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic et vos, nisi in me manseritis.

Primum motivum manendi in Christo : necessitas influxus ejus. Sicut palmes a vite haurit vitam et succum ad producendas uvas; sic et vos a me haurire debetis succum vitalem gratiæ ad operandum salutariter : id est, ad opera præstanda quæ prosint ad salutem. — Hinc patet absoluta necessitas interioris gratiæ auxilii, ut opera quælibet salutaria producere valeamus. Sumus enim in re salutis instar palmitum, nihil habentes a nobis aut ex naturæ viribus, sed omnem spiritualem succum et efficientiam haurientes ex vite nostra Christo; qui propterea mox addit : *Quia sine me nihil potestis facere.* Quæ verba Augustinus commentans : *Sive parum*, inquit, *sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest* (1).

Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere.

Alterum motivum manendi in Christo : quod illa immanentia sit principium felicissimæ fecunditatis in spiritu, per opera meritoria. Ego, inquit, sum vitis, principium spiritualis vitæ ac vigoris; vos vero palmites, ex me vivificandi. Qui manet in me, ita ut ego etiam maneam in eo : id est, qui manet in me perfecte, per charitatem, ita ut ego vicissim eum redamem, meoque spiritu eum plene imbuam; hic fert fructum multum bonorum operum et meritorum, quibus

(1) Tract. 81 in Joan. — Cf. Trid. sess. 6, can. 2 et 3 et cap. 16; item *Elementa Theol. dogm.* tom. 2, tract. 9, n. 94 seqq.

augmentum gratiæ et gloriæ perpetuo acquiritur. Qui quidem meus influxus, sicut est copiosus, ita etiam plane necessarius : quia sine me, supernaturaliter juvante, vos per naturæ vestræ vigorem, nihil in ordine salutis potestis facere.

Ita, quemadmodum Concilium Tridentinum docet (1), Christus Jesus, tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit, qua opera, augmenti gratiæ et vitæ æternæ vere meritoria, producant.

Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.

Tertium motivum manendi in Christo : terribilis punitio eorum qui ab ipso deficiunt. Si quis, inquit, a me defecerit per peccatum mortale, post mortem excludetur ab æterna vita, et in ignem æternum mittetur.

Prosequitur autem Dominus allegoriam palmitum, quasi diceret : Sicut palmes inutilis a vite resecatur, et foras extra vineam projicitur, ubi omnino arescit, et cum aliis in fasciculos colligitur, ac mittitur in ignem, quo illico ardet ; sic pariter fidelis, qui in me per fidem et charitatem non manet, separabitur penitus a me, Christo, meaque Ecclesia gloriosa, et ab omni gratiæ succo privatus arescet, atque a dæmonibus cum aliis reprobis colligetur ut in gehennam conjiciatur.

Illæ circumstantiæ : *mittetur foras, et arescet ; et colligent eum*, ad explendam ornandamque parabolam additæ videntur ; et, saltem in sensu litterali, per modum unius sumi possunt, ita ut simpliciter exclusionem a cœlo, æternamque damnationem significent.

Porro damnatio quæ hic exprimitur, ut patet, non infligitur actu, seu *in actu secundo*, nisi post mortem. Quamdiu enim peccator vivit, non damnatur nisi *in actu primo ;* nec separatur a Christo nisi *imperfecte*, et adhuc resipiscere potest : si vero impœnitens moriatur, separatur a Christo *perfecte* et absolute, inciditque irrevocabiliter in damnationem æternam.

(1) Sess. 6, cap. 16.

Hujusmodi autem damnationis certitudo, per allatam allegoriam clarissime significatur, ut Augustinus exponit : *Ligna vitis præcisa*, ait, *nullis agricolarum usibus prosunt, nullis fabrilibus operibus deputantur. Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis aut ignis : si in vite non est, in igne erit.*

Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis et fiet vobis.

Quartum motivum manendi in Christo : privilegium omnia per orationem impetrandi. Si permanseritis, inquit, in mea dilectione ac gratia, et verba mea in vobis manserint efficaciter, ut ea servetis : quidquid petieritis impetrabitis.

Quod addit : *Et si verba mea in vobis manserint*, explicat sententiam præcedentem, et declarat quomodo in Christo sit manendum, faciendo nempe ut verba Christi in nobis maneant. Atqui manent verba Christi in nobis, si ea conservemus -1) in intellectu et memoria, ea credendo assidueque recordando ; -2) in voluntate, ea diligendo ; -3) in operatione, ea quæ jubent perpetuo exsequendo.

Quodcumque volueritis petetis et fiet vobis : quia manentes in Christo nihil volent neque petent, nisi juxta voluntatem Christi, et juxta formulam petendi ab ipso præscriptam (Matth. VI, 9). Nihil nimirum petent, nisi quod sciant Deo gratum fore, atque ad Dei gloriam et animarum salutem pertinere ; quia manentes in Jesu Salvatore, velle non possunt, ut Augustinus ait, nisi quod est salutis. Palmes enim in vite existens, si viveret, et aliquid petere posset, nihil aliud peteret nisi conservari in vite, et ejus influxu optimas uvas producere. Sic justi in Christo, nil carnale aut inutile ad salutem, sed sanctissima quæque petunt ; et fiunt eis.

Explicatio secunda.

Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est.

Tres in hac parabola exhibentur personæ, quibus tota salutis nostræ œconomia repræsentatur : Pater cœlestis, ut agricola; Christus Dominus, ut vitis; Christiani omnes, ut palmites.

1° Quid facit cœlestis agricola? -1) Plantavit ipse salutiferam vitem, dum Christum, Filium suum unigenitum, Salvatorem misit in mundum, et nos per Baptismum ac gratiam in eo tanquam palmites inseruit. -2) Vitem hanc dilectam cum suis palmitibus, universalem Ecclesiam, peculiari providentia custodit et curat, ut a portis inferi non vincatur, sed genuina et sancta permaneat. -3) Singulos palmites diligentissime colit, ut fructum faciant quam plurimum. Eos nimirum incidit, alligat, etc. : id est, per prospera et adversa, per consolationem et desolationem nos assidue exercet, eo semper intuitu, ut juvet nos ad salutem. *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Rom. VIII, 28.

2° Quid facit divina vitis? — 1) Palmites suos assidue nutrit per succum vivificum internæ gratiæ, quæ afficit intellectum, voluntatem, ipsasque vires inferiores : ut roboremur in fide, in fiducia, in charitate, in temperantia, in castitate, et in omni opere bono.... -2) In eos influit assidue suum spiritum, ut sint, non rami qualescumque, sed genuini palmites vitis divinæ : ut nempe nos, Christi palmites, simus vere Christiani seu alteri Christi : *Conformes imaginis Filii Dei* (Rom. VIII, 29); *corroborati per Spiritum ejus in interiorem hominem... in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (Eph. III, 16; IV, 13). -3) Influxus hujusmodi invisibilis quidem est, et sensim sine sensu perficitur in anima, sicut vegetatio in planta; actus tamen externos, ut orationem et sacramenta, requirit a nobis....

3° Quid facere debent palmites? — Palmites mystici, qui sunt homines, liberæ defectionis, omissionis et operationis capaces, debent -1) inseparabiliter inhærere viti; -2) pati incisionem, omnemque culturam; -3) indesinenter illud agere quod est palmitis proprium : ut non folia tantum, sed fructum vitis conficiant... prout palmites naturales vi naturæ necessario facere videmus.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; et omnem qui fert fructum, purgabit eum ut fructum plus afferat.

En duo palmitum genera : alii steriles sunt, alii fructiferi.

1° In Christo, quamvis optima vite, palmites esse possunt steriles, imo noxii, ut in Juda prævaricatore patet; cujusmodi sane miserrima est conditio, his Christi verbis significata : *Bonum erat ei, si non esset natus homo ille.* Marc. XIV, 21.

2° In Christo, vite optima, omnes possunt et debent esse palmites fructiferi, semperque robore ac fructu crescere : quorum sors est felicissima....

3° Ab unoquoque pendet, se ipsum palmitem bonum reddere vel malum, utilem vel inutilem, felicem vel miserum....

4° Palmites steriles tollendi sunt; quid, si fuerint noxii? si pro uvis faciant labruscas aut spinas?... *Uva eorum uva fellis et botri amarissimi* (Deut. XXXII, 32). — Tollendi autem sunt suo tempore, et post moram misericordiæ... ut ex parabola de ficulnea sterili (Luc. XIII, 7), et exemplo Judæ intelligitur.

5° Ut palmes sit bonus, non sufficit ut in vite maneat qualicumque modo, et folia producat; sed necesse est ut faciat fructum....

Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.

1° *Mundities* spiritualis est ipsa interna vita ac gratia, quatenus opposita inquinamento et corruptioni vitiorum; sicut eadem vita interna ac gratia vocatur *virtus*, quatenus opposita infirmitati, et *fecunditas*, respectu fructuum.

2° Spiritualis purgatio, totaque cultura, perficitur per medium quoddam præcipuum hic indicatum, nimirum sermonem Christi, ad quem alia quæcumque media reducuntur. *Vivus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti* (Hebr. IV, 12). — Intelligitur autem sermo Dei *creditus*, cum docilitate acceptus et in praxim deductus; estque multiplex : sermo Dei minitans, increpans, prohibens, præcipiens, adhortans, veniam ac mercedem promittens, etc.

Manete in me : et ego in vobis.

En mysterium unionis cum Christo, constitutæ per modum palmitis conjuncti cum vite (1).

1° Quid est manere in Christo? — 1) Non est tantum nasci in Christo, vel ei inseri per Baptismum; sed -2) ab eo non recedere, nec ulla vi hiemis vel ventorum, id est, tentationum, ab eo divelli se sinere; et -3) ita intime ei, ejusque verbo inhærere, ut plenus ipsius influxus recipiatur. — Hic, ut patet, varii inhæsionis gradus distingui possunt, secundum quos alii fideles aliis intimius et diutius in Christo permanent....

2° Quare in Christo manendum est? — R. Omnia hic motiva, necessitatis, excellentiæ, utilitatis urgent; omnesque rei circumstantiæ idem suadent, sive ex parte palmitis, sive ex parte vitis divinæ, sive ex parte cœlestis agricolæ spectentur. Quæ quidem motiva recensentur ab ipso Domino in sermone quem consideramus; suntque talia ac tanta, ut verissime verba Petri hic applicari possint : *Bonum est nos hic esse.*

3° Quomodo in Christo est manendum? — 1) Per eadem principia, quibus inserti sumus : quæ sunt actus fidei, spei et charitatis, pœnitentiæ de peccatis, etc. — 2) Practice, per observationem legis, fugam peccati, orationem, sacramenta, et quælibet bona opera... hæc enim omnia animam cum Christo conjungunt.

4° *Et ego in vobis.* Quomodo Christus in nobis manet? — 1) Per influxum gratiæ, qua in toto homine, omnibusque

(1) Eadem unio alibi (Joan. VI, 57) exponitur alio modo, nempe per analogiam panis, uniti cum substantia manducantis. Cf. *Evang. Dominic.* t. 2, *in festo Corp. Christi.*

ejus facultatibus jugiter vivit et operatur. Sic vitis est in palmite, sol in crystallo illuminato. — 2) Per substantialem suam præsentiam, qua, secundum divinitatem, perpetuo in anima justa tanquam in templo manet. Quare Paulus dicit, *Christum habitare per fidem in cordibus nostris* (Eph. III, 17). — 3) Per Spiritum sanctum, in quo cum Ecclesia sua, tanquam anima cum corpore, perpetuo unitus manet. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Matth. XXVIII, 20.

Ego sum vitis, vos palmites.

1° Christus est, respectu generis humani totius, vitis, id est radix et fons spiritualis vitæ. Quæ quidem vitis divina est principium quoddam excellentissimum, uberrimum, indeficiens, dummodo ex parte palmitis non sit obstaculum; — sed simul principium vitale unicum, ac proin necessarium. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Joan. I, 16.

2° Nos sumus palmites, spirituales nimirum, et corporalibus ac ligneis palmitibus similes, ab his tamen partim discrepantes. Nam palmes naturalis semper in vite manet, semper succo vitis nutritur, nullam culturam recusat, semperque et quantum potest fructum facit; quod si arefactus fuerit, vel separatus a vite, reviviscere non potest... nos vero, palmites liberi, quamdiu in hoc sæculo vivimus aliter nos habemus....

Hic fert fructum multum.

1° Quis est fructus genuinus vitis divinæ? — 1) Christianæ virtutes, et bona opera ac merita. -2) Bona exempla. -3) Gloria futura.... -4) Fructus hujusmodi a discipulis Christi produci possunt in se vel in aliis....

2° Quare fructus est producendus? -1) Quia si fructum non producant fideles, ut mali palmites abjicientur. -2) Quia ad id motiva omnia, utilitatis, etc. eos urgent.

3° Quantus fructus producendus est? — Merito Christus requirit fructum multum; quia quanto arbor melior est, tanto uberiore fructu ramos ejus exornari decet....

4° Quæ conditio requiritur ad fructum quam plurimum producendum? — Unum sufficit et necessarium est, nimirum ut quis plene maneat in Christo : *Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum.*

Quia sine me nihil potestis facere.

Sine Christo nihil; in Christo multum, imo omnia.

1° Sine Christo nihil habemus, nihilque possumus. — Etenim -1) dempto Christo, quid esset mundus? nonne chaos, et massa damnationis? -2) Sine Christo, sine fide ac religione christiana, quid est homo, nisi errorum et vitiorum receptaculum, æternæ miseriæ destinatum? -3) Sine Christo, id est, sine influxu ejus, quid est fidelis quilibet, nisi palmes aridus, sine vita et efficacia? Nihil habet in intellectu, nihil in corde, nihil in operibus; nihil in hac vita, nihil in æternitate futura....— Nihil potest ad resistendum tentationibus, nihil ad exercendas virtutes, nihil ad successum in operibus Dei...

2° In Christo e contra, omnia habemus, omnia possumus. -1) In ipso possidemus omnes thesauros scientiæ, sapientiæ, fortitudinis, pacis, felicitatis... -2) In ipso omnia possumus, ut vincamus hostes animæ, atque opera quæcumque ab ipso nobis injuncta perficiamus : *Omnia possum in eo qui me confortat.* Phil. IV. 13.

Si quis in me non manserit, mittetur foras...

En separatio a Christo, quæ incipit in hac vita, consummatur in futura, desinitque in damnationem æternam.

1° Hæc separatio in præsenti vita admittit gradus : incipit a minimis, a negligentia quandoque exigua, ob quam gratia paulatim minuitur, consolatio et illustratio subtrahitur... desinit autem in peccatum mortale ejusque habitum... imo in obdurationem ac impœnitentiam finalem....

2° Consummatur separatio a Christo in vita futura : nimirum terribiliter quidem in judicio particulari... terribilius vero in judicio universali et maledictione suprema.

Quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis.

En omnipotentia supplex. — 1° Objectum impetrationis nobis propositum est universale ac sine limite : quodcumque voluerimus, sive pro nobis, sive pro aliis... dummodo ad producendum fructum pertineat; quia bonus palmes aliud velle non potest.

2° Conditio tantæ potentiæ, est conservatio practica verborum Christi, seu studium servandæ legis : *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint....* Quibus consonat illud Psaltis : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum... sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet, et omnia quæcumque faciet prosperabuntur.* Ps. I.

COMMUNE MARTYRUM TEMPORE PASCHALI.

Evangelium secundum.

Joan. XV, 5-11. Dixit Jesus discipulis suis : Ego sum vitis, vos palmites ; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me, nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis. — (v. 8.) In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.

Explicatio prima.

I. *Quomodo conjunctio cum Christo servanda sit discipulis ipsorummet causa.*
II. *Quomodo propter gloriam Patris.*
III. *Quomodo propter dilectionem Christi, et gaudium.*

Versic. 8 (1). *In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli.*

Ut discipuli Christo inhærere constanter studeant, præter argumenta jam allata, quæque ex ipsis discipulis ducuntur; novam Dominus affert rationem, ex parte Patris : quod scilicet id cessurum sit in magnam gloriam Ejus. Sensus verborum est quasi diceret : Manendo in me, glorificabitis Deum Patrem ; sic enim fiet, ut ingentem animarum messem, totiusque mundi conversionem operemini, et efficiamini discipuli mei perfecti, imitatores mei usque ad mortem.

Quod dicit, *clarificatus est*, id est, glorificabitur : scilicet mox, post mortem meam et adventum Spiritus sancti, quum Evangelii prædicationem inchoaveritis.

Hæc duo : *Ut fructum plurimum afferatis, — et efficiamini mei discipuli*, ordine præpostero videntur posita. Prius est enim effici discipulos quam fructum afferre; sed hic, quod alibi in Scriptura occurrit, ordo rerum efficaciæ sermonis postponitur. Dominus enim sic loquitur, quo melius discipulis inculcet, velle se ut sibi inhæreant et in sua disciplina perseverent; quasi diceret : Glorificabitur Deus, si fructum plurimum afferatis : quod utique fiet, si vere mei discipuli sitis, et in mea disciplina perseveretis ac perficiamini.

(1) Superiores versiculi 5-7, in præcedenti Evangelio sunt expositi. — Ibidem adnotationes præviæ videri possunt.

Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea.

Novum argumentum ad unionem cum Christo servandam, desumptum ex dilectione qua Christus discipulos dilexit. Sicut Deus Pater, inquit, me hominem gratuito dilexit, et ad hypostasim Verbi evexit, ut fierem Dei Filius et mundi Salvator ac vitis divina; ita ego vos præ aliis dilexi, et absque vestris meritis evexi ad adoptionem divinam in me, ut sitis mei discipuli, et Apostoli, et palmites divinitus fructiferi. Quapropter satagite, ut in hac dilectione et beneficentia, qua vos prosecutus sum, conservemini.

Quod dicit *sicut,* non æqualitatem dilectionis, sed similitudinem denotat. Quæ quidem similitudo ad rem apposita est. Agitur enim de dilectione Patris erga Christi humanitatem, quæ dilectio velut exemplar est dilectionis Christi erga discipulos : nimirum, sicut ex gratuita dilectione Patris, humanitas conjuncta est Verbo, et facta est vitis divina; sic ex gratuita dilectione Christi, divinæ viti copulati sunt discipuli, et facti palmites. — Unde infertur æquum esse, ut ipsi procurent, et omni studio contendant conservare dilectionem, quam nullo præexistente merito suo acceperunt, quæque tantæ dignitatis atque excellentiæ esse ostenditur.

Manete in dilectione mea : id est, in dilectione mea activa, qua ego vos diligo, et tanquam vitis, virtutem vobis influo. Sensus ergo est : Manete in me, tanquam palmites, curando vos exhibere dignos qui semper a me diligamini; quod quidem efficietis servando mandata mea.

Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.

En modus discipulis propositus, quo se in dilectione Domini conservent. Si præcepta mea servaveritis, inquit, nunquam vos diligere prætermittam. — Christus de perseverantia ac stabilitate dilectionis suæ erga eos loquitur, quam mandatorum observantia efficit. Diligit enim Christus mandatorum suorum observatores; et quo magis ac magis ea observare

perseverant, eo amplius etiam dilectio Christi erga eos augetur. — Non enim Domini dilectio immutabilis permanet, nec erga suos omnes æqualis est; sed pro fidelitate cujusque in observandis mandatis, majore vel minore affectu a Domino diligitur.

Sicut et ego præcepta Patris mei servavi, et maneo in ejus dilectione.

Viam et modum hunc manendi in ejus dilectione manifestum, facilem et suavem efficere conatur Dominus, proposito suo exemplo. Si mandatis, inquit, meis obediveritis, benevolentiam meam et amorem conservabitis; sicut ego Patris mei mandatis obedire pergo, ideoque ejus gratiam et dilectionem erga me conservo. — Notandum tamen, hic non inquirendum esse similitudinem omnimodam, sed eam tantum quæ ad rem facit. Pater enim Christum qua hominem dilexit multis ex titulis, inter quos unus est Christi obedientia erga Patris mandata : et in hoc similitudo consideranda proponitur. — Porro præceptum Patris respectu Christi, fuit Patris beneplacens voluntas, qua volebat, ut salus humani generis a Christo per mortem crucis libere perficeretur : *Hoc mandatum,* inquit, *accepi a Patre meo.* Joan. X, 18.

Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.

Ultima ratio, qua Christus discipulis suadet ut in ipso permaneant, est gaudium, quo per hujusmodi mansionem afficient, tum Christum, tum se ipsos. Gaudium enim duplex distinguitur his verbis : *Gaudium meum, et gaudium vestrum;* id est, gaudium Christi, et gaudium discipulorum; ita ut sensus sit : Hæc adhortamenta locutus sum vobis, ut permanentes in me, gaudio me afficiatis, et vosmetipsi gaudio perfecto impleamini.

Ut gaudium meum in vobis sit : id est, ut in vobis sit causa gaudii mei, seu ut de vobis gaudeam. Gaudent enim parentes et magistri, quum vident filios et discipulos, dictis suis obedientes, probe se gerere; et magnum argumentum persua-

dendi discipulo est gaudium magistri. De hujusmodi gaudio loquebatur Paulus, ad Thessalonicenses scribens : *Vos estis gloria nostra et gaudium.* I Thess. II, 20.

Et gaudium vestrum impleatur : id est, ut vestra desideria impleantur et sic perfecte gaudeatis. Scilicet, manendo in me, non solum me, sed simul vosmetipsos gaudio afficietis. Sic enim fiet, ut quod summopere cupitis, consequamini, mecum nempe semper manere, et nunquam a me separari.

Connexa igitur hæc duo sunt : gaudium Christi, et gaudium discipulorum. Sicut enim Christus gaudebat de ipsis quasi bonis discipulis ; ita vicissim ipsi gaudebant de Christo, quasi optimo parente ac magistro. Respicit enim Dominus ad præmissam parabolam vitis et palmitum, quasi diceret : Sicut vitis, si gaudere posset, gauderet de palmitibus sibi inhærentibus et uvas ferentibus ; ac vicissim palmites gauderent, quod viti inhærentes ex ea sugerent succum ad producendum uvas : sic pariter et ego gaudebo de vobis, mihi cum fructu plurimo inhærentibus ; et vos gaudebitis de me, quod ex me hauriatis gratiam et spiritum ad convertendum omnes gentes. Quod gaudium sensim hic in terra perficietur, et demum plane consummabitur in gloria æterna.

—

Explicatio secunda.

In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis...

En gloria Dei, ab omnibus creaturis procuranda ac celebranda, secundum illud : *Benedicite omnia opera Domini Domino ; laudate et superexaltate eum in sæcula* (Dan. III, 57). — Quid autem est gloria Dei ? Quare et quomodo procuranda ? Quid gloriæ Dei opponitur ?

1° *Gloria Dei* est ipsa Dei magnitudo et ineffabilis bonitas, quatenus cognita et amata. — Alia est gloria Dei *ad intra*, quam ab æterno tres SS. Trinitatis personæ sibi mutuo et

ineffabiliter exhibent ; — alia est gloria Dei *ad extra*, quæ in creaturis resplendet, et quam solam considerare debemus.

2° Gloria Dei *ad extra* in eo consistit, ut a creaturis suis rationalibus cognoscatur, ametur et colatur ; seu, quod in idem recidit, gloria Dei in sanctitate et salute hominum sita est....

3° Quare gloria Dei procuranda? -1) Quia nihil melius aut excellentius excogitari potest, quam regis, non terreni, sed cœlestis fronti addere splendorem, et cordi jucunditatem. -2) Quia hic est finis ultimus, et ratio existendi ultima omnis creaturæ, adeoque totius mundi. Omnes enim etiam irrationales creaturæ, suo modo Creatorem laudare debent : *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (Ps. XVIII). -3) Quia hanc Patris gloriam unice intendit et quæsivit Christus. -4) Quia Deus glorificantes se glorificat : *Quicumque,* inquit, *glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* I. Reg. II, 30.

4° Quomodo promovenda est gloria Dei? — R. Promovenda est in nobis — et in aliis : per sanctificationem animarum, tum propriæ tum proximorum ; per hoc, *ut fructum plurimum afferamus* in proximis ; et ipsimet nos *efficiamur Christi discipuli,* in dies scilicet perfectiores.... — Quicumque studio gloriæ Dei moventur, dicuntur animati *zelo*, qui purissimus ardor est illius ignis, quem Filius Dei attulit in terram : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Luc. XII, 49.

5° Gloriæ Dei opponitur gloria creaturæ, gloria propria, suimetipsius glorificatio : qua nempe creatura sese loco Dei constituit, sicut superbus Lucifer in principio. — Hic autem varii gradus dantur ; sed vel minimus superbiæ gradus, vel minimus respectus ad se ipsum, plurimum obscurat in anima gloriam Dei, quam unice et pure in omnibus intueri et quærere debemus : *Omnia ad majorem Dei gloriam ;* quæ regula agendi simul facillima est, perfectissima et efficacissima. — Ubicumque ab illa regula discedit homo ut se ipsum quærat, male incipit habere : quia Deus superbis resistit, et solis humilibus dat gratiam....

Et efficiamini mei discipuli.

1° En unicum uniuscujusque negotium : effici discipulum Christi, puta -1) verum, nec tantum nomine... et -2) perfectum, non tepidum aut indignum, sed talem, ut Magistro sit honori et gloriæ. — Porro variæ discipulorum Christi classes distingui possunt, quorum perfecti illi sunt, qui ut veri imitatores Magistri sequuntur vestigia. Talis apparuit Martyr Ignatius, qui cum Romam ad martyrium subeundum duceretur, hæc ad Romanam Ecclesiam scribebat : « Nunc inci-
« pio Christi esse *discipulus*, nihil de his quæ videntur de-
« siderans, ut Jesum Christum inveniam. Ignis, crux, bestiæ,
« confractio ossium, membrorum divisio, et totius corporis
« contritio, et tota tormenta diaboli in me veniant : tantum
« ut Christo fruar! » Quam bene hæc consonant cum ipsius Christi verbis! *Qui non bajulat,* inquit, *crucem suam et venit post me... qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Luc. XIV, 27, 33.

2° Quare curandum nobis est ut efficiamur Christi discipuli? — Quia in hoc tota nostra gloria et felicitas sita est, ut digni divino Magistro discipuli simus : etenim *ubi sum ego*, inquit, *illic et minister* ac discipulus *meus erit* (Joan. XII, 26). Discipulus Christi nimirum cum suo Domino semper erit : primum quidem in sanctitate et labore, postea vero in beatitudine....

3° Quomodo Christi discipuli efficimur? — R. Non solo Baptismo... sed post Baptismum vita vere christiana, qua divino Magistro assimilamur. *Non est discipulus super magistrum : perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus.* Luc. VI, 40.

4° Quid, si quis ex discipulo Christi fieret discipulus mundi, sectator diaboli, inimicus Christi?... Nonne tum indignitate rei, tum pœna luenda, similis foret Judæ proditori?... Nonne similis stellæ, angelo, Lucifero de cœlo cadenti?...

Manete in dilectione mea.

En paterna Christi dilectio et gratia, cujus excellentia hic aperitur, nec non ejusdem conservandæ motiva et modus.

1° Excellentia patet ex his : *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos.* Nam sicut nihil melius esse potest amore Patris erga Christum ; sic, habita ratione differentiæ personarum, nihil melius esse potest dilectione Christi erga nos discipulos suos.

Porro qualis fuit amor Patris erga Filium suum incarnatum ? — R. -1) Fuit gratuitus (1) ; -2) efficax, omnia beneficia ei conferens ; -3) non tamen mollis, nec carni parcens, ut patet ex passione et cruce quam ei imposuit ; -4) constans, non derelinquens eum in mediis tribulationibus et angustiis, sed ex omnibus eum liberans atque ad summam gloriam perducens : *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* (Ps. XV). — Cui dilectioni Paternæ similis est dilectio benefica Christi erga nos : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Sap. VII, 11.

2° Ad excellentiam dilectionis Christi pertinet ejusdem suavitas. Quid enim jucundius animæ contingere potest, quam ut a persona divina, a Corde Filii Dei diligatur?... — Non tamen omnes æqualiter amoris hujusmodi familiaritate ac suavitate fruuntur. Christus enim, ut est pater æque amantissimus et sapientissimus, filios singulos pro cujusque merito et amabilitate amat.... Sic Joannem peculiari amore dilexit, cui Matrem Virginem virgini commendavit.

3° Motiva manendi in paterna Christi dilectione sunt plurima, quæ oriuntur, tum ex parte nostra, tum ex parte Patris cœlestis, tum ex parte ipsius Christi : prout ab ipso Domino Apostolis proponuntur, et per parabolam vitis palam fiunt. Nam manere in Christi dilectione, idem nobis est, quod palmitibus manere in vite, et vitis influxu vivifico plene frui. — Præterea ipsa excellentia dilectionis Christi, modo exposita, motiva complectitur efficacissima.

4° Modus servandæ Christi benevolentiæ indicatur a Domino, dicente : *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in*

(1) Ut supra, explicatione prima declaratum est, pag. 186.

dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. In quibus duo continentur ; -1) servanda esse mandata : quæ certa, sed necessaria conditio statuitur ; -2) in observatione hujusmodi intuendum esse exemplum Christi : *Sicut et ego.* Jam vero non ignoramus quomodo *Dominus Jesus humiliaverit semetipsum, factus obediens usque ad mortem* (Phil. II, 8) ; quomodo nihil quæsierit, nisi mandata, voluntatem, beneplacitum Patris : *Quæ placita sunt ei facio semper.* Joan. VIII, 29.

Ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.

1° Gaudium Christi est omnis verus ac fidelis discipulus. *Filius sapiens lætificat patrem* (Prov. X, 1). — 1) Quam magna res, quamque suavis est, cor lætificare talis ac tanti Patris ! Atqui, quotiescumque virtutem exercemus, humiliationem quampiam, etc. sustinemus, toties gaudium divino Cordi ejus offerimus. — 2) Quam indigna e contra res est, Cor illud amantissimum contristare ! Atqui id faciunt peccatores. *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Isai. I, 2.

2° Gaudium nostrum Christo curæ est : *Gaudium*, inquit, *vestrum impleatur.* Et Apostolus ejus nomine nos monet, ut *gaudeamus in Domino semper* (Phil. IV, 4). Jam vero, -1) gaudium nostrum ut verum sit, debet esse *in Domino*, id est propter Dominum, propter gloriam ejus, voluntatem ejus, bonaque omnia quæ in ipso possidemus ; — non vero gaudendum est in mundo, et ob illa bona quæ a Domino sunt aliena, vel ipsi contraria. Aliis verbis : gaudii nostri causa vera et unica est Christus, et ea quæ ad Christum pertinent. *Jesu dulcis memoria, dans vera cordis gaudia.*

-2) Gaudium in Domino indicium est inhabitantis Spiritus ejus in nobis. *Certum*, inquit Bernardus, *inhabitantis in anima Spiritus sancti signum est, spiritalis lætitia, et juge mentis in Deo suo gaudium.*

-3) Respectu vitæ præsentis, gaudium illud sanctum in tranquilla quadam cordis dispositione consistit, qua homo delectatur lege Dei tanquam supremo suo bono in hac vita ;

et ad eamdem implendam paratus est, secundum illud : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (Ps. LVI). — Porro paratum esse potest cor hominis tripliciter : -*a*) ad implendam legem ac voluntatem Dei, præcipientis sub mortali ; -*b*) ad eamdem implendam, etiam ubi præcipit sub levi tantum ; -*c*) ad eam insuper implendam in omnibus quæ ipsi præplaceant, etiamsi nulla obligatio imponeretur.... Juxta triplicem hunc gradum, majus quoque vel minus est spirituale gaudium.

Notandum tamen, gaudium istud, quod essentialiter in voluntate, id est, in parte hominis mere spirituali consistit, per se non esse sensibile, seu cum suavitate sensibili conjunctum. Delectatio enim sensibilis adesse vel abesse potest ; et id unum essentiale est, ut cor hominis hoc verbum pronuntiet : *Nihil melius in hoc mundo volo ; nihil ultra posco ; hoc mihi sufficit....* Quod verbum in mediis etiam tribulationibus proferri potest ; et revera pronuntiatur quotiescumque anima in conformitate cum divina voluntate se constituit.

-4) Respectu vitæ futuræ, gaudium erit undequaque plenum : proportionatum tamen cujusque capacitati seu merito ; et in visione ineffabili Dei, atque in ejus amore suavissime fruitivo situm erit : *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Ps. XVI (1).

(1) Sequitur Evang. III de communi Mart. temp pasch., nempe Joan. XVI, 20-22 ; quod hic omittitur, quia expositum invenitur alibi, nimirum *Evangel. dominic.* t. I, Dominica tertia post Pascha.

COMMUNE CONFESSORIS PONTIFICIS.

Evangelium primum.

Matth. XXV, 14-23. Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum : unicuique secundum propriam virtutem; et profectus est statim. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque. Similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui. Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens : Domine, quinque talenta tradidisti mihi : ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi dominus : Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium domini tui. Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait : Domine, duo talenta tradidisti mihi : ecce alia duo lucratus sum. Ait illi dominus ejus : Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

Explicatio prima.

I. *Talentorum distributio.*
II. *Talentorum usus.*
III. *Ratio de talentis reddita.*

Feria tertia Majoris hebdomadæ, cum exisset Dominus e templo in montem Oliveti, multaque illic discipulis de secundo suo adventu dixisset; quo magis rem declararet, et præparationem, ex nostra parte ad adventum Filii hominis requisitam, practice præ oculis poneret, varias proposuit parabolas. Et primam quidem *de decem virginibus*, cum conclusisset dicendo : *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam*, statim alteram subnexuit dicens : *Sicut enim homo peregre proficiscens....* id est : Vigilate, nam in adventu Filii hominis continget, non tantum quod in præcedenti parabola ostendi, sed præterea id etiam quod monstrabo parabola sequenti : *de homine* nempe, *a servis suis negotiatoribus rationem petente, eisque pro merito mercedem retribuente.*

Homo peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua.

Homo quidam dives inducitur, qui profecturus ad tempus in regionem longinquam, vocat servos suos, quibus bona sua, id est, opes seu pecunias suas tradit, ut eas interim, donec revertatur, negotiando augeant. Quod sane, una cum promissione mercedis eis significaverit, dicens : *Negotiamini dum venio.*

Hæc enim ultima verba Lucas (XIX, 11) habet, in parabola *minarum*, quæ parabolæ *talentorum* similis est (1). Dico parabolas istas esse similes : non enim sunt una atque eadem, cum fuerint diverso tempore propositæ; nisi quis dicere velit, esse parabolam unam diversimode repetitam.

(1) Infra, *Commune Confess. non pontif.* Evang III.

Quod dicit *tradidit illis bona sua*, indicat, dominum servis quidem pecuniarum usum commisisse, non vero contulisse dominium, quod sibi reservavit in bona *sua*.

Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum : unicuique secundum propriam virtutem; et profectus est statim.

Talentum est certum pondus auri vel argenti, quod apud antiquos in usu erat, sed pro diversis populis diversum. Talentum Hebræorum aureum circiter septuaginta millibus (70,000) francorum ; argenteum vero, quinque millibus (5,000) æquivalebat.

Unicuique secundum propriam virtutem : id est, secundum cujusque potestatem, seu idoneitatem ; quod additur, ut inæqualis talentorum distributionis ratio reddatur. Sic enim solent prudentes heri bona sua dividere et concredere suis servis, ut plura credant ei qui majore pollet prudentia et industria ; pauciora illi, qui minore.

Notandum autem diligenter, illud *secundum propriam virtutem,* in sensu allegorico nequaquam significare, internam gratiam a Deo dari propter *meritum proprium ac naturale :* quæ pelagiana hæresis est. Gratia enim Dei est omnino gratuita, et sine ullo respectu ad meritum per naturæ vires comparatum conceditur. — Additur autem id *secundum propriam virtutem*, -1) vel tanquam merum emblema parabolæ, ut expleatur narratio, absque ulla, saltem directa, significatione ; vel -2) significat gratiam internam dari secundum dispositionem subjecti, qua sese ad recipiendam gratiam præparavit, at non sine auxilio aliquo gratiæ jam præcedentis ; vel -3) significat certas gratias, ut, exempli causa, vocationem ad statum clericalem aut religiosum, concedi solere secundum aptitudinem naturalem : quam tamen Deus non respicit tanquam causam meritoriam, sed ut regulam suæ providentiæ libere assumptam. Non enim Deus aliquem ad statum, gradum, aut munus eligit, nisi electus ei ferendo par sit et natura idoneus, vel nisi ipse Deus eligens eum idoneum faciat.

Quare et nos, ubi de vocatione agitur discernenda, naturalem subjecti idoneitatem respicere debemus.

Quod dicit : *Et profectus est statim*, id est, immediate postquam servis talenta ad negotiandum tradidisset, nihil præterea præscribens, plenamque de cætero libertatem eis relinquens.

Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est...

Narratio quæ jam sequitur plana est. Servi sine mora gnaviter et cum successu negotiantur, excepto uno, qui talentum suum *abscondit in terra*, idque ita otiosum relinquit. — Dominus porro dicitur reverti *post multum temporis :* ad insinuandum, fuisse spatium sufficiens ut servi lucrum facerent, vel etiam ut pecuniam dissiparent.

Reversus itaque dominus servos suos vocat, ut rationem reddant peractæ negotiationis.

Servis gnavis, qui alii quinque, alii duo talenta lucrati sunt, eamdem laudem eamdemque mercedem tribuit; ita ut præmium non quantitati lucri, sed diligentiæ et labori negotiatorum respondeat. *Euge*, inquit dominus, *serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium domini tui.* — Dicitur servus *bonus*, quia gnaviter laboravit ex mente domini; dicitur *fidelis*, quia non sua commoda quæsivit, sed domini, totumque lucrum repræsentat, quin ex eo quidquam dissipaverit. — *Quia super pauca fuisti fidelis :* id est, quia fidelis fuisti cum esses super pauca constitutus, ideo super negotia grandia te constituam. — *Intra in gaudium domini tui :* id est, ingredere in locum gaudii, in cœnaculum nuptiarum, ut sis particeps gaudii ac bonorum ipsius domini tui, et ex servo fias amicus ejus.

Sensus generalis parabolæ sic per partes exponi potest. 1° Homo peregre proficiscens, est Christus, *qui ascendens in altum... dedit dona hominibus* (Eph. IV, 8). — 2° Servi ejus, sunt Christiani. — 3° Talenta, sunt varia dona Dei ac media salutis, unicuique concessa. — 4° Negotiatio servorum, vel negotiandi neglectus, est usus vel abusus gratiarum. —

5° Reditus domini et ratio petita, est adventus Christi ad judicandum. — 6° Servorum præmium, est gloria cœlestis, unicuique tribuenda secundum suum laborem. — 7° Punitio servi pigri, est æterna damnatio, malis Christianis reservata. — Hæc autem distinctius in explicatione secunda considerabimus.

—

Explicatio secunda.

Homo peregre proficiscens...

Quis ille homo est, qui peregre proficiscitur? — R. 1° Non alius est quam Christus Jesus, Filius Dei incarnatus, qui cum assumpta humanitate abiit in cœlum. *Carnis enim*, ut S. Gregorius dicit, *locus proprius terra est : quæ quasi ad peregrina ducitur, dum per Redemptorem nostrum in cœlo collocatur.*

2° Profectus est Christus Dominus ita, ut sit reversurus : tum ad singulos homines, in fine cujusque vitæ ; tum ad omnes homines simul congregatos, in fine mundi.

3° Profectus est ita, ut nihilominus nobiscum remanserit. Abiit enim quoad præsentiam visibilem, mansit per præsentiam invisibilem. Quare, licet ad dexteram Patris sedeat, invisibili tamen præsentia, nempe tum divina, tum etiam humana seu eucharistica, *non est longe ab unoquoque nostrum* (Act. XVII, 27). Quæ quidem invisibilis præsentia, per fidem vividam tanquam visibilis cernitur....

Vocavit servos suos.

Quinam servi sunt qui vocantur? — 1° Omnes et singuli Christiani, qui per Baptismum familiæ Christi adscripti sunt, ejusque felici servitio subditi. — Servitium dicitur *felix*, quia Christus cui servitur, est Dominus ditissimus et benignissimus, cujus jugum suave et merces copiosa ; qui unumquemque servum cognoscit, amat, et ad laborem ipsi convenientem vocat.... *Jam non estis hospites et advenæ ; sed estis cives sanctorum, et domestici Dei.* Eph. II, 19.

2° *Vocantur* omnes ab optimo Domino : -1) ad peculiarem conditionem ac proprium statum : quod quidem strictiore sensu intelligendum est de statu sacerdotali et religioso, ac de Episcopatu. -2) Vocantur ad bonam vitam in suo cujusque statu ; -3) ad æternam beatitudinem... — Porro ad vocationem implendam, singulis talenta, mediaque idonea suppeditat Dominus.

Et tradidit illis bona sua.

En talentorum seu donorum Dei distributio. — Quænam hæc talenta sunt? — A quo, et quomodo dantur? — Quem in finem traduntur? — Cur inæqualiter distribuuntur? — Cur unicuique *secundum propriam virtutem?* — Quomodo recipienda sunt et adhibenda?

1° Talenta seu bona distributa, quænam sunt? — R. -1) Generatim sunt media salutis nobis a Deo concessa, qualia sunt omnino omnia quæcumque habeamus vel possideamus ; item, quæcumque nobis accidunt vel occurrunt in via vitæ : nihil excipiendo, ne tentationes quidem aut tribulationes, nisi solum peccatum... imo ipsum peccatum infeliciter commissum, aliquomodo per cor contritum et humiliatum, in bonum converti potest : *Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum.*

-2) Talenta sunt quælibet dona Dei, quæ ad triplicem speciem reducuntur. Primo, dona *gratiæ*, tum *gratum facientis*, uti sunt fides, spes, charitas, virginitas, cæteræque virtutes ; tum *gratis datæ*, uti sunt, donum miraculorum, sacerdotium, Episcopatus. — Secundo, dona *naturæ*, ut subtile ingenium, prudentia, eloquentia, sanitas, et tempus vitæ. — Tertio, *bona externa :* ut opes, honores, status egregius, v. g. magistratus, principatus, aliudve munus seu officium....

2° A quo et quomodo talenta dantur? — 1) Dantur a Deo, et quidem ita, ut Deus dominium servet, nobis autem tantum tribuat usum cum obligatione rationis reddendæ. Ergo nemo glorietur de talentis suis ; sunt enim dona Dei : *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I Cor. IV, 7)*?* — Quæcumque bona, etiam naturalia, fortunæ, etc., in nobis inveniuntur, hæc a

Deo veniunt, Deique dona sunt; quæ vero mala, saltem mala moralia seu peccaminosa, hæc non sunt a Deo, sed nobis imputanda. *Perditio tua ex te, Israel; tantummodo in me auxilium tuum.* Oseæ XIII, 9.

-2) Dantur omnibus et singulis, ita ut nemo conqueri possit, se a Deo neglectum esse vel prætermissum....

3° Quem in finem dantur? — 1) Non ut eis fruamur tantum ad jucunditatem vitæ temporalis.... -2) Nec ut ea otiosa relinquamus, sicut semen in horreo.... -3) Multo minus ut eis abutamur ad peccandum.... -4) Sed ideo data sunt nobis, ut eis utamur tanquam mediis, ad nostram aliorumque salutem; tanquam instrumentis ad lucrum pro Domino, quod Domino, ubi redierit, repræsentare possimus. Mandatum enim reliquit, dicens : *Negotiamini dum venio.* — Non ergo sufficit accepisse talentum; laborandum est, ut talentum fructificet.... Deus enim creaturarum cooperationem requirit.

4° Cur talenta distribuuntur inæqualiter? — 1) Quia bonus ordo varietatem et gradus requirit. *Nam et corpus non est unum membrum sed multa... Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit* (I Cor. XII, 14, seq.). — 2) Ut intelligamus, Deum esse donorum suorum dominum, eaque quibus vult, et sicut vult largiri.

5° Cur talenta dari dicuntur *unicuique secundum propriam virtutem?* — R. Ut intelligamus -1) Deum sapientia et bonitate adorabili dona sua largiri; -2) eum cuique dare quod ipsi sufficiat, imo quod conveniat; -3) eum consulere cujusque vires, nec onus impar imponere, aut plus requirere quam homo præstare possit....

6° Quomodo talenta accipienda sunt et adhibenda? — 1) Accipienda sunt de manu Dei, tanquam dona gratuita largitatis ejus; adeoque cum gratitudine. — 2) Accipienda sunt cum humilitate, omnem gloriam Domino referendo, cujus nos servi et possessio sumus. — 3) Cum gaudio, sive magna sint talenta, sive exigua videantur : mensura enim a Deo electa est, nobis attemperata, nobisque optima.... -4) Cum sincera et determinata voluntate adhibendi Dei dona, secun-

dum Domini committentis voluntatem : ita ut unice simus solliciti de fructu faciendo, deque ratione reddenda, sive pauca sive multa obtineamus. *Cum enim*, ut Gregorius inquit, *augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione.*

Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque...

En obligatio et modus negotiandi in hac vita, et facultas lucrum pro Deo et pro æternitate faciendi.

1° Negotiandum nobis est in hac vita, donec veniat Dominus ut nos ad tribunal suum vocet et judicet. Ad hoc vitæ tempus, juventus aliæque ætates ; ad hoc dies et horæ singulæ nobis datæ sunt.... *Dum tempus habemus, operemur bonum* (Gal. VI, 10). — *Venit nox, quando nemo potest operari.* Joan. IX, 4.

2° Negotiandum nobis est secundum exemplum servorum parabolæ : sine mora, sine intermissione, sine cessatione ; sed diligenter, et perseveranter usque ad reditum Domini.... Nec respiciunt servi parabolæ, utrum plura acceperint an pauciora ; sed illud unice efficere student, ut totum id quod habent utile reddant, recte impendant, nihilque otiosum aut sterile relinquant....

3° Efficax operandi stimulus est facultas lucrandi. - 1) Lucrari possumus omnes, quantumvis pauca talenta habere videamur. -2) Lucrum autem non est dubium aut aleatorium, sicut in negotiatione temporali contingit ; sed certum, dummodo laboremus.... -3) Lucrum istud est pretiosissimum, et, oculis Dei ac veritatis, omne aurum superat et lapides pretiosos : est enim thesaurus in cœlo. Consistit autem *a*) in lucro animarum, cum animam nostram, vel animas aliorum ad Christum per pœnitentiam convertimus. -*b*) In lucro virtutum, cum eas in nobis vel in aliis : e. g. fidem, patientiam, etc. promovemus. -*c*) In merito, quod operibus bonis quibusvis, in gratia factis, acquirimus....-4) Lucrum, e contra, non est quodcumque emolumentum temporale... quo sæpe

detrimentum animæ infertur. *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Matth. XVI, 26.

Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram...

En otium, negligentia, abusus gratiæ.

1° Male agit ille piger, -1) quia non ad hoc recepit talentum; -2) quia sic incurret gravissimam pœnam; -3) quia rationem sic agendi nullam habet : nec temporis defectum, nec pecuniæ suæ exiguitatem, nec operandi laborem difficilem, nec domini sui severitatem... allegare potest. Etenim totum id quod requiritur, ut nempe sicut cæteri pro viribus laboret, sicut cæteri præstare potest; estque prorsus inexcusabilis, ut ex fine parabolæ (versu 24. seq.) patet.

2° Pejus autem ageret, si talentum non modo otiosum relinqueret, sed illud contra dominum suum adhiberet.... Id nimirum faciunt peccatores, qui corpore et mente, opibus et scientia, tempore et sanitate ad malum, ad detrimentum animarum abutuntur.

3° Quomodo ergo servus malus et piger suo talento abutitur? — R. Fodiendo in terram, et abscondendo pecuniam domini sui in terra. Non in terra, sed in nummulariorum mensa talentum ponendum est : scilicet, non in terrenis, sed in rerum cœlestium studiis, nostræ vires atque talenta exercenda sunt. In terra enim recondit dona Dei, qui temporalibus curis immoderate, et sine subordinatione ad æterna occupatur; multo magis ille, qui terrenis ac mundanis jucunditatibus immergitur....

Post multum vero temporis, venit dominus servorum...

1° En ratio reddenda, judicium subeundum. Veniet aliquando Dominus, ut examinet vitam et actus cujusque, sive bonus servus sit, sive malus; utque fructum ex talentis acquisitum repetat....

2° Quando veniet? — Sicut certus est adventus aliquando futurus, ita incerta est dies et hora : ut semper laboremus, semperque parati simus....

3° Dicitur dominus *post multum temporis* venire, et veluti moram facere : ut intelligamus, -1) omnibus dari tempus sufficiens; -2) diem mortis unicuique videri in longinquo positum : quo fit, ut multi vix de adventu Domini cogitent, et ita se gerant quasi nunquam esset venturus. Sed merito scriptum est : *Si moram fecerit, exspecta illum; quia veniens veniet et non tardabit* (Habac. II, 3). — *Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis.* Luc. XII, 36.

Domine, quinque talenta tradidisti mihi : ecce alia quinque superlucratus sum.

1° En judicium justi, consolatione plenum; prorsusque differens a judicio impii, vel servi mali et pigri, quod erit pudore, terrore, et desperatione plenum... prout infra (versu 26 seq.) significatur.

2° En fidelitas perfecta in divino servitio : -1) fidelis servus quinque talenta sibi commissa custodivit, nihil de acceptis donis perdidit, vel usui suo accommodando consumpsit. -2) Nec ullam partem sortis otiosam reliquit : per unumquodque talentum aliud talentum lucratus est: nimirum omnia quæcumque habuit, potuit, fecit, ad gloriam Dei ac Domini sui ordinavit. -3) Totum lucrum Domino offert, quia nihil ex eo, per vanitatem aliudve vitium, decerpsit vel furatus est....

3° En servi fidelis, hominis christiani vere ferventis ac vere Deo devoti felicitas, consolatio et securitas : -1) in vita, ob testimonium bonæ conscientiæ; -2) in morte, ex memoria laboris transacti, et vitæ fructibus plenæ... simulque etiam ex prospectu mercedis; -3) in judicio, ob manifestationem jucundam fidelitatis suæ, et ob congratulationem Judicis ac Domini benevolentissimi....

Euge, serve bone et fidelis...

En merces, justo pro laboribus retribuenda : consistens in laude a Christo proferenda, et in æterna beatitudine.

1° Laudatur justus a Christo, dicente : *Euge, serve bone et fidelis.* Quæ verba Regis gloriæ -1) æterna aureola caput justi

circumdant ; -2) omnem laudem humanam, quam justus pro Christo despexit, longe superant ; 3) magnifice compensant omnia hominum vituperia, omnes humiliationes, quas justus pro Christo suscepit ac sustinuit..., Ideo fidelis servus in hac vita ab humana laude cavet, ne jamjam recipiat mercedem vanam ; et e contra, omnia quantum potest in abscondito facit, ut Pater cœlestis, qui videt in abscondito, reddat ipsi per manum Christi Judicis : *Qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo.* I Cor. IV, 5.

2° Justus beatitudine donatur : *Intra in gaudium Domini tui.* Sic introducitur in paradisum, in domum Dei, in regnum, in aulam regis æterni : ubi frater Angelorum, concivis Sanctorum, filius Mariæ, cœlorum reginæ ; — servus, amicus, frater ipsius Christi, — ab æterno Patre, a Deo trino et uno recipietur tanquam filius adoptivus, Christo, unigenito Patris, simillimus, his verbis suavissimis : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui!* Tunc in æternum possidebit thesaurum, omnis desiderii sui satiativum, et *exultabit lætitia inenarrabili et glorificata.* I Pet. I, 8.

3° En retributio secundum laborem... non secundum talenta, nec secundum successum : quæ duo, cum principaliter a Deo pendeant, omni merito ex parte hominis carere possunt. Itaque ille qui duo talenta, et ille qui quinque accepit, quia uterque sortem duplicavit, idem accipit præmium. — Quod si ille, qui tantummodo unum talentum, id est, qui minimum Dei donum accepit, illud similiter multiplicaverit, eamdem feret mercedem....

4° Super pauca fidelis, super multa constituitur : en magnificentia et excessus divinæ mercedis. Omnia in hoc mundo parva, pauca, brevia sunt, in comparatione æterni meriti. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. VIII, 18.

COMMUNE CONFESSORIS PONTIFICIS.

Evangelium secundum.

Matth. XXIV, 42-47. Dixit Jesus discipulis suis : Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Ideo et vos estote parati : quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est. Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille servus, quem, quum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.

Luc. XII, 37-44. Beati servi illi, quos, quum venerit dominus, invenerit vigilantes : amen dico vobis quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati : quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Ait autem ei Petrus : Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes? Dixit autem Dominus : Quis, putas, est fidelis dispensator et prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus, invenerit ita facientem. Vere dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum.

Explicatio prima.

I. *De vigilantia ob adventum furis.*
II. *De servo fideli super familiam constituto.*

Feria tertia Majoris hebdomadæ ad vesperam, Christus concionando, ut videtur, fatigatus, sedit cum duodecim discipulis in monte Olivarum, longumque de futura Judæorum clade, deque rebus novissimis sermonem instituit. Quo sermone, postquam signa extremi judicii prænuntiasset, intulit, in hac vita vigilandum esse assidue. Hanc autem vigilantiam vel maxime a viris apostolicis et Ecclesiæ Prælatis requirit, prout non tantum ex hoc, sed etiam ex alio loco patet.

Cum enim antea, dum in Judæa versaretur, vigilantiam similiter commendaret (Luc. XII, 37), dixit ei Petrus : *Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes?* respondit Dominus proponendo novam parabolam *de servo, familiæ domini sui præposito;* qua responsione indirecte significabat, vigilantiam omnibus quidem, sed præcipue Ecclesiæ præpositis esse necessariam.

Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.

Non ad Apostolos tantum, sed ad fideles universos hoc monitum dirigit Dominus, ut expresse apud Marcum (XIII, 37) pronuntiat : *Quod autem vobis dico, omnibus dico : Vigilate.* — Sensus autem est quasi diceret : Vigilantes assidue cogitate, adventum Domini vestri, id est, mortem vobis instare certam, diem vero mortis esse incertum. Idem dico de die judicii, tum particularis, quod in morte cujusque peragitur; tum universalis, quod fiet in fine mundi. Quare ad utrumque vos comparate assidue, ex una parte peccata expiando ac vitando; ex altera, virtutibus et bonis operibus incumbendo.

Quantopere hæc vigilantia sit necessaria, duplici parabola declaratur, altera de adventu furis, altera de servo, domini sui absentis familiam regente.

Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.

Sensus est quasi Dominus diceret : Intelligite hanc gravissimam veritatem : sicut furem in nocte, ita Filium hominis in hoc tempore transitoriæ vitæ, venturum esse. Atqui si sciret paterfamilias, futurum esse, ut aliqua, etsi incerta, noctis hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi ac spoliari domum suam ; ita et vos, mei discipuli, cum sciatis Filium hominis certo venturum esse per noctem hujus vitæ, at hora aliqua incerta, imo illa hora qua minus putatis : ideo vigilate, et parati estote omni hora.

Ideo et vos estote parati : quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est.

1° *Filius hominis venturus est*, -1) in hora mortis, ut animam uniuscujusque vocet ad judicium particulare ; -2) in fine mundi, ut omnes homines cogat ad judicium universale.

2° Christus Dominus se comparat furi, non quoad actum furandi ; sed quoad silentium et secretum, quo fur captat horam quum patremfamilias abesse vel dormire putat, ut clam invadat incautum, ejusque domum perfodiat et diripiat. Simili enim modo Christus omnes homines incerta hora vocat ad mortem et judicium ; quare omnes monet, dicens : *Ecce venio sicut fur* (Apoc. XV, 15). — Cujus sententiæ Christi veritas, quotidiana experientia comprobatur. Videmus enim plerosque homines eo tempore morte abripi, quo sibi sani esse videntur et mortem longe a se abesse putant.

Quoad actum furandi, hunc exercet, vel potius exercere videtur Dominus erga incautos tantum. Etenim cautis ac paratis famulis, tanquam dominus beneficus advenit, et aperta janua excipitur : *Ecce venio cito, et merces mea mecum est* (Apoc.

XXII, 12). — *Vos autem, fratres*, inquit Apostolus, *non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat. Omnes enim vos filii lucis estis et filii diei; non sumus noctis neque tenebrarum.* I Thess. V, 4.

Incautis vero incidit tanquam fur : quasi consulto inopinantes opprimere vellet, quasi violenter ad eos penetrare, eosque spoliare et perdere intenderet. At hæc tantum hostilitatis species est, et effectus mali status peccatoris : quippe qui veluti domum claudit adventanti Christo, et terrenis bonis ita sese agglutinat atque adhæret, ut violenter ab iis divellendus sit, atque hinc propter peccata in æternam mortem detrudendus. — Quæ quidem omnia, ut patet, ex parte hominis sese tenent. Ex parte enim Christi, creaturam suam ex vita revocantis, nulla perditionis intentio est : *Quoniam Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum* (Sap. I, 13). — *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat* (Ezech. XXXIII, 11). — *Quod si non fuerit conversus a via sua, ipse in iniquitate sua morietur* (Ibid. 9). — Porro mors hujusmodi pessima est et terribilis : *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Hebr. X, 31.

Ideo *estote parati :* id est, estote in statu gratiæ semper, a peccatis alieni, et bonis operibus dediti. *Igitur non dormiamus* (somno peccati) *sicut et cæteri, sed vigilemus et sobrii simus... induti loricam fidei et charitatis, et galeam spem salutis.* I Thess. V, 6, 8.

Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?

Altera parabola, qua monitum de vigilantia iterum declaratur : at specialius pro Episcopis, aliisque personis curam animarum gerentibus. — Sensus est : Quis servus a domino suo peregre abeunte, in reliquos famulos constitutus ad hoc, ut det illis cibum in tempore, fidelis servus et prudens dici potest?

Quem constituit dominus suus, nempe ad tempus discedens. Dominum enim discedere, patet ex verbis sequentibus : Bea-

tus ille servus, quem, *quum venerit dominus ejus*, invenerit sic facientem. — Proficiscens ergo dominus unum e servis eligit, eumque donec revertatur, familiæ suæ toti præponit, suo loco, suaque auctoritate munitum, ut eidem familiæ, id est, illis qui familiam constituunt, seu reliquis famulis, *det cibum in tempore.*

Ut det illis cibum in tempore : id est, ut cuique famulo et domestico suum cibum demensum distribuat, sive ut annonam, sive ut mercedem laboris. Olim enim, cum rarior esset pecunia, merces famulis solvebatur per annonam.

Ista similitudine designari a Christo Ecclesiæ Episcopos et Pastores, facile patet. Hos enim Christus et *Spiritus sanctus constituit regere Ecclesiam Dei*, quæ est familia ipsorum et Christi Domini ; eamque pascere debent ita, ut singulis pabulum sacræ doctrinæ pro captu cujusque distribuant. Quare hac in re vigilantes, æque ac prudentes et fideles sint oportet. *Quamquam in communi*, inquit Hilarius, *nos ad indefessam vigilantiæ curam adhortetur, specialem tamen populi principibus, id est, Episcopis, in exspectatione adventuque suo sollicitudinem mandat.*

Interrogatio ista : *Quis putas?* innuit paucos esse tales servos, puta Episcopos et Pastores, qui per omnia in cura gregis Christi sint fideles et prudentes. Unde illud S. Hieronymi : *Sacerdotes multi, sacerdotes pauci.*

Beatus ille servus, quem, quum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem.

Ad quæstionem modo positam, quisnam servus familiæ præfectus, sit fidelis et prudens? simpliciter Dominus respondere poterat : Est ille servus, quem, quum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem : id est, illud facientem propter quod a domino constitutus est. — At responsionem hanc profert forma exclamativa : *Beatus*, inquiens, *ille servus, quem dominus invenerit sic facientem!* Quo loquendi modo, non solum servum illum designat, sed simul eum prædicat beatum. Sensus itaque est : Fidelis et prudens servus, seu animarum rector, est ille, qui assidue usque ad mortem atque

adventum Domini, fidelibus singulis sibi concreditis congruum cibum, id est, doctrinam et sacramenta, ad alendas in fide et pietate animas, tempore opportuno distribuit. Et quidem *beatus est* hujusmodi Pastor, quia non tantum ob suam ipsius sanctitatem, sed etiam ob gregis sui salutem procuratam remunerabitur. — Quod quidem duplex meritum insinuatur ipsa retributione magnifica, quam Dominus explicat, addens :

Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.

Alludit his verbis ad servi meritum : propterea enim quod familiam domini fideliter et prudenter rexit, meretur ab eo exaltari, atque omnibus ejus bonis præfici, ut iis cum domino, quasi consors et socius, imo pene æqualis, fruatur. Sicut Joseph a Pharaone præpositus fuit Ægypto ; ita fidelis ac prudens Pastor animarum, a Deo in cœlis super fideles privatos exaltabitur. *Deus enim*, ut S. Remigius ait, *bonos auditores faciet discumbere, ut Lucas dicit* (XII, 37) ; *bonos autem prædicatores super omnia bona constituet.* Quare ad sanctum quemlibet Episcopum accommodari merito potest, quod de Josepho exaltato dicit Psalmista : *Constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ.* Ps. CIV.

Quod autem de Episcopis dicimus et Ecclesiæ rectoribus, applicandum est, proportione servata, cuilibet patrifamilias : hic enim, ut ait Augustinus, domus suæ quasi Episcopus haberi debet. — Imo, idipsum unicuique fideli accommodari potest : siquidem quisque cor suum, omnesque facultates suas, tanquam propriam familiam ac domesticos suos debeat gubernare.

Explicatio secunda.

—

Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.

En vigilantia a Domino commendata : simul autem vigilandi monitum datur et ratio.

1° Quænam vigilantia præcipitur? — R. Vigilantia præcipitur duplex : vigilantia in semetipsum, et, si quis habuerit subditos, etiam vigilantia in ipsos.

-1) Quid est vigilantia respectu sui? — R. Ex mente Domini, vigilare est -*a*) non intempestive somno indulgere : v. g. ubi orandum est, præsertim mane et vespere; nec imitari exemplum Apostolorum in horto Olivarum, quibus Dominus dixit : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (Matth. XXVI, 41). — *b*) Vigilare est, attente animam custodire, ne incidat in peccatum, neve in eo veluti obdormiat. Custodienda porro anima est in omnibus facultatibus : in intellectu, in phantasia, in corde, ne prava cogitatione vel affectione decipiatur... custodienda quoque anima in suis portis, quæ sunt sensus externi, oculi, lingua, etc., ne a scandalis et periculis externis detrimentum capiat. — Huic attentioni ac vigilantiæ opponitur negligentia, oblivio, immersio in rebus terrenis....

-2) Quid est vigilantia respectu subditorum? — R. Est cura ac prudens sollicitudo, ut subditi -*a*) Dei legem observent; -*b*) a periculis in fide et in moribus præserventur; -*c*) opportunis mediis in bono promoveantur....

-3) Quibus vigilantia præscribitur? — Omnibus et singulis fidelibus; — peculiari tamen ratione superioribus quibuscumque injuncta est....

2° Vigilandi ratio seu causa, hæc est : *Quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit;* scilicet incertitudo diei

mortis. Vigilare debet omnis Christianus, inquit Augustinus, ne imparatum eum inveniat adventus Domini.

Et quidem illa ipsa causa est, cur Deus voluerit diem mortis nobis esse incertum : ut hæc incertitudo nobis assidue sit acer stimulus ad omne virtutis studium. Nam, ut ait Chrysostomus, si scirent homines quando sint morituri, illo potissimum tempore pœnitere et Deo servire studerent; ut ergo omni tempore, omnibusque vitæ diebus Deo serviant diligenter, dies mortis eis absconditus est, et quotidie contingere potest. — Idcirco diabolus, ut hunc incertitudinis stimulum hominibus eripiat, vel elidat, singulis fraudulenter persuadet vitam saltem duraturam per annum, et hoc finito, per alterum annum : et sic deinceps usque ad annum illum, qui ex decreto Dei ultimus erit et decisivus. Hic autem nequaquam ut ultimus accipietur, solita persuasione illudente : vitam saltem per hunc annum duraturam. Atque hinc fit, ut plerosque, semper imparatos et securos, tandem dies ultimus invadat et obruat. — Quam diabolicam fraudem ut eludas, sic vive quasi hodie moriturus; secundum illud, quod recte cecinit poeta : *Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.*

3° Aliæ rationes vigilandi sunt, pericula, insidiæ, molimina continua inimicorum animæ. *Sobrii estote et vigilate : quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* I Pet. V, 8.

Illud autem scitote...

Scitote, id est, intelligite, et præ oculis habete, mortis horam incertam esse, ac jugiter instantem. En *memoria mortis*, tam salutaris, tam necessaria, tamque communiter oblivioni tradita.

1° Salutaris est, cum doceat nos bene vivere, peccata fugere, pœnitentiam agere, operibus bonis merita æternæ vitæ comparare; — cum tanquam lucida face, terrenarum rerum vanitatem ac fluxitatem, cœlestium vero soliditatem ostendat; — cum omnes carnalis vitæ illusiones sua veritate dissipet; — cum faciat nos peritura mundi despicere, et solis æternis bonis adhærere....

2° Necessaria mortis memoria : quia necessaria est bona mors, et necessaria consequenter ad mortem præparatio. Ad hanc autem necessaria quoque est frequens mortis memoria et consideratio : secus enim, vi naturalis socordiæ, fluxis mundi illecebris, ac speciosis illusionibus decipitur homo.

3° Mortis memoria nimis oblivioni tradita. -1) Sic enim plurimi vivunt, quasi semper victuri : ita divitias quærunt, ita fortunam sibi ædificant, ita Deum offendunt, quasi nunquam morituri, aut Deo suo rationem reddituri : ideo quia mortis non recordantur... -2) At mors nihilominus veniet, et repentina irruet, eosque terrenis spoliabit, et peccatis onustos sistet coram Judice...

Quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret utique...

1° En bona mors, Dei famulis non formidanda, sed potius exoptanda. Nam justus moriturus, -1) nullum a morte patitur detrimentum : -*a*) domus ejus non perfoditur, eam æternam sibi ædificavit in cœlis. *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam, in cœlis* (II Cor. V, 1). — -*b*) Ejus bona non diripiuntur : nam *thesaurizavit sibi thesauros in cœlo, ubi fures non effodiunt nec furantur* (Matth. VI, 20). — -*c*) Ejus persona non vulneratur : novit enim ideo sese corpus deponere, ut *corruptibile hoc induat incorruptionem, et mortale hoc induat immortalitatem.* II Cor. XV, 53.

-2) Potius liberatur e carcere, ab exilio, a miseriis... *Quis me liberabit de corpore mortis hujus* (Rom. VII, 24)*?— Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Apoc. XXI, 4.

-3) Et accipit vitam veram et gaudia perfecta a Christo : *Euge, serve bone et fidelis.... intra in gaudium Domini tui.* Matth. XXV, 21.

2° En quoque mors peccatoris, calamitosa et pessima. Peccatori enim -1) mors advenit dormienti, ut somni turbatrix, ut spectrum horrendum, quodque effugi nullo modo potest.

O mors! quam amara est memoria (quanto magis visitatio?) *tua homini pacem habenti in substantiis suis!* Eccli. XLI, 1.

-2) Domus ejus perfoditur et spoliatur, id est fortuna ejus terrestris abripitur. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti cujus erunt?* Luc. XII, 20.

-3) Ipsemet pessime mulctatur, secundum corpus et secundum animam. *Sepultus est in inferno.* Luc. XVI, 22.

3° *Vigilaret utique...* En quomodo a fure domum animæ custodire nos oporteat. — Fures autem sunt plurimi : nam imprimis fur insidiosus est Zabolus seu diabolus.... deinde mundus.... mors, non tantum corporis, sed multo magis illa mors animæ, quæ sub forma objecti cujuslibet illecebrosi, per sensus nostros male custoditos, in animam penetrat : *Ascendit mors per fenestras nostras.* Jerem. IX, 21.

Et vos estote parati : quia qua nescitis hora,
Filius hominis venturus est.

1° Cur Deus voluit mortis horam nobis esse absconditam? — R. -1) Ut semper simus parati. -2) Ut nihil temporis perdamus, nihilque boni in crastinum differamus ; sed assidue, sine mora neque intermissione laborare festinemus, secundum regulam : *Quam primum et quam diligentissime.*

2° Quomodo malam mortem effugere, bonam vero consequi, imo certam nobis efficere possumus? — R. Jugi vigilantia; seu assidue, in dies nos parando per opera pœnitentiæ, pietatis et charitatis... atque non committendo ut, vel per unam horam in statu peccati mortalis existentes, imparati simus : *Estote parati....*—Quicumque, juxta hoc Domini monitum semper parati sunt ad moriendum, illi quidem velut in umbra mortis ambulant, sed hoc ipso felicissime vivunt. *Et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Ps. XXII.

Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?

1° En munus pastorale in Ecclesia Dei, munus præstantissimum, at simul gravissimum ; munus omni ex parte grande : excellentia, — obligationibus, — mercede.

-1) A quo Pastor Ecclesiæ constituitur? — Ab ipso Christo Domino et Spiritu sancto, qui propterea eum instruit divina auctoritate, potestate, et gratia necessaria ad tantum munus digne implendum. *Quem constituit dominus suus.*

-2) Quo loco seu gradu constituitur? — Ut Christi vicarius ; ut Christi legatus, pro Christo legatione fungens ; ut alter Christus. *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit.* Luc. X, 16.

-3) Super quid constituitur? — Super familiam Domini, super gregem summi Pastoris. Ergo subditi, pastori ecclesiastico concrediti, servi, filiique Domini sunt, oves pascuæ ejus, animæ sanguine ejus redemptæ : adeoque omni amore, omnique diligentia curandæ....

-4) Ad quid constituitur? — Non ad otiandum, neque ad fruendum familiæ obsequiis, vel lacte gregis ; sed *ut det illis cibum in tempore :* ut nempe eos verbo, sacramentis et exemplis pascat assidue... et sic salvet simul animam suam et animas sibi concreditas. — Illud *in tempore* indicat accuratam sedulitatem, qua res omnes ordinare, atque statuto tempore et hora facere debet : ut quidquid ad gubernationem Ecclesiæ, ad cultum quoque et cæremonias pertinet, rite fiat : *Omnia honeste et secundum ordinem fiant* (I Cor. XIV, 40). — Quid, si servus ille electus Dei familiam cibo privaret?... Quid, si pro cibo venenum proponeret? Si subditorum alicui non causa vitæ, sed causa mortis æternæ existeret?... *Sanguinem ejus de manu tua requiram.* Ezech. III, 18.

2° *Quem constituit Dominus...* En auctoritas et officia cujusvis patrisfamilias, imo cujuslibet legitimi superioris. Dei loco similiter constitutus est, ut subditis christianæ vitæ alimoniam suo tempore præbeat : id est, ut eos in fide instruendos, et sacramentis reficiendos opportuno tempore curet. —

Filii autem et subditi, non tam ipsius patrisfamilias sunt, quam Domini, qui constituit eum super familiam *suam*, eique hanc tanquam pretiosum depositum concredidit, aliquando Domino venturo repræsentandam. *Domini, quod justum est et æquum, servis præstate : scientes quod et vos Dominum habetis in cælo.* Coloss. IV, 1. — *Et vos, Domini, eadem facite illis, remittentes minas : scientes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis.* Eph. VI, 9.

Typus patrisfamilias perfecti est S. Joseph, B. Virginis sponsus, quem excellentissimo modo *constituit Dominus super familiam suam....*

3° *Fidelis servus et prudens :* en duæ dotes pastorales, fidelitas et prudentia. Fidelitas ad bonam voluntatem, prudentia ad lumen intellectus in operando refertur.

-1) Fidelis servus, seu œconomus, dispensator, est, qui -*a*) Domini ordinationes et voluntates perfecte exsequitur, agitque in omnibus secundum præscripta et mentem Domini. *Quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur* (I Cor. IV, 2). -*b*) Nihil e rebus familiæ pessumdat, nihil ad utilitatem suam privatam detorquet; non sua quærit commoda, sed simpliciter quæ Domini sunt ejusque familiæ.... Hujusmodi fidelitas, ut patet, magnam requirit pietatem, devotionem, abnegationem, etc.

-2) Prudens servus seu œconomus Domini est, qui provide, vigilanter et cum debita scientia atque intelligentia, omnia considerat et disponit.—Hanc intelligentiam, tum assiduo studio Scripturarum, tum præsertim orationibus ac meditationibus sanctis acquirit.... eamque exercet docendo, monendo, corripiendo sapienter subditos, eosque adhortationibus et consiliis adjuvando. *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore ejus.* Malach. II, 7.

Ille servus, quem, quum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem.

1° En perfecti Pastoris imago : ille qui *sic facit* ut Dominus mandavit : vir nempe secundum cor et voluntatem Domini. *Inveni David, filium Jesse, virum secundum cor meum, qui fa-*

ciet omnes voluntates meas (Act. XIV, 22). — Ad hanc perfectionem requiruntur tria : -1) ut laboret, et sit operosus ; -2) ut laborando illud agat quod Dominus vult, et quomodo vult, non aliud ; -3) ut sic laborando perseveret donec veniat Dominus, id est, usque ad diem mortis ac retributionis.

2° *Beatus ille servus...* En pretiosa mors boni Antistitis, et cujusvis servi Christi : est hora beata, qua fidelitas ejus oculis Christi manifestatur. — Quare -1) horam illam cum fiducia et gaudio adventantem prospicit atque salutat, testimonio reddente conscientia quod munus impleverit ; sicut Paulus, qui dicebat : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* II Tim. IV, 7.

-2) Postquam autem Dominus advenit, et pro tribunali sedens, servi sui gestionem examinare cœpit, invenit eum in omnibus fuisse fidelissimum : vitam ejus, omnesque dies fuisse plenos.... aperit thesaurum actionum ejus, et non videt nisi virtutum actus, labores, pœnitentias, orationes, prædicationes, eleemosynas, aliaque opera bona... Quapropter mercedem dignam tantæ fidelitati retribuet.

Beatus... super omnia bona sua constituet eum.

En felicitas boni Pastoris, et magnifica dona, quibus a Domino cumulabitur, tum in hac vita, tum præsertim in futura : super omnia nimirum bona Domini constituetur.

1° In hac vita constituetur super bona gratiæ : omnia quasi in manu habebit, ut sit potens in opere et sermone, ut multa ac magna pro gloria Dei et salute animarum operetur...

2° In altera vita constituetur super bona gloriæ, id est, tanquam rex et princeps in cœlis super thronum altiorem collocabitur. Quoniam enim Dominum Deum glorificavit dupliciter, in semetipso nempe et in aliis sanctificandis, ideo duplici honore exaltabitur. *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus ; nimis confortatus est principatus eorum.* Ps. CXXXVIII.

—

COMMUNE CONFESSORIS PONTIFICIS.

Evangelium tertium.

Luc. XI, 33-36. Dixit Jesus discipulis suis : Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio : sed supra candelabrum ; ut qui ingrediuntur, lumen videant. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit : si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint. Si ergo corpus tuum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

Matth. V, 15. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.

Ibid. VI, 22, 23. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?

Marc. IV, 2 : Et dicebat illis : Numquid venit lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto? nonne ut super candelabrum ponatur?

Luc. VIII, 16. Nemo autem lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit : sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen.

Explicatio prima.

I. *Lucerna Christi super candelabrum resplendet.*
II. *Lucerna mentis humanæ pura sit oportet.*

Secundo prædicationis suæ anno, mense Julio, cum Dominus turbas discipulorum doceret Capharnai, et quidam increduli, miraculis ejus non contenti, signum de cœlo malevole ab eo peterent, increpavit malignam incredulitatem eorum, dicens : *Generatio hæc generatio nequam est : signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ... Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, et condemnabunt illam : quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ : et ecce plus quam Jonas hic.* Quibus dictis addidit :

Nemo lucernam accendit et in abscondito ponit, neque sub modio; sed supra candelabrum : ut qui ingrediuntur lumen videant.

Hæc sententia, verbis clara, alias (1) a Domino enuntiata invenitur, non tamen eumdem in sensum applicata. Præsenti loco, ut videtur, verbum illud incredulis Judæis dicitur, qui lumen miraculorum Christi non videntes, signa de cœlo requirunt; ut intelligant, obscuritatis suæ causam non esse tribuendam Christo, qui lumen suum nequaquam abscondidit, sed omnium oculis extulit velut super candelabrum. — Sensus ergo sic explicari potest : Sicut homines sensati, quum accendunt lucernam, eam non abscondunt, sed alte in candelabris ponunt; sic Christus, qui est lux et lucerna mundi, non sese tenebris obvolvit, sed lumen miraculorum

(1) Matth. V, 15; Marc. IV, 21; Luc. VIII, 16.

emittit clarissimum, ut homines omnes, dummodo videre velint, manifeste videant.

Notandum est, vocem *lucernam* in hoc versiculo designare *hominem*, illuminatum et illuminantem, nempe Christum; in versu vero sequenti, eamdem vocem *lucernam* non jam designare hominem, sed ipsum *lumen quod est in homine*.

Quod si causa obscuritatis Judæorum non est ex parte luminis, erit ergo ex parte oculi : id est, in ipsa mente ac mala ipsorum dispositione reperietur; quod quidem Dominus deinceps explicat, adhibita similitudine oculi corporalis.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit : si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint.

In hoc versiculo et in duobus sequentibus, sub forma moniti, causa aperitur cur Judæi lumen Christi non videant : ideo nempe quod mentem obscuratam habeant pravis cordis affectibus, quibus voluntarie indulgent. — Cavendum, inquit Dominus, ne oculus internus rationis tuæ obscuretur : hoc enim obscurato, veritas de Christo percipi non poterit. Cujus rei causa est, quod oculus mentis similiter sese habet atque oculus corporis. Si oculus corporis fuerit sanus ac purus, totum corpus tuum illuminabitur, ita ut singula membra velut oculata videantur, quia prævia luce in omnibus suis operationibus dirigentur; — sin vero fuerit oculus obnubilatus, totum corpus tenebrosum erit : quia luce et duce, puta illustratione et directione oculi sui carebit. — Atqui similiter, obscurata ratione hominis, anima tota ita obcæcatur, ut clarissimam veritatis lucem, puta in miraculis Christi effulgentem, non videat.

Dicitur *oculus simplex*, id est, sanus, sincerus, clarus, qui alienis humoribus non est infectus; — oculus vero *nequam*, est oculus male affectus, et vitioso humore imbutus, ideoque impurus et obnubilatus. Quod quidem metaphorice repræ-

sentat aptissime lumen rationis, vitiosis affectibus cordis obscuratum.

Lumen quod in te est, puta lumen internum rationis, intellectus, sani judicii. Id enim lumen in omni homine est, a natura inditum; et distinguitur, -1) a lumine fidei, quod etiam internum est, sed non homini *ut homini* insitum : Dei enim peculiare donum est, lumini rationis superveniens, et a ratione bene disposita recipiendum. Distinguitur -2) a lumine seu oculo externo corporis; sed huic omnino est analogum : adeo ut, quod oculus externus est corpori, id intellectus sit animæ.

Vide ne lumen quod in te est, *tenebræ sint :* id est, cave ne pro lumine interno habeas tenebras, vel, ne oculus internus obscuretur. — Quod monet, dicens *vide* seu *cave*, indicat ab hominis libertate pendere, ut lumen rationis purum maneat, vel vitietur; aptum ad videndas veritates salutis, vel secus. Vitium enim intellectus oriri solet ex prava inclinatione et cupiditate cordis, cui homo libere indulget. Quod enim affectus concupiscit, in idem trahit intellectus, ut judicet illud esse verum, bonum ac persequendum; quod vero affectus abhorret, inde detorquet intellectus, ut judicet illud esse falsum, malum ac repellendum. Et sic Judæi carnales, quia abhorrebant a Christi paupertate et humilitate, vitiatum habebant intellectum, atque omnino dispositum ad judicandum perperam de Christo, omniaque ejus dicta et miracula sinistre interpretandum.

Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum.

Sensus hic esse non potest : *Si corpus tuum totum lucidum fuerit, erit idem corpus tuum lucidum totum;* nam esset tautologia, seu nuda rei dictæ repetitio. Videtur autem illud *erit lucidum totum*, absolute esse dictum, et significare *totum* id quod ad hominem pertinet : seu quidquid homo habet in corpore et in anima; ita ut sensus sit : Si corpus tuum oculo perfecte sano fuerit illuminatum: id est, si purus sit et rectus

mentis tuæ intuitus, omnia tibi lucida erunt; totusque sicut homo es, lucidus eris cum omnibus tuis potentiis, actibusque inde prodeuntibus. — Qua sententia id quod supra jam enuntiatum est, per modum conclusionis repetitur, sed explicatius : ut intelligant Judæi increduli, si affectum cordis sui purificare voluerint, fore ut lumen copiosissimum, tanquam lucerna fulgoris eos illuminet, ut videant Christum qualis est, ejusque divinam missionem agnoscant.

—

Explicatio secunda.

Nemo lucernam accendit et in abscondito ponit, neque sub modio; sed supra candelabrum.

1° Quænam lucerna est super candelabrum exaltata vel exaltanda? — R Lucerna illa mystica est -1) Christus Dominus, *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* per doctrinam, — per exempla, — per gratiam fidei et charitatis. — Christus est lucerna quædam princeps, lumen aliunde non mutuans, sed de se lucens, et reliquis omnibus lucernis lumen communicans... — Ipse Homo-Lucerna, jamjam mundo affulsit et prædicatione manifestatus est, ita ut nulla humana violentia extingui vel abscondi possit in tempore; manifestabitur autem præclarius et plenissime, in fine temporis, in die judicii...

-2) Lucerna fuit Joannes Baptista, præcursor Domini, vocatus *lucerna ardens et lucens* (Joan. V, 35); — item Apostoli, eorumque successores omnes, Episcopi, aliique sacerdotes ac viri apostolici, qui *lux mundi* a Christo appellantur. Matth. V, 14.

-3) Lucernæ mysticæ sunt omnes Christiani, qui positi *in medio nationis pravæ et perversæ, lucere debent sicut luminaria in mundo.* Phil. II, 15.

2° Quodnam est modium, quo lucerna absconditur, et quod candelabrum, quo exaltatur? — R. 1) *Modium,* seu *quodlibet*

vas (Luc. VIII, 16), quo res terrenæ continentur, -*a*) commoda temporalia significat. Propter *modium*, inquit Augustinus, id est propter mensuram rerum opumque temporalium, non est celanda vel tegenda lux doctrinæ et veritatis. Sub modio ergo lucernam ponit quisquis lucem bonæ doctrinæ commodis temporalibus obscurat et tegit. — *b*) Modium quoque est amor proprius, quærens quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi et animarum, atque propterea veritatis diffusionem præpediens et captivam tenens...

-2) *Candelabrum,* quo exaltata lucerna quam maxime lucem suam diffundit, est, -*a*) crucis arbor, qua Christus exaltatus universum mundum illuminavit... -*b*) publicum quodlibet Ecclesiæ munus, in quo viri apostolici constituti, lucem Christi abundantius diffundunt; -*c*) tribulatio et persecutio, qua servi Christi cum Domino suo velut affiguntur cruci, atque exemplo patientiæ et charitatis clarius lucent...

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.

Quis est oculus ille simplex quo totus homo illuminatur, et oculus nequam quo repletur tenebris?

1° Oculus simplex est, -1) mens recta, a passionibus cordis et præjudiciis libera. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. V, 8). -2) Recta intentio, seu purus ad Deum intuitus, quo in omnibus quæramus Deum, ejusque sanctissimam voluntatem; seu, quod idem est, quo in omnibus rebus sincere sectamur quidquid verum est, quidquid æquum, justum, purum, proximis proficuum ac Deo placitum...

2° Oculus nequam e contra, est -1) mens præjudiciis vel pravis affectibus obnubilata, v. g. ambitione, avaritia, invidia, vanitate... -2) Intentio vitiosa vel minus recta, ad terrenum quemcumque finem declinans.

Vide ne lumen quod in te est, tenebræ sint.

1° Quotuplex lumen distinguitur? — R. Aliud est lumen *quod* videt, id est, oculus; aliud lumen *quo* oculus affunditur ut videre possit. De lumine *quo* hic quæritur; et respondetur illud esse multiplex.

-1) Est enim lumen externum et corporale, quo corpus illuminatur ut videat mundum corporeum; ut in eodum distinguat viam qua ambulet, pericula vitet, et recte operari possit.

-2) Lumen internum rationis, conscientiæ et scientiæ naturalis.

-3) Lumen internum et spirituale gratiæ, seu fides et charitas a Christo dimanans. — Item verbum Dei et sanctissima Dei lex : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* Ps. CXVIII.

-4) Lumen gloriæ, quo Beati in cœlis illustrati, visione Dei intuitiva fruuntur. *In lumine tuo videbimus lumen.* Ps. XXXV.

2° Quodnam est lumen nostrum internum? Quomodo idem obscuratur, aut clarescit? — R. De lumine *quod*, id est, de oculo jam sermo est; et respondetur, animæ nostræ inditum esse habitum fidei, qui velut oculus est, seu lumen internum, ad res spirituales videndas idoneum...

-1) Objectum hujusmodi visus est mundus spiritualis, per divinam revelationem nobis apertus, in quo longe excellentiora Dei opera quam in mundo corporeo, nimirum cœli thesauros, inferni abyssos, flores fructusque virtutum... — solem lunamque et stellas, quæ sunt Christus, ejus sanctissima Mater, omnesque Sancti Ecclesiæ, cernimus et miramur...

-2) Lumen istud, id est, fides nostra, ita vivida esse potest, ut quæ invisibilia sunt tanquam visibilia cernamus; et invisibilem Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum, quasi visibilem intueamur. — E contra, eadem esse potest ita languida, aut obscura, ut veluti cæci, res spirituales, etsi gravissimas et copiosa in luce positas, non videamus. Quæ differentia facile patet, si homines justos et peccatores inter se comparemus. Utrique enim easdem veritates credunt et con-

fitentur : de cœlo, de inferno, de Eucharistia, etc. ; sed longe aliter illi quam isti eas apprehendunt. Illi res veluti coram, distincte cernunt ; isti vero easdem velut a longe, confuse, aut quasi in mortua tabula depictas apprehendunt...

-3) Claritatis fidei causa est, ex nostra parte, orationis ac meditationis studium, recollectio animi, devotio erga SS. Sacramentum, humilitas et mortificatio christiana : *Revelasti ea parvulis* (Matth. XI, 25). — Obscuritatis causa est imprimis duplex illusio, *temporis* nempe et *sensuum :* eo quod res credendæ tempore, sive præterito sive futuro, longe a nobis remotæ videantur... vel quod spirituales sint et sub sensibus non cadant.—Præterea obscuritatis causa quoque est orationis neglectus ; item superbia et amor proprius, effusio ad exteriora ; quivis pravus affectus animum perturbans ; cupiditas, seu sollicitum studium rerum terrenarum... quæ omnia velut fumus, aut lutum, oculum fidei offuscant, et lumen mutant in tenebras.

-4) Tenebræ porro hujusmodi sunt, errores, ignorantia, illusionesque funestæ ; item peccata et omnigena *opera tenebrarum*. Rom. XIII, 12.

Si ergo corpus tuum lucidum fuerit... erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

1° En anima illuminata in spiritu, habens oculum mentis ita purum, ut non *habeat aliquam partem tenebrarum :* id est, habens fidem ab omni impedimento liberam. Hujusmodi namque fides mox exardescit in charitatem ; et ex lucerna exigua efficitur velut sol, qui non tantum lumine, sed simul etiam vivifico calore animam replet.

Hujusmodi anima in lumine ambulat, operatur et gaudet. Ipsamet in se lucida est, et omnia ei clarescunt.

-1) Radiis Spiritus sancti sicut crystallum purum perfunditur : nimirum pietate, humilitate, patientia, mansuetudine, prudentia, fortitudine, temperantia, aliisque virtutibus, quæ sunt totidem velut divini luminis radii, anima illustrata, quasi deiformis efficitur.

-2) Omnia quæ extra animam sunt, ei lucida fiunt et perspicua; ita ut sicut B. Laurentio, *nox ejus obscurum non habeat, sed omnia luce clarescant.* Omnia enim videt in Deo, id est in Dei verbo et in Dei voluntate, quæ lux sunt purissima : *Quoniam Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.* I Joan. I, 5.

2° Magna sane hujusmodi animæ felicitas : nam ambulat in via recta, absque periculo incidendi in abyssos; properat ad patriam, quæ est in lumine gloriæ posita; ditescit indesinenter, cum in dies thesauros æternos operibus lucis multiplicet.

E contra, anima interne obtenebrata, miserrima est, in nocte ambulans, cæcutiens, ad operandum inepta, periculis exposita, terroribus obnoxia... *Hoc igitur dico et testificor in Domino, ut jam non ambuletis sicut et gentes ambulant, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum... et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.* Eph. IV, 17; V, 11.

3° Quomodo ad internam illuminationem pervenitur? — R. Per omnimodam abnegationem, qualem Christus suadet, dicens : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me* (Matth. XVI, 24). — *Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (Joan. VIII, 12). — Quam eamdem sententiam postquam ab initio sui libri proposuit Kempensis, subjungit : *Hæc sunt verba Christi, quibus admonemur, quatenus vitam ejus et mores imitemur, si velimus veraciter illuminari, et ab omni cæcitate cordis liberari* (De imit. l. I, 1). — Et alibi : *Quid simplici oculo quietius? et quid felicius nil desiderante in terris?... Nisi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus, non poterit libere intendere divinis. Ideo enim pauci inveniuntur contemplativi, quia pauci sciunt se a perituris et creaturis ad plenum sequestrari.* Ibid. lib. III, 31.

—

COMMUNE CONFESSORIS PONTIFICIS.

Evangelium quartum.

Marc. XIII, 33-37. Dixit Jesus discipulis suis : Videte, vigilate, et orate : nescitis enim quando tempus sit. Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cujusque operis, et janitori præcepit ut vigilet. Vigilate ergo (nescitis enim quando dominus domum veniat : sero, an media nocte, an galli cantu, an mane), ne quum venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico : Vigilate.

Luc. XXI, 34-36. Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ ; et superveniat in vos repentina dies illa : tanquam laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.

Explicatio prima.

I. *Præceptum vigilandi.*
II. *Motivum vigilandi.*

Feria tertia Majoris hebdomadæ, cum Dominus in monte Oliveti sedens, discipulis suis de secundo suo adventu loqueretur, conclusione practica sermonem terminavit, hortando discipulos ac fideles suos omnes ad salutarem vigilantiam :

Videte, vigilate, et orate : nescitis enim quando tempus sit.

Dominus quater hoc Evangelio repetit vigilandi monitum; additque rationem, incertitudinem nempe mortis, seu adventus sui : *Nescitis enim quando tempus sit.* Quam rationem quoque repetit ter, sed modo magis explicito propositam : ut nimirum tanta repetitionis instantia significet, quam grave illud sit vigilandi monitum, quamque necessario a nobis servandum sit ne æternum pereamus.

Videte, id est, attendite, animum negotio salutis advertite et applicate. — *Vigilate*, id est, impendite vos rei salutis acriter, cavendo a somno ac torpore. — *Et orate :* ut scilicet rem salutis, non vestris tantum viribus, quæ nequaquam sufficiunt; sed divino auxilio perficiatis. — Sic agite, ut sitis parati semper ad adventum Filii hominis : *Nescitis enim quando tempus sit* : id est, quando tempus definitum sit affuturum, seu quæ adventus Domini statuta sit dies et hora.

Sicut homo qui peregre profectus, reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cujusque operis...

Quo clarius percipiatur noster in hac fragili vita status, atque necessitas vigilandi ob incertitudinem mortis : parabo-

lam affert Christus de servis exspectantibus dominum, nocte peregre reversurum. Quæ quidem parabola, si Evangelii textus nonnihil componatur et compleatur, hac ratione proponi potest : Sicut homo peregre profectus egit erga servos suos, sic ego vobiscum agam. Homo ille servis assignavit laborem, et janitori præcepit ut vigilaret usque ad reditum suum, aliqua, etsi incerta, noctis vigilia futurum. Atqui similiter ego vobis, servis meis, mandata mea ad operandum relinquo; et vigilantiam, præcipue januæ custodibus præcipio, donec veniam. Omnes ergo assidue vigilate; nam per noctem hujus vitæ veniam : quanam vero vigilia aut hora sim venturus, vobis non manifesto.

Quod dicit : *Dedit servis suis potestatem cujusque operis* : id est, eis subsidia ac media copiosa tradidit, ut id omne facerent quod ad domus utilitatem, bonum ordinem, rectamque rerum domini sui administrationem pertinerent; de cætero eos suæ libertati, seu potius fidelitati relinquens.

Et janitori præcepit ut vigilet. Janitor est ille servus cui domus janua a domino suo concredita est, ut eam aperiat hero et amicis ejus, inimicis vero et furibus claudat diligenter. Hic vir fidelis et prudens imprimis esse debet, cum veluti totius domus domini sui custos constitutus sit. Ipsi peculiari modo vigilantia commendatur, quia domum custodire et redeunti domino aperire debet. *Vigilate ergo* (*nescitis enim quando dominus domum veniat : sero, an media nocte, an galli cantu, an mane*), *ne, quum venerit...* Hoc sermone figurato parabola transit in allegoriam, et cum re significata quasi confunditur. Unde clarissime patet quis sit dominus parabolæ, qui servi, quæ vigilantia servanda, quæ dormitio cavenda : *Ne, quum venerit repente, inveniat vos dormientes....*

Quod dicit, *sero, an media nocte, an galli cantu, an mane* : quatuor Romanorum vigilias indicat, tunc apud Judæos servari solitas. Prima vigilia incipiebat ad solis occasum, et ultima desinebat ad solis ortum, ita ut unaquæque tres circiter horas comprehenderet.

Ut autem monitum vigilandi vehementer animis omnium imprimat, gravissime concludit Dominus, dicendo : *Quod autem vobis dico, omnibus dico : vigilate.*

Explicatio secunda.

Videte, vigilate et orate : nescitis enim quando tempus sit.

En occupatio totius christianæ vitæ, simulque præparatio ad exitum e vita. — Ad tria hæc reducuntur omnia : *Videte, vigilate, et orate.* Nimirum, 1) ut homo *videat* et consideret corde ; animumque a vanitatibus aversum, rebus salutis applicet et intendat. *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde* (Jerem. XII, 11). — 2) Ut homo *vigilet :* non tradat se somno negligentiæ, qui inducit ad somnum peccati mortalis ; sed assidue perseveret in operando bono et cavendo malo. — 3) Ut homo indesinenter *oret*, et per exercitia religiosa, cum Deo adjutore suo unitus maneat (1).

Sicut homo qui, peregre profectus, reliquit domum suam...

1° Domus Domini servis relicta vel concredita, est Ecclesia universa, cui Christus Petrum ejusque successores præposuit ; — item Ecclesiasticæ provinciæ et diœceses, quibus præfecit Apostolos, eorumque successores Episcopos ; — item parochiæ et Ecclesiæ partes quæcumque, quas secundariis pastoribus, sacerdotibus ac ministris demandavit ; — item familia quælibet christiana, aliave communitas, constituti superioris curæ relicta. *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi* (I Tim. III, 15). — *Janitor* autem domus, est imprimis Romanus Pontifex, cui Christus in persona Petri claves tradidit ; deinde est qui-

(1) De vigilantia, de mortis incertitudine, de dormitione funesta, de homine peregre profecto : vid. expositiones supra, *Commun. Conf. Pontif.* Evang. I et II ; et infra, *Comm. Conf. non Pontif.* Evang. I.

cumque subordinatus pastor Ecclesiæ, — vel etiam quivis alius superior, cui *præcipitur ut vigilet* super domum Domini.

2° Domus Domini est etiam cujusque anima, quæ est habitaculum Domini ejusque possessio. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro* (I Cor. VI, 19, 20). — Anima nostra scilicet est domus sancta, Deo per Baptismum dicata, quam unusquisque custodire, mundare, adornare, ditare, et imperando passionibus suis, gubernare debet....

Dedit servis suis potestatem cujusque operis.

En Christiani hominis, ad operandum sancte, subsidia et libertas.

1° Potestatem Christus confert cuilibet Christiano, et necessaria subsidia ad id omne faciendum, quod a famulis suis Dominus requirit. -1) Pastoribus et superioribus dat gratiam status ac vocationis, ut digne se gerant tanquam Christi vicarios, recteque munere fungantur. — 2) Subditis, reliquisque fidelibus omnibus, auxilium dat vere ac relative sufficiens, imo si orare voluerint, copiosum, ut tentationes vincere, legem implere, animamque sanctificare secundum statum suum valeant. *Omnia possum in eo qui me confortat* (Phil. IV, 13). — 3) Potestas, quam christianus homo in Christo possidet, maxima est : *potestas* nimirum *cujusque operis;* adeo ut offendat nihil, quantumvis arduum, dummodo sit bonum in se et ex mente Domini susceptum, quod sustinere aut perficere nequeat.

2° Hæc auxilia præsto quidem sunt, at non sine conditione aliqua, quæ ex parte hominis a Deo requiritur. Sunt enim velut aquæ in fonte publico, quibus uti quis potest, ea tamen lege, ut fontem adire et aquas haurire velit. Fons gratiarum in Ecclesia patens, est Christus Dominus, de cujus plenitudine accipimus omnes, dummodo conditiones ab ipso positas impleamus. Reducuntur autem conditiones hujusmodi ad duo, quæ sunt : -1) oratio, et -2) sacramenta, quibus frequenter et rite uti nos oportet....

3° Potestas, Christi discipulis facta, libertatem includit. -1) Scilicet omnibus auxiliis et gratiis instructus homo, liber manet, ut iisdem cooperetur vel non cooperetur, utque eas fructuosas vel steriles efficiat. *Constituit hominem in manu consilii sui, adjecit mandata et præcepta sua... ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei dabitur illi.* Eccli. XV, 14.

-2) Hujusmodi libertatem Dominus nobis reliquit, quia vult ut sibi libere, non coacte serviatur; qualis sane obsequii modus talem Dominum decet.

-3) *Libertas* hæc, quæ *libertas arbitrii* vocatur, nequaquam est *licentia*, cum qua sæpissime et funestissime confunditur.

Etenim, *a*) libertas legem Domini non excludit, sed supponit : homo nimirum legi essentialiter subjectus est, et ad eam servandam feliciter obligatus ; sed huic obligationi satisfacere vel deesse, pro arbitrio et libitu, ac libera electione potest, quin a quopiam cogatur. Quidquid autem elegerit, sive legis observationem, sive transgressionem maluerit, suus ipsi actus ad retributionem sive præmii sive pœnæ imputabitur.

-*b*) *Licentia* e contra, quæ falso nomine *libertas* vocatur, legem excludit : estque status hominis, qui fingitur nulli legi subjectus, nullaque obligatione obstrictus; suoque arbitrio ita derelictus, ut quæcumque facere physice valet, ea etiam si voluerit, moraliter ac licite facere possit. — Dicitur hic status hominis *fingi :* non enim, quantumvis conetur, ullus homo sese a lege atque obligatione legitima, sive naturali, sive divina, sive humana, subducere valet. Frustra ergo impii recalcitrant, et agitantur dicentes : *Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum.* Nam : *Qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos* (Ps. II). — Omnia opera impii ei imputantur, eorumque ineluctabilem retributionem solvet. *Væ impio in malum! retributio enim manuum ejus fiet ei* (Isai. III, 11). — Videat ergo quisque quomodo rationem operum, venturo Domino ac Judici suo reddendam præparare velit....

-4) Libertate sibi data ad faciendum bonum, ad merita comparanda, homo quilibet abuti potest, et per fragilitatem suam abuti pronus est, atque reapse abutitur ; nisi humiliter

de se diffidens, omnem suam fiduciam in Christo constituat, eique per orationem assiduam inseparabiliter adhæreat. *Cum metu et tremore salutem vestram operamini* (Phil. II, 12). — *Oportet semper orare et non deficere.* Luc. XVIII, 1.

Nescitis quando dominus domum veniat : sero, an media nocte, an galli cantu, an mane.

En variæ ætates humanæ vitæ, adolescentia, juventus, ætas virilis et senectus : quibus singulis, 1° homo mori potest. Et quidem id experientia patet, et ipsa ratio dictat. Quid enim quempiam securum a morte reddere posset? valetudo firma? an divitiæ, curæque sollicitæ?... Quæ omnia, ut patet, mortem insidiantem, aut irruentem arcere non possunt. — Verumtamen illusiones abundant, cujusque ætatis propriæ, quibus animum demulcentes, falsa securitate homines conquiescere solent....

2° Iisdem ætatibus singulis propria sunt pericula animæ vitanda : indocilitas et inobedientia adolescentibus, voluptates juvenibus, sollicitudo temporalium et ambitio ætate maturioribus, inertia et tardæ delationes senibus....

3° Iisdem ætatibus singulis sunt propria officia, propriæque virtutes, quibus si impendit se constanter homo, fructus suos vario tempore varios profert : *Sicut palma florebit* (Ps. XCI), *et flores ejus fructus honoris et honestatis* (Eccli. XXIV, 23).— Hujusmodi homo, fidelis ac vigilans servus est, quem Dominus quacumque hora venerit, paratum inveniet.

Omnibus dico : Vigilate.

En vigilantia commendata et præcepta omnibus, nemine excepto, nimirum : -1) Ecclesiæ Pastoribus, et fidelibus singulis; -2) justis et peccatoribus ; -3) fervidis et tepidis ; -4) infirmis et bene valentibus; -5) juvenibus et senioribus. Omnes enim parati sint oportet, ut venienti Domino occurrant, et rationem reddant; omnesque ex improviso deprehendi possunt : ideoque omnibus ingeminat Dominus : *Vigilate.*

—

COMMUNE DOCTORUM.

—

Matth. V, 13-19. Dixit Jesus discipulis suis : Vos estis sal terræ Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio ; sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas : non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis : donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum : qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

Marc. IX, 49. Bonum est sal : quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos.

Luc. XIV, 34, 35. Bonum est sal. Si autem sal evanuerit, in quo condietur? Neque in terram neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

Luc. VIII, 16. Nemo autem lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit : sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen. — (XI, 33.) Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio : sed supra candelabrum ; ut qui ingrediuntur, lumen videant.

Explicatio prima.

I. *Quomodo Apostoli sint sal terræ.*
II. *Quomodo sint lux mundi.*
III. *Quomodo doctores legem Dei servare debeant et docere.*

Quum Dominus in monte Galilææ sedens, circumstanti discipulorum multitudini Beatitudines proposuisset : quæ res sub medium mensis Maii, anno secundo prædicationis ejus contigit; intuitus duodecim Apostolos, qui propius adstabant, et evangelicæ perfectionis præcones futuri erant; ad eosque peculiariter sermonem dirigens, dixit :

Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus.

Sensus est quasi diceret : Vos, o Apostoli, estis ex mea electione et deputatione, sal terræ : id est, illud esse debetis, et per meam gratiam reipsa eritis. Si autem sal, quod cætera salire debet, factum fuerit insulsum seu infatuatum, ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus. Non enim usum habet sal nisi ut saliat; nec remedium datur, quo insulso sali deperdita vis restitui possit.

Dicit : Vos estis *sal*, ut notet officium, vim et dignitatem Apostolorum. — Sal substantia est exigua, minimeque speciosa, sed vim quamdam continens ac saporem acrem, quem cibis cui aspergitur communicat. — Duæ sunt præcipuæ salis proprietates : cibis saporem addit, et carnem a corruptione præservat; unde est symbolum sapientiæ, et symbolum incorruptionis.

-1) Symbolum sapientiæ est : quia quemadmodum sal efficit ut cibi sapiant palato; ita sapientia facit ut verum et honestum, quæ cibus sunt animæ, sapiant menti. Sapientia enim dat nobis *recta sapere :* id est, dat nobis quæcumque sunt recta, sive speculative sive practice spectata, diligere, iisque delectari.— Jam vero Apostoli eorumque successores, sunt *sal sapientiæ*, quia facere debent ut veritas et justitia quæ hominibus insulsa videbantur, tanquam proprius ac vivificus cibus, jucunde eis sapiant.

-2) Symbolum incorruptionis est: quia carnem corruptibilem servat incorruptam. — Jam vero Apostoli sunt *sal incorruptionis* omni carni, id est, hominibus universis. At vero efficacius agit sal Apostolicum et spirituale, quam sal corporeum. Hoc enim solummodo carnes integras, necdum corruptas, præservat a putredine; carnes autem jam corruptas et putidas sanare et redintegrare nequit : Apostoli vero animas vitiis omnibus corruptas et putidas persanarunt, eisque integritatem quam nunquam habuerant indiderunt. Atque hunc mirabilem effectum idem sal divinum, per Apostolorum successores, in dies producere continuat.

Quod dicit sal *terræ*, catholicitatem Apostolicæ missionis indicat; cum Apostoli non jam ut antea Prophetæ Judæam tantum, sed mundum universum sua virtute afficere debebant.

Quod sequitur : *si sal evanuerit, in quo salietur*, etc., necessitatem ostendit Apostolis officium suum efficaciter implendi. Sicut enim sal usum habet nobilissimum, nimirum saliendi; ita non habet usum alium. Si enim ineptum fiat ad condiendos cibos et inutile ad mensam, ad nihil jam, ne ad sterquilinium quidem aut ad stercorandos agros utile est; sed *mittendum foras et conculcandum ab hominibus*. — Similiter Apostolus aut sacerdos quilibet, si perdat suum salis spiritualis vigorem, id est, spiritum Christi, spiritum pietatis, humilitatis, totiusque sanctitatis evangelicæ, nullo remedio humano amissam virtutem recuperabit; sed fiet inutilis, contemptibilis, miserrimus, hominum vilissimorum, imo et dæmonum pedibus conculcandus.

Vos estis lux mundi.

Sicut Apostoli modo dicti sunt sal terræ, ita nunc dicuntur lux mundi; quo plenius hac nova figura suum munus et vocationem intelligant, considerando, quod sal est cibis et sol mundo, id se esse debere humano generi. Sensus est : Vos, o Apostoli, mea electione estis, et si gratiæ ut par est respondeatis, reipsa eritis lux mundi : ut humanum genus universum, errorum vitiorumque tenebris obscuratum, luce doctrinæ vitæque evangelicæ illuminetis.

Lux mundi est sol, mundum sua luce illuminans et calore fecundans. — Non dicit, vos estis lux firmanenti, sed *mundi* : quia considerat solem non in se, et ut splendentem in cœlo; sed respectu mundi, et ut beneficum terræ. — Porro solis celsitudo, majestas, beneficentia, universalitas, perennitas, totidem Apostolici muneris proprietates insinuant.

Illud *vos estis*, non tantum est verbum assertivum, sed etiam *efficax*, id est, efficiens quod asserit. Sicut enim dum conderet mundum naturæ, Dominus *dixit et facta sunt;* ita nunc condens mundum gratiæ, similiter dicit et creat : *Fiat lux, et facta est lux.* — Porro lux creata est ad lucendum, sicut sal ad saliendum : quare necesse est ut Apostoli mundo luceant. Quam necessitatem Christus duplici imagine illustrat, nempe civitatis in monte positæ, et lucernæ accensæ in domo.

Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio; sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.

Sensus est quasi diceret : Quoniam lux estis, curate ergo ut luceatis. Constituimini enim a me ad hunc finem, ut appareatis et luceatis universo mundo; non vero ut occulti lateatis : quemadmodum neque civitas in monte ædificatur, nec lucerna accenditur, ut tam illa quam ista occultetur.

Quod dicit : *Non potest civitas abscondi supra montem posita*, innuit, -1) Ecclesiam, quam Apostoli repræsentant et

principaliter constituunt, esse civitatem conspicuam, apertam omnibus, ad quam affluent gentes universæ, sicut annuntiarunt prophetæ : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes* (Isai. II, 2)... *et venient in Sion cum laude* (Isai. XXXV, 10). — *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos; super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi; filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent.* Isai. LX, 1 seq.

Innuit -2) non ob metum persecutionum opus evangelicum esse occultandum; sed Ecclesiam esse ædificandam in conspectu populorum : qui non tantum eam non destruent, sed in eam intrabunt.

Innuit -3) characterem beneficum Ecclesiæ et Apostolorum, qui constituere debent velut mansionem securam et felicem omnibus in ea habitare volentibus. Civitas enim, ut quodvis aliud habitaculum, non propter se, sed propter habitantes constituitur.

Quod addit : *Neque accendunt lucernam*, innuit Apostolorum lucem esse mutuatam a Christo, qui est *lux vera*, primigenia, de se lucens, et qui suos Apostolos tanquam lucernas accendit.

Illud *nec ponunt eam sub modio sed super candelabrum*, indicat, non tantum Apostolos destinatos esse ad lucendum; sed etiam curare debere, ne ullo modo sua lux captiva teneatur, vel minuatur aut extinguatur; utque e contra quam maxime luceat *omnibus qui in domo sunt :* id est, omnibus hominibus qui in terra vivunt.

Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

En explicatio mystici salis et solis, civitatis quoque, et lucernæ candelabro impositæ; scilicet explicatio omnium parabolarum quæ præcedunt : quarum practica applicatio respectu Apostolorum ipsos monet, ut similiter per doctrinam et sanctitatem vitæ hominibus prosint. Luceat, inquit, lux vestræ doctrinæ et exempli coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et ita inducantur ad glorificandum Deum, cujus vos esse filios agnoscent, et ad quem ipsi per vos convertentur.

Illud *Luceat lux vestra coram hominibus*, contradicere videtur huic : *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* (Matth. VI, I) ; sed prior sententia agit de bono exemplo, altera vero de vana ostentatione. In dando exemplo finis, seu intentio, est glorificatio Dei; in ostentatione vero, glorificatio sui. Quoniam autem homo, dum coram aliis hominibus bonum operatur, facile ad vanam gloriam deflectit; curandum est, juxta S. Gregorii monitum, ut quandocumque exemplum dari debet, *opus bonum sit quidem in publico, sed intentio* uni Deo placendi *maneat in occulto :* id est, ut in intimo corde non intendamus finaliter, nec velimus aliud quam Dei gloriam et animarum bonum ; pro nobismetipsis autem, quantum fieri potest, optemus secretum. Quicumque sic agunt, hominibus, non propter se, sed propter Deum, ut scilicet eos ad Deum trahant, placere student; et utrumque Domini monitum servant : ita nempe bonum operando, *ut Deus glorificetur;* nequaquam tamen ad hunc finem operando, *ut ipsimet videantur ab hominibus.*

Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere.

His verbis Dominus sermonem ad totam audientium turbam extendit, statuitque, legem decalogi esse omnino, et quoad omnia mandata, inviolabiliter servandam. Quoniam

autem, ut videtur, accusabant eum Scribæ, quasi legem Mosaicam abrogaret, doctrinam ei novam substituendo; accusationem illam confutat, dicens : *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Quod assertum deinceps fusius demonstrat, opponendo doctrinam suam genuinam doctrinæ et traditionibus adulteris Scribarum.

Quod dicit *legem aut prophetas*, designat vetus Testamentum, ejusque tres partes; -1) decalogum, aliaque præcepta moralia; -2) præcepta cæremonialia; -3) vaticinia prophetarum : quo nomine etiam libri historici, qui figuras Christi et Ecclesiæ continent, intelliguntur.

Quod asserit : *Non veni solvere, sed adimplere*, verissime dicit. Nam -1) implevit præcepta moralia, quia illa explicatius et perfectius docuit atque sancivit : præcepta distinctius declarando, præceptis consilia evangelica adjungendo, pro pœnis præmiisque temporalibus æterna substituendo.

-2) Implevit leges cæremoniales, per semetipsum, per suos actus, et per sua sacramenta. Erant enim cæremoniæ totidem figuræ et quasi umbræ Christi ejusque Ecclesiæ; quibus ipse, per ea quæ gessit et passus est, substituit veritatem.

-3) Implevit prophetias, omnia efficiendo quæ ipsæ futura prædicebant.

-4) Præterea ipse semper legem Mosaicam servavit, etsi illa lege, utpote Deus, Deique Filius, non obligabatur. Etenim juxta præscripta legis circumcisus est, præsentatus in templo, etc.

-5) Legis Mosaicæ imperfectionem supplevit, justificando nos per gratiam copiosam, per fidem et per sacramenta quæ instituit.

Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.

Quod modo dixit, se non venisse solvere legem sed adimplere, gravissima asseveratione confirmat, dicens : firmiorem esse legem cœlo et terra, adeoque firmissimam. *Donec*

transeat, inquit, *cœlum et terra*, id est, donec pereat, vel potius, etiamsi perierit cœlum et terra, nulla legis particula peribit, seu effectu carebit; sed verba legis omnia certissime implebuntur.

Quod dicit : *Donec omnia fiant*, significat, -1) omnia figurativa et prophetica esse re et eventu implenda; -2) moralia vero immutabilia fore quoad obligationem; et quamvis inefficacia esse possint quoad observationem ex parte hominum, necessario tamen effectum habebunt per sanctionem præmii vel pœnæ, observatoribus vel violatoribus statutam : et sic verissime *omnia fient*. — Ex quibus patet, significari hac sententia strictam jugemque legis obligationem, vim et robur, quæ exactam omnium obedientiam requirit; unde fluit sequens conclusio.

Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

Sensus est : Qui ergo vel unum de mandatis legis, etiam minimis, violarit, vel prava interpretatione perverterit, et alios docuerit simili modo illud violare : ultimus habebitur in regno cœlorum, eoque indignus, id est, damnabitur. Qui autem fecerit quæcumque legis præcepta, et ea docuerit : hic salvabitur; imo magnus erit in regno cœlorum.

Quod dicit *unum de mandatis*, stricte sumit pro præcepto gravi, obligante sub peccato mortali : uti sunt præcepta decalogi. Qui enim tale unum solverit, licet decalogi minimum, hic utique damnandus est. Hujusmodi minima sunt v. g. aspicere feminam ad eam concupiscendam; vel eam interius concupiscere, etsi exterius opus non perpetretur : quod Pharisæi censebant esse minimum et vix ullum peccatum; Christus autem docet esse peccatum mortale, lege decalogi vetitum.

Quod autem hæc verba : *minimum vocari in regno cœlorum*, significent *non intrare in regnum cœlorum*, seu *damnari*, ex

sequentibus manifestum est : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Illud *magnus vocabitur in regno cœlorum*, peculiarem gloriam indicat, Ecclesiæ Doctoribus reservatam : qui, si digne munus suum impleverint, super discipulos suos exaltabuntur, et præcipuo splendore fulgebunt, secundum illud : *Qui ad justitiam erudiunt multos (fulgebunt) quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Dan. XII, 13.

—

Explicatio secunda.

Vos estis sal terræ.

1° Quinam sal terræ a Domino dicuntur? — R. -1) Omnes veri Christiani, qui sub velamine humilitatis cœlestem sapientiam possident, et hanc operibus suis aspergunt, ut Dei palato sapida illa efficiant; imo, qui saporem suum salutiferum iis omnibus communicant quibuscum agunt. Servant enim monitum Domini : *Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos* (Marc. IX, 49). Et illud Apostoli : *In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.* Coloss. IV, 5, 6.

-2) Speciatim tamen sal terræ sunt sacerdotes Christi, Ecclesiæ Doctores, omnesque viri apostolici : qui ad hoc constituti sunt, ut non tantum sapientiæ spiritum in se possideant, sed illum indesinenter diffundant super omnem carnem, secundum illud : *Effundam Spiritum meum super omnem carnem.* Joel. II, 28.

2° Quodnam est christiani sacerdotis officium, quatenus est sal terræ? — R. 1) Omnia in ipso debent esse sapida, ac spiritu sapientiæ imbuta : cogitationes, verba, opera ; ut nimirum aliis de virtute sua dare possit, nec periculum subeat ab aliis fatuitatem mundanam mutuandi....

-2) Debet homines omnes, præsertim sibi subditos a corruptione præservare, vel eos ab insipientia et putredine vitio-

rum liberare : per orationes, exhortationes, exempla, sacramenta, charitatem, zelum, abnegationem, suique sacrificium....

-3) Debet sua omnia et semetipsum totum ad animarum bonum impendere, nec sibi quidquam parcere : sicut Christus et Apostoli ; sicut ipsum sal terrenum quod in saliendis cibis totum liquescit et consumitur. *Impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris.* II Cor. XII, 15.

3° Quænam est illa virtus saliendi, qua vir apostolicus pollere debet? — R. 1) Est *verum* et *bonum,* amor veri et amor boni, fides et charitas....

-2) Est spiritus Christi, qui fortis simul et suavis est, quique mortificationem et pœnitentiam cum dulcedine charitatis insinuat. — Huic prorsus oppositus est spiritus insipientiæ ac mundanæ sensualitatis....

-3) Illa vis divina sacerdoti a Christo inditur per sacramentum Ordinis ; servatur autem ab ipso sacerdote, et augetur, per orationem et christianam mortificationem ; perditur vero, per neglectum pietatis, per dissipationem et imprudentem contactum cum sæcularibus....

4° Quanta est apostolici salis, si sit validum, excellentia? — R. -1) Maximæ est efficaciæ, adeo ut carnem, id est, humanam animam, quantumvis putridam purificet, sanam, imo spiritualem efficiat, et ad gloriosam resurrectionem disponat : *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem* (I Cor. XV, 53). — Sic pauci Apostoli, quasi salis pugillus mundo aspersus, de omni, tum corruptionis humanæ, tum diabolicæ nequitiæ reluctantia triumpharunt....

-2) Ipsum illud sal magnifice glorificabitur : viri enim apostolici, tanquam lapides pretiosi exaltabuntur in diademate Christi. Ipsi quoque sapidas Dei epulas gustabunt in æternum. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo ; et sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel.* Luc. XXII, 29, 30.

5° Quanta est salis apostolici, si evanuerit, vilitas? — R. 1) *Ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras* ex gratia, ex ministerio sacro, ex regno cœlorum.... *et conculcetur ab*

hominibus, id est, a vilissimis laicis, a Judæis, a Gentilibus ; nec tantum in hac vita, sed etiam in die judicii, et in imo inferno.... Etenim *corruptio optimi pessima.*

-2) Non solum ad nihilum valet sacerdos, spiritu status sui destitutus; sed præterea fit nocivus : nocivus sibi, nocivus aliis... corruptionem quam tollere debebat propagat. — Quo quid detestabilius? *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille* (Matth. XXVI, 24). De Juda Iscariote hæc dicta sunt, qui salis infatuati miserum typum gessit.

-3) Dantur tamen, sicut in salis apostolici virtute, ita in ejus defectu, varii gradus, in quos paulatim proceditur.... *Nemo repente fit summus, nemo repente fit pessimus.*

-4) Illud terribile *in quo salietur?* non quidem omne prorsus remedium excludit, sed difficultatem in remedio applicando insinuat....

Vos estis lux mundi.

1° Quinam lux mundi a Domino vocantur? — R. 1) Omnes veri Christiani, qui sanctæ conversationis exemplo lucere debent, sicut luminaria in mundo. — 2) Peculiari tamen modo, viri apostolici, et evangelici doctores.— 3) Excellentiore autem ac principali modo ipse Christus Dei Filius, incarnata Sapientia : *Ego sum lux mundi... lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. VIII, 12 ; I, 9.

2° Quodnam est officium viri apostolici, quatenus est lux mundi? — R. 1) Sicut accenditur lucerna, aut sol in cœlo constitutus est ad lucendum : ita sacerdos in Ecclesia. Non ergo luminis Christi, scientiæ ac gratiæ Dei factus est particeps, ut sit illuminatus ipse pro semetipso tantum ; sed ut etiam alios illuminet, quasi diffusivus sui... *Gratis accepistis, gratis date* (Matth. X, 8). — *Quoniam sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo.* Sap. VII, 13.

-2) Hoc autem officium duo complectitur : doctrinam et exemplum, — scientiam et sanctitatem vitæ, — prædicationem et bona opera : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.*

-3) Lucere debet, non tantum sicut lucerna, ut illuminet; sed etiam sicut sol, ut vivificet et recreet homines : ut nempe tenebras errorum auferat ab intelligentiis, simulque tenebras peccatorum a cordibus....

-4) Officium illud, sicut est nobilissimum, ita quoque maxime necessarium : *Væ mihi est si non evangelizavero* (I Cor. IX, 16). — Quid, si lucerna non daret lumen? nonne abjiceretur a candelabro, et accenderetur alia? *Memor esto itaque unde excideris; et age pœnitentiam, et prima opera fac : sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Apoc. II, 5.

3° Quomodo vir apostolicus officium lucendi bene implebit? — R. 1) Oportet ut ipsemet sit totus lucidus : in mente, per fidem vividam, et in corde, per ardentem charitatem; ut sicut Joannes Baptista præcursor Domini, sit lucerna ardens et lucens, accensa ex lumine Christi, *ad dandam scientiam salutis plebi ejus.* Luc. I, 77.

-2) Perfecte lucebit, si removerit a se id omne, quod extinguere suum lumen possit; præsertim flatum superbiæ, et respectum humanum ac timorem hominum; — et si quotidie nutrierit flammam suam oleo devotionis et orationis sanctæ.

-3) Item, si removerit a se amorem proprium, quo tanquam modio (1), vel vase fictili, lumen impeditur, ipsaque flamma suffocatur....

-4) Item, si super candelabrum manserit elevatus, ac separatus a terrenis cupiditatibus et inquinamentis....

-5) Item, si sicut sol in cœlo manserit, corde et animo unitus Deo, in cœlestibus consistens; nec inde ipsemet descendens, sed tantum radios suos mittens in terram : ut dum corpore inter homines versatur, mente conversetur in cœlis.... Sic fiet, ut quemadmodum sol illuminat cloacas putridas nec inquinatur; et sicut angelus custos hominem docet ac juvat; ita sacerdos, vir spiritualis, doceat homines carnales, eosque emendet, quin ullam ab eis labem contrahat....

(1) De lucerna sub modio abscondita, vid. supra, *Commune Confess. Pontif.*, Evang. III. pag. 222.

Civitas supra montem posita.

1° Quænam est hæc civitas mystica? — R. -1) Est Ecclesia catholica universim spectata, a Christo ædificata supra montem sanctum, qui ipse Christus est. -2) Ecclesia docens ac regens : id est, Ecclesia hierarchica, Pastores Ecclesiæ, qui inter se uniti, et erga fideles paterna charitate animati, instar civitatis esse debent : in qua omnes protectionem, gubernationem, securitatem inveniant.

2° Ædificatur civitas illa super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ex lapidibus vivis, id est, ex hominibus, fide et charitate viventibus; per manus præsertim sacerdotum Domini, qui Dei sunt adjutores : qui ut sapientes architecti, super fundamentum positum solide ædificare debent (I Cor. III, 9 seq.) : id est, ædificare laborando strenue, Christi atque Apostolorum exempla sequendo, Deique adjutorio semper innitendo : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* Ps. CXXVI.

3° Quomodo civitas sancta custoditur? — R. Per vigilantiam, et auxilium Dei continua oratione implorandum : *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* ibid.

4° Quomodo civitas Dei omnibus apparere et patere debet? — R. *Apparere* debet, -1) per signa veræ Ecclesiæ propria : quæ sunt unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas.... -2) Per splendorem charitatis : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Joan. XIII, 35.

Patebit autem et ingressum faciet omnibus, atque alliciet animas, per charitatem et virtutum variarum exercitium, quibus Christi bonus odor diffunditur....

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona...

En præceptum boni exempli. — 1° Quinam hominibus exemplo præfulgere debent? — R. 1) Superiores omnes, præsertim vero Ecclesiæ pastores, quippe qui cum Apostolo dicere debeant : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.*

-2) Divites pauperibus, seniores junioribus; imo unumquemque proximo suo ædificationem afferre decet.

2° Bonum exemplum datur verbis et operibus sanctis; præcipue vero patientia, charitate, modestia, et accurata impletione officiorum sui status....

3° Quanta sit boni exempli efficacia facile patet, si consideremus sæpissime eos exemplo trahi, qui verbis gravissimis moveri non poterant. Ideo necesse est, ut quicumque alios ad virtutem exhortatur verbis, exemplo suo verba corroboret. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis* (Joan. XIII, 15). — *Cœpit Jesus facere et docere.* Act. I, 1.

4° Quanta e contra, sit vis exempli pravi, seu scandali, præsertim si a superioribus detur; quantaque hujusmodi perversitatis sit malitia, facile intelligitur (1).

Non veni solvere legem, sed adimplere.

Idem dicere debet post Christum, minister Evangelii Christi : quandoquidem hic similiter missus sit, non ut legem solvat, sed ut eam impleat. At vero legem solvere, aut legem adimplere, quid est?

1° Legem solvere est, -1) eam violare atque opere transgredi. -2) Eam docendo corrumpere, aut nimio rigore restringere, vel nimia indulgentia relaxare. In medio stat veritas et virtus, illud omne et solum quod Christus docuit, et Ecclesia, columna veritatis proponit : *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Matth. XXVIII, 20.

2° Legem implere est eam servare, et servandam ab aliis curare. -1) Hic autem dantur gradus, quorum summum quisque intendere debet : Ut *iota unum aut unus apex a lege non prætereat, donec omnia fiant.* -2) Ut legem perfecte impleat doctor ac pastor, duo requiruntur : *facere* et *docere;* quæ duo si præstiterit, magnus erit coram Deo et coram hominibus, tum in hac vita, tum præsertim in futura : *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

(1) De scandalo vid. *Evangelia Dominicar.* tom. 2, Evang. *in festo SS. Angelorum.* Matth. XVIII, 17.

COMMUNE CONFESSORIS NON PONTIFICIS.

Evangelium primum.

Luc. XII, 35-40. Dixit Jesus discipulis suis : Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris; et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis : ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes : amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati : quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

Matth. XXIV, 42-47. Vigilate ergo : quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Ideo et vos estote parati : quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est. Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.

Explicatio prima.

I. *Quonam modo adventus Domini sit exspectandus.*
II. *Quo tempore idem adventus exspectandus sit.*

Tertio prædicationis suæ anno, mense Novembri, cum Judæam peragraret Dominus, interpellatus a quodam, dicente : *Dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem;* cœpit discipulos ab avaritia, nimioque rerum temporalium studio dehortari, ostensa vitæ hujus brevitate, et mortis, seu adventus Domini incertitudine : quapropter parabolam proponit ministrorum, dominum suum reversurum a nuptiis præstolantium.

Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris; et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

Utrum duplex hic an unica dumtaxat proponatur similitudo, non constat. Si duæ distinctæ similitudines admittantur, sensus est quasi Dominus diceret : Vos, discipuli mei, similes estote, -1) hominibus, qui succincti lumbos, et instructi lucernis, prompti stant ac parati ; -2) similes quoque estote servis, de nocte exspectantibus dominum, a nuptiis reversurum.

Si similitudo unica intelligatur, sensus erit : Similes estote domesticis famulis, qui lumbis præcinctis, et lucernis ardentibus, dominum de nocte exspectant, dum revertatur a nuptiis. — Nos, cum Maldonato, hunc posteriorem sensum admittamus, ambas nempe sententias conjungendo, quasi unam eamdemque parabolam constituant.

Porro parabolicis hisce sententiis admonet nos Dominus, ut assidua vigilantia adventum ipsius, qui in morte nostra

continget, exspectemus : quatenus ab ipso in cœlum deduci mereamur.

Quod dicit *quando revertatur a nuptiis*, videtur esse merum parabolæ emblema, ac proin non necessario applicandum rei significatæ. Potest tamen etiam ad significationem facere hoc sensu, quod Christus, qui in sua Incarnatione celebravit mystica cum Ecclesia ac fidelibus omnibus sponsalia, nuptias vero æternas consummat in cœlo ; inde quasi redeat ad mortem uniuscujusque fidelium, ut novam sponsam, animam nempe sanctam, illuc deducat. Nuptiæ porro cœlestes sunt summa unio, summumque gaudium quod divinus Sponsus habet cum Beatis in domo gloriæ suæ.

Quod autem dicit : *Sint lumbi præcincti, et lucernæ ardentes*, figurativa locutio est, alludens ad morem Orientalium, apud quos famuli in magnatum domibus, amplas ac longiores vestes supra tunicam gerebant ; quas laboraturi, vel ministraturi, aut exituri, cingulo collectas circa lumbos alligabant, ut expediti essent, nec vestibus in incessu ac motu assidue impediti. Quod si contingeret, ut de nocte dominum exspectarent, v. g. ab itinere, vel a nuptiali cœna rediturum, non tantum præcinctos lumbos, sed insuper lucernas accensas manibus tenere debebant.

Notandum tamen, non solos famulos lumborum cingulum adhibere solitos ; sed eo etiam uti consuevisse operarios quoslibet, nec non viatores ac milites, ut ad laborem, oneraque portanda, ad iter, aut ad pugnam prompti essent et expediti.

Hic autem de opere ac labore sermo est, et illud *sint lumbi vestri præcincti*, idem est ac si diceretur : Omni abjecto impedimento, strenue incumbatis operi, nunquam desides sitis, sed semper occupati operibus virtutum, semper intenti agendis iis quæ venturo Domino sint grata.

Etenim hunc in sensum explicat divinus Magister, cur famuli exspectent dominum sic præcincti, et lumina tenentes ; subjungit enim :

Ut, quum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei.

Ut nempe parati sint, sine mora dominum excipiant, introducant, omnique ministerio juvent. Hujusmodi enim obsequium et quidem promptissimum, nocte intempesta revertens dominus censetur requirere; adeo ut omnem hic negligentiam aut moram ex parte famulorum molestissime ferret. At e converso, si hisce in circumstantiis famuli sese promptos exhibeant, benevolentiam domini et mercedem dignam merebuntur.

Beati servi illi, quos quum venerit dominus, invenerit vigilantes... Amen dico vobis, quod... transiens ministrabit illis... si in secunda, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit.

Sensus est quasi diceret : Quod si dominus ille quocumque noctis tempore venerit, sive in secunda, sive in tertia vigilia, et servos invenerit vigiles ac paratos, eorum obsequium tanti faciet, ut splendidissima mercede eos remuneraturus sit. Scilicet *præcinget* ipse *se et ministrabit illis,* quasi sui domini essent : qua hyperbolica sententia amor domini erga famulos, et gaudium atque honor quibus eos cumulabit, exprimitur.

Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit : id est, quocumque demum tempore, sive citius, sive tardius venerit... — A dimidio jam sæculo, nimirum a Pompei tempore, Judæi, Romanorum usum secuti, noctem in quatuor vigilias, unamquamque trium fere horarum, dividebant. Prima ab occasu solis, id est, ab hora nostra circiter sexta, usque ad nonam protrahebatur; secunda, a nona usque ad mediam noctem; tertia, a nocte media usque ad horam tertiam matutinam; quarta demum, usque ad ortum solis, id est, usque ad horam fere sextam.

Secunda itaque et *tertia vigilia* spatium indicat ab hora nona vespere, usque ad horam tertiam mane. De prima vigilia

et de quarta mentio non fit, quia similitudo id non patitur. Nuptiale enim convivium vigilia prima incipiebat; nec inde quisquam tardius quam vigilia tertia revertebatur. Alia ratio assignatur, cur secundæ et tertiæ vigiliæ Dominus meminerit : quia nimirum tunc somnus solet esse pronior ac profundior, ideoque tunc servi, si fideles sint, maxime in vigilando studiosi esse debent. — Quæ omnia, nimirum servorum vigilantia, lucernæ ardentes, præcincti lumbi, et fidelitatis præmium, sensu allegorico adumbrant nobis assiduam, quam in exspectando Christi adventu servare debemus diligentiam (1).

—

Explicatio secunda.

Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris; et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis : ut quum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei.

1° En nostra conditio in hac mortali vita : sumus *exspectantes;* nempe exspectare Dominum, nosque ad ejus adventum præparare debemus, ut ab ipso, cum venerit, in cœlum assumi mereamur. *Quia vado*, inquit, *parare vobis locum. Et si abiero, et præparavero vobis locum, iterum venio et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego et vos sitis* (Joan. XIV, 3). — *Unde etiam*, inquit Apostolus, *Salvatorem exspectamus, Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Phil. III, 20.

Itaque -1) non habemus hic manentem civitatem, nec locum quietis, aut oblectationis, aut oblivionis Dei...

(1) Reliqui versiculi duo, de vigilantia ob adventum furis, expositi sunt supra, *Commun. Conf. Pontif.* Evang. II, pag. 207.

Sed -2) occupamus locum transitorium, et tempus præparationis. At vero ad jucunditatem magnificam nos præparamus : ita ut velut in pervigilio versemur splendidissimæ festivitatis....

-3) Quicumque alio oculo præsentem vitam intuentur, mundi, carnis ac diaboli illusionibus decipiuntur.

-4) Quæcumque speciosa vel jucunda occurrunt in vita, nec ad præparationem nostram pertinent, fallacia sunt, et illusoria, somniisque vanis simillima. — At quonam modo Dominum exspectare debemus?

2° Modus indicatur in proposita parabola, quo nos ad Domini adventum, sive ad mortem præparare debeamus. Tria enim nobis præcipit Christus : lumbos præcingere, lucernas tenere, et assidue vigilare.

-1) Præceptum primum : *Sint lumbi vestri præcincti.* — Præcincti lumbi generatim concupiscentiæ pravæ refrenationem designant, et passionum omnium quibus in divino servitio impedimur.

In particulari vero, lumborum cingulum -*a*) castitatem indicat : unde *cingulum continentiæ et castitatis* dici solet. Quare S. Gregorius scribit : *Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* — Porro cingulum illud castitatem custodiens, est cingulum cilicii, seu mortificatio et assidua abnegatio universim....

-*b*) Idem illud cingulum est etiam symbolum laboris et patientiæ : quia servi ad ministrandum, bajuli ad onera ferenda, sese præcingunt....

-*c*) idem est symbolum itineris : quia viatores ad iter se præcingunt. Quapropter præceperat Deus, ut Hebræi in memoriam transitus ex Ægypto, agnum paschalem manducarent præcincti, calceati, et baculos manibus tenentes, quasi expediti ad inchoandum iter : quæ figura erat Sanctorum ex terra transeuntium et contendentium in cœlum....

-*d*) Idem est symbolum celeritatis : quia nuntii et legati accingunt lumbos, ut celeres sint ad legationem obeundam. Hinc angeli, qui Dei sunt nuntii, pinguntur lumbis accinctis, quasi veloces et agiles ad jussa Dei exsequenda. — Hos quoque Christiani imitari debent.

-*e*) Idem est symbolum strenuitatis, et in certando fortitudinis : quia milites et athletæ accingunt lumbos cingulo, quod propterea *cingulum militare* vocatur ; quo firmiores sint, validiusque decertent. — Atqui Christiani sunt milites Christi, qui contra diabolum, carnem et mundum certare debent, juxta illud : *State succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ*. Eph. VI, 14.

-2) Præceptum secundum : *Lucernæ ardentes in manibus vestris*. — Lucerna ardens in manibus indicat, -*a*) fidem, qua per noctem hujus vitæ, via nostra illuminatur, gressusque nostri diriguntur.

-*b*) Indicat spem, qua cœlestia bona affulgent nobis, nosque ardore accendunt ut ea persequamur.

-*c*) Indicat charitatem, qua corda nostra ad amandum Deum et proximum inflammantur.

-*d*) Indicat gratiam sanctificantem, qua, veluti vitali luce Dei, anima nostra vivificatur.

-*e*) Indicat hæc omnia simul, quæ internam animæ vitam, ex lumine fidei oriundam, constituunt.

-*f*) Indicat lumen boni exempli, bonorumque operum, præsertim operum charitatis : atque idcirco dicuntur lucernæ ardentes *in manibus* tenendæ. *Lucernas ardentes*, inquit Gregorius, *in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus.*

Itaque, præcingere lumbos et lucernas tenere jubemur, ut cum christiana abnegatione, cum gratia sanctificante, cum fide, spe et charitate efficaci, Christo Domino venienti occurramus. Et merito ex hac Christi sententia ortus est mos fidelibus agonizantibus in manus dandi cereum benedictum accensum : ut hic velut actus sit et externa professio fidei, spei et charitatis, qua e vita migrantes testentur se occurrere Christo Domino.

-3) Præceptum tertium : *Estote vigilantes*, id est, ne date vos somno. — De somno spirituali sermo est, a quo cavere jubemur. -*a*) Qualis autem somnus ille spiritualis sit, ex corporali intelligetur. Somnus scilicet corporalis suspendit omnem hominis actionem : ita ut dormiens neque incedere

pedibus, neque operari manibus, neque videre, audire aut loqui possit; et solummodo exerceatur illusionibus somniorum, quos mox expergefactus, inanes imagines atque phantasmata esse deprehendit. — Inducitur autem somnus per otium, per mollitiem et crapulam; arcetur vero per operationem, per incommoda et privationes.

Similiter somnus spiritualis omnem animæ actionem adimit respectu salutis; ita ut quasi mortua, sine visu, auditu, etc. jaceat; et dumtaxat vanis illusionum phantasiis detineatur....

-*b*) Hujusmodi autem somnus distinguitur triplex : somnus negligentiæ, somnus tepiditatis, et somnus peccati mortalis....

-*c*) Cavendum ne in eum incidamus : nempe per otiositatem, per vitam mollem ac sensualem, et præsertim per sobrietatis oblivionem. — Curandum vero e contra, ut eum arceamus : nempe assidue laborando, mortificationi et jejunio operam dando.

-*d*) Quod si quis misere obdormiverit, aut vanitatis somniis se illudi sentiat, evigilet subito, insonante hoc Domini monito : *Vigilate ergo... ne quum venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico : Vigilate* (Marc. XIII, 37). Et hoc Apostoli : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Eph. V, 14.

-*e*) Hic quæri quoque potest, quomodo illusiones vitæ, quæ velut somnia, ex parte mundi, carnis ac diaboli, tam facile homini in nocte præsentis temporis obrepunt, discutiendæ sint? — R. 1) Per fugam mundi et christianam modestiam, qua oculos seductionibus occludamus. *Averte oculos meos ne videant vanitatem* (Ps. CXVIII). — 2) Per miserias ac tribulationes vitæ, quas Deus misericorditer immittit, ut somniantes excutiat. -3) Per memoriam mortis, quæ hominem cum omni sua gloria, voluptate, opulentia, cumque omni phantastica sua magnitudine et felicitate, in sepulchri putredinem ac pulverem redigit. *Nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (Ps. LXXV). — Nihil scilicet manum mortis effugit nisi quod spirituale est : anima nempe ejusque merita.

3° Rationes adduntur, cur sic exspectare Dominum debeamus : -1) quia venienti et pulsanti *confestim aperiendum* est ; -2) quia ignoramus, *qua vigilia* vel hora sit venturus.

-1) Confestim aperiendum est Domino, ubi venerit : porro, ut S. Gregorius exponit, « venit Dominus, cum ad judi- « cium properat ; pulsat vero, cum jam per ægritudinis mo- « lestias esse mortem vicinam designat. Cui confestim aperi- « mus, si hunc cum amore suscipimus. » — Aperiendum dicitur *statim*, quo verbo intelligamus necesse esse, ut in vita paremus virtutes ac merita, quibus in morte ornati, gaudentes occurramus Christo. Nec enim in lecto mortis locus erit aut tempus operandi, nec vix pœnitendi : tunc enim sensus sunt hebetati ; et animus morbis oppressus, vix potest de peccatis et de salute sua cogitare....

-2) Ignoramus qua vigilia Dominus venturus sit. Quatuor scilicet vigiliæ quatuor vitæ ætates, adolescentiam, juventutem, ætatem virilem, et senectutem repræsentant... in quibus singulis, ut experientia patet, Dominus venire potest. Quapropter omni tempore vigilandum nobis est ; nec sufficit ut aliquando, aut ad tempus vigiles simus : v. g. in prima adolescentia aut in senectute ; sed in vigilando perseverandum est, quamdiu hæc vita durat, et donec Dominus veniat.

Quod si Christus secundæ et tertiæ vigiliæ expressam faciat mentionem, illud ideo facere videtur, ut peculiari modo juvenes atque ætate maturos admoneat, ne voluptatibus carnis, aut negotiis hujus mundi absorpti, funesto somno obdormiscant....

Beati servi illi... Amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere.

1° En beatitudo bonæ mortis. — Servis suis Christus par pari se promittit redditurum in hora mortis eorum : nam quia propter obsequium suum præcincti fuerunt, et ipse pro eis præcinget se ; quia laboraverunt pro se, faciet eos quiescere et discumbere in æternum ; et quia ministraverunt sibi, ipse vicissim mira dignatione eis ministrabit.

Quæ quidem, ut patet, parabolice accipienda sunt. Significat enim Dominus : 1) se infinitum quemdam servis suis honorem et gloriam redditurum esse in cœlo, ut ibi ex servis faciat eos quasi dominos. 2) Significat, ineffabiles eis se daturum delicias, participes eos reddendo epuli sui nuptialis, id est, felicitatis cœlestis et æternæ. Quod quidem se facturum insinuat cum multiplicibus et indesinentibus ferculis, id est, jucunditatibus tum animæ tum corporis. *Modicum laboravi, et inveni mihi magnam requiem* (Eccli. LI, 55). — *Momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* II Cor. IV, 17.

2° Insinuatur quoque malæ mortis miseria. Supplenda enim est altera parabolæ pars : Si veniens dominus servos invenerit dormientes, vel imparatos, aut perversa agentes : cum indignatione excipiet eos et puniet; eorumque brevem ac intempestivam quietem, aut jucunditatem, in luctum commutabit. *Quod si dixerit servus ille in corde suo : Moram facit dominus meus venire; et cœperit percutere servos et ancillas, et edere et bibere, et inebriari : veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua nescit, et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.* Luc. XII, 45, 46 (1).

(1) Versiculi qui sequuntur, de vigilantia ob adventum furis, inveniuntur expositi supra, *Commun. Conf. Pontif.* Evang. II, pag. 213.

COMMUNE CONFESSORIS NON PONTIFICIS.

Evangelium secundum.

Luc. XII, 32-34. Dixit Jesus discipulis suis : Nolite timere, pusillus grex : quia complacuit Patri dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Matth. XIX, 21. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo. — (VI, 19-21.) Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

Marc. X, 21. Vade, quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo.

Luc. XVIII, 22. Adhuc unum tibi deest : omnia quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo ; et veni sequere me.

Explicatio prima.

I. *Quomodo discipulis timenda non sit inopia temporalis.*
II. *Quomodo eis colligendus sit thesaurus spiritualis in cœlo.*

Anno tertio prædicationis suæ, mense Novembri, cum Dominus discipulos suos audientibus turbis doceret, monuit eos de sollicitudine circa victum ac vestitum deponenda, deque fiducia in Deo tanquam in optimo Patre collocanda. *Nolite*, inquit, *solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini... Pater vester scit quoniam his indigetis, Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus; et hæc omnia adjicientur vobis.* — Quo magis autem fiduciam eorum ac securitatem confirmet, immensam Dei erga illos prædilectionem et largitatem ostendit : ut intelligant, se omnia temporalia propter justitiam et charitatem posse abjicere, quin vel minimum debeant timere. Omnibus quidem discipulis loquitur, præcipue tamen Apostolos suos compellat, dicens :

Nolite timere, pusillus grex : quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

Sensus est quasi diceret : O discipuli mei, o grex mi pusille, quamvis mundo pauperes et inopes videamini, nolite timere ne victus et vestitus vobis desit. Quum enim vos Deus amet adeo, ut ad cœlestes opes destinet ipsumque cœli regnum possidendum ; non utique negabit vobis terrena bona, quatenus hæc necessaria sunt ut tendatis ad regnum cœleste, illudque verbo et vita evangelizetis. — Qui tam pretiosa largitur vobis, ait Cyrillus, quomodo non alat vos, aut sinat vos fame mori?

Nomine *gregis*, quo Dominus compellat suos, innuit se ipsum esse eorum Pastorem, eorumque victui provisurum.

— Dicitur grex *pusillus*, quod tripliciter intelligi potest : -1) pusillus *numero,* quia tunc pauci erant fideles ; -2) pusillus *conditione*, quia plerique discipuli erant pauperes, et fortuna graduque sociali nequaquam magnates, sed pusilli, et coram mundo viles ac despecti ; -3) pusillus *spiritu*, quia voluntariam paupertatem atque humilitatem Christi sequebantur.

Complacuit Patri dare vobis regnum : id est, vobis, meis discipulis atque oviculis, *quamvis pusillis*, voluit Pater *dare regnum*, non quidem in re, sed in spe : quæ spes certissime implebitur, si me, ut Pastorem vestrum fideliter fueritis secuti.

Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam.

Conclusio practica, quasi diceret : Nolite ergo timere ne vobis necessaria desint, nolite timere Evangelium ejusque perfectionem amplecti, nolite timere terrena cuncta despicere ut acquiratis cœlestia : sed confidenter vendite quæ possidetis et pretium date pauperibus, ut sic vobis thesaurum in cœlis comparetis. — Non mandatum hic, sed consilium paupertatis voluntariæ proponit ; quod primi Christiani passim secuti, sua vendebant et pretium ponebant ad pedes Apostolorum, ab ipsis inter pauperes distribuendum. Act. IV, 34.

Aliquo tamen sensu, verba Domini etiam sunt præceptiva, et ad omnes pertinentia : nimirum quatenus, non de effectu, sed de affectu, seu de animi præparatione intelligantur. Nam etsi necesse non est, ut omnes quæcumque habent reapse vendant ; tamen hunc omnibus Christianis animum esse oportet, ut quandocumque res postulabit, omnia quæ habent vendant aut abjiciant, ut Christum ejusque gratiam retineant.

Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis.

Rationem addit cur hujusmodi eleemosynam suadeat discipulis : quod sic nimirum coement sibi regnum promissum, divitiasque sibi comparabunt, longe meliores in cœlo. Sic enim facient sibi *sacculos qui non veterascunt :* id est,

crumenas sempiternas, ex quibus excidere et perdi nequeat spiritualis pecunia eleemosynæ, uti excideret ac perderetur pecunia temporalis ex sacculis et crumenis, vetustate attritis et laceris. — Sacculi hujusmodi non veterascentes, sunt sinus pauperum; et magis mens et memoria Dei, qua eleemosynæ aliaque bona opera servantur, postmodum, in die judicii, per magnificam mercedem auctoribus refundenda. Quod, ut explicet clarius, divinus Magister sub nova figura repetit, dicens :

Facite vobis *thesaurum non deficientem in cœlis*, thesaurum scilicet spiritualem, adeoque immortalem, nullique corruptioni obnoxium : *Quo fur non appropiat neque tinea corrumpit*. Quibus verbis præstantiam indicat bonorum cœlestium præ terrenis, quæ incerta sunt, corruptibilia prorsus et necessario peritura; ut intelligamus quænam sint divitiæ veræ, quæ vero falsæ : nimirum veras esse cœlestes, falsas terrestres.

Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Sensus est : Ubi thesaurum vestrum collocabitis, ibi cordis affectu, totoque animo assidue eritis. — Quibus verbis motivum indicatur thesaurum in cœlis collocandi : quia nempe sic totis animæ viribus tendemus ad cœlestia et divina; adeoque ad ipsum Deum colendum atque amandum omnia referemus : quæ summa et perfectio est totius legis evangelicæ. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua; et proximum tuum sicut te ipsum*. Luc. X, 27.

Notandum. In sententia Domini, quatenus generalis est, vox *thesaurus* non restringitur ad pecuniam, sed generatim est id omne quod quis habet in pretio, id quod amat, quod æstimat, quo delectatur, quod ipsi charissimum est, et in quo omne tempus et studium collocat. Sic avaro thesaurus pecunia est; ambitioso, honores; vero Christiano, virtus et sanctitas, in qua assidue cor ejus et cogitatio versatur.

Explicatio secunda.

—

Nolite timere, pusillus grex.

En vox Pastoris, gregem suum fiducia animoque confirmantis : *Nolite,* inquit, *timere.*

1° Quemnam autem timorem abjiciendum mandat? — R. -1) Nequaquam timorem Dei, timorem peccati, alteriusve mali animæ : hunc enim timorem sanctum ipsemet commendat, dicens : *Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (Matth. X, 28). — At vero -2) proscribit timorem terrenum et humanum, id est, timorem cujusvis mali, privationis aut detrimenti mere corporalis. Ergo deponendus est timor ne corporalis vitæ necessaria desint, ne accidat nobis infirmitas vel mors; ne a divina Providentia derelinquamur; ne ab hominibus despiciamur, aut vexationibus, calumniis, etc. afficiamur propter justitiam....

2° Cur timere prohibemur? — 1) Quia ipse Christus Dominus dicit nobis : *Nolite timere :* quo verbo omnipotentem suam assistentiam promittit. -2) Quia Deus amat nos verissime, et providentia paterna semper prosequitur. -3) Quia complacuit ipsi dare nobis regnum : id est, adoptare nos in hæredes regni cœlorum; et propterea quæcumque media, temporalia et spiritualia, dare paratus est, ut eo perveniamus.

3° Quænam conditio ex nostra parte requiritur ut timere non debeamus? — R. Requiritur ut simus vere *pusillus grex* Domini, id est, oviculæ, ipsi tanquam Pastori adhærentes. Proinde necesse est, -1) ut simus Domino, ejusque mandatis obedientes. -2) Ut simus pusilli et humiles, nostramque indigentiam agnoscentes. -3) Ut cum fiducia ab ipso exspectemus et petamus quæcumque necessaria nobis sunt, dicentes filiali fiducia : *Pater noster... panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

En magnificentia Dei, et in largiendis donis suis liberalitas. Non exigua sunt dona ejus, sicut dona hominum ; sed vere digna Deo, qui rex regum est, et quem decet dare regna : *Complacuit dare vobis regnum.*

1° Quodnam regnum illud est, a Deo datum hominibus? — R. Duplex est : unum in hac vita, alterum in futura. -1) In hac vita regnum datum Christi discipulis, est *regnum gratiæ :* nimirum, -*a*) Ecclesia, quæ inter humanorum regnorum ruinas permanet immobilis, ut omnes generationes benefico ejus regimine frui possint. -*b*) Regnum internum seu mortificatio, qua unusquisque in corde suo imperium exercere potest et debet, in vitia et pravos affectus, ut soli Deo serviat, *cui servire regnare est.* -*c*) Regnum beatissimum ipsius Dei in anima, divinæ voluntati perfecte subdita.

-2) In vita futura, regnum promissum est *regnum gloriæ*, paradisus supernus, cœlestis civitas Dei, in qua cives omnes totidem reges sunt, et immarcescibili gloriæ corona decorantur. *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.* Matth. XXV, 34.

2° Quibusnam regnum illud datur ? — R. Complacuit, inquit Dominus, dare regnum *vobis :* id est, -1) discipulis atque oviculis Christi, pusillum gregem humilium constituentibus. Humiles enim exaltantur ; pauperum spiritu est regnum cœlorum ; et mites possidebunt terram. — 2) Non ergo iis datur regnum, qui a Christi grege recedunt... vel qui pusilli esse renuunt, vanitatem ac superbiam mundi sectantes : *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* (Matth. XVIII, 3). — Superbis illis non regnum, sed potius servitus obtinget....

3° Quomodo illud regnum datur? — R. Non in re, sed in spe certissima, quæ nequaquam confundetur. Oportet ergo ut aspiret quisque ad regnum internum animæ suæ possidendum, vincendo semetipsum, edomando assidue cum Dei gratia pravas passiones cordis, per arma orationis et mortificationis. *Adveniat regnum tuum ! — Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (Matth. XI, 12).—Quicumque

hoc modo per vitam suam regnum gratiæ tenent, in mortis hora regnum gloriæ accipient : *Qui vicerit*, inquit Dominus, *dabo ei sedere mecum in throno meo*. Apoc. III, 21.

Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam.

En contemptus terrenorum, et eleemosynarum erogatio a Domino commendata.

1° Quare terrena dicuntur vendenda? — R. Terrena vendere sensu spirituali idem sonat ac ea contemnere, id est, parvi pendere, vel etiam abdicare. Dicuntur autem *vendenda*, potius quam *projicienda :* quia contemnentibus ea propter Christum, compensatio maxima datur ex bonis cœlestibus; adeo ut contemnere terrena pro Christo, sit veluti lutum vendere pretio auri ac gemmarum.

2° Quare terrena contemnenda sunt? — R. 1) Quia fluxa sunt, et vere nullius pretii animo immortali. *Tinea* corrumpuntur vel *a fure* auferuntur. — Tinea scilicet, in vestimentis generata eaque corrodens, est germen corruptionis ipsis divitiis intrinsece insitum : puta sollicitudo, timor, discordiæ, vitia et peccata omnigena, quibus divitiarum bonum atque fruitio corrumpitur. — Fur, est extrinsecum divitiarum periculum, fortunæ mutabilitas, et demum mors spoliatrix, quæ omnia rapit ac furatur....

-2) Quia nociva sunt valde. Sollicitudine enim sua impediunt internam vitam, cor velut alligant ne sursum elevetur, suffocant velut spinæ semen verbi divini in anima, media et fomenta vitiis exhibent... inducunt ad innumera peccata, adeoque ad æternam damnationem : *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum.* Matth. XIX, 23.

3° Quare eleemosyna largienda? — R. 1) Quia a Domino commendatur. -2) Quia pauperes adjutorio indigent, et ex altera parte, divites sunt eorum velut adjutores a Providentia constituti. -3) Quia eleemosyna a peccatis liberat, et thesaurum conficit *non deficientem in cœlis.*

Ubi thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

1° Cordi hominis aliquis thesaurus esse debet : id est, ei opus est aliquod bonum, in quod affectu feratur ut illud possideat, eoque possidendo beate satietur. Etenim cor hominis sibimet non sufficit, sed objecto aliquo compleri debet : est namque veluti vas quoddam ad recipiendum thesaurum patens; seu, est magna quædam et necessaria ad bonum sibi conveniens aspiratio. — Jam vero bonum illud ac thesaurus humani cordis, non est multiplex, sed unicum, nimirum ipse Deus : *Fecistis nos ad te, Deus; et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te* (Aug. Confess. I, 1).

At vero, insipiens homo sæpius, non in Deo, sed in creatura; non in cœlo, sed in terra thesaurum sibi frustra quærendo, misere decipitur et perit. Etenim sicut necessario debet eligere sibi thesaurum aliquem, ita in eligendo de duobus uno liber existit. Duo hæc ei proponuntur : bona cœlestia et terrena, Deus et creaturæ; eligere debet : sed caveat ne thesaurum falsum præferat vero; neve thesaurum suum reponat in terris potius quam in cœlis....

2° Thesaurus non collocandus est in terris : id est, in terrenis bonis, divitiarum, voluptatum, etc.; quia si in istis thesaurus ponitur, in iisdem cor, affectus, totusque homo erit; illi thesauro homo serviet, ei totam animam, adeoque semetipsum totum dabit ac dicabit : velut idolo, quod loco Dei sui substituet, et cum quo peribit in æternum. *Omnia sculptilia ejus concidentur, et omnes mercedes ejus comburentur igne, et omnia idola ejus ponam in perditionem.* Mich. I, 7.

3° Thesaurus est collocandus in cœlo, id est, in Deo, rebusque cœlestibus. Quod fit dum quis res terrenas vel prorsus abjicit, vel iis non utitur nisi intuitu Dei ac bonorum operum; simulque, ex altera parte, res spirituales ac cœlestes omnibus anteponit, totoque cordis affectu ac studio prosequitur. — Hujusmodi homo, cogitatione, amore, totaque mente in cœlestibus habitat; Deoque, thesauro suo, perfecte

adhæret et ex tota anima servit; atque sic cor suum disponit, dignumque efficit, ut thesauro suo vero æternum fruatur et satietur in cœlis. *Satiabor cum apparuerit gloria tua* (Ps. XVI). — *In virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo. In quo exultabitis lætitia inenarrabili et glorificata : reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum.* I Pet. I, 5, 8.

COMMUNE CONFESSORIS NON PONTIFICIS.

Evangelium tertium.

Luc. XIX, 12-26. Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos : Negotiamini dum venio. Cives autem ejus oderant eum ; et miserunt legationem post illum, dicentes : Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est ut rediret accepto regno ; et jussit vocari servos quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset. Venit autem primus, dicens : Domine, mna tua decem mnas acquisivit. Et ait illi : Euge, bone serve : quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. Et alter venit, dicens : Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait : Et tu esto super quinque civitates. Et alter venit, dicens : Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario ; timui enim te, quia homo austerus es : tollis quod non posuisti, et

---

Matth. XXV, 24-30. Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait : Domine, scio quia homo durus es : metis ubi non seminasti, et congregas ubi non sparsisti ; et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra : ecce habes quod tuum est. Respondens

metis quod non seminasti. Dicit ei : De ore tuo te judico, serve nequam : sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi; et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam? Et adstantibus dixit : Auferte ab illo mnam, et date illi qui decem mnas habet. Et dixerunt ei : Domine, habet decem mnas. Dico autem vobis quia omni habenti dabitur, et abundabit : ab eo autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo (1).

---

autem Dominus ejus dixit ei : Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi : oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, et abundabit : ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores : illic erit fletus et stridor dentium.

(1) *Sequitur versiculus* 27 : Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, et interficite ante me.

Explicatio prima.

I. *Quomodo servis negotiatio mandetur.*
II. *Quomodo servi industrii remunerentur.*
III. *Quomodo servus piger puniatur.*

Evangelium istud parabolam continet *mnarum* seu *minarum*, quæ non absimilis est parabolæ talentorum supra expositæ (1) a qua tamen loco, tempore, scopo, aliisque circumstantiis differt. Secus enim ac parabola talentorum, proposita est a Domino parabola mnarum. Jerichonte in domo Zachæi, decem circiter diebus ante suam passionem, ut erroneam discipulorum opinionem corrigeret, existimantium, jamjam Christum inchoaturum esse regnum suum Jerosolymis, in urbe regia, ad quam tendebat. *Dixit parabolam*, inquit Lucas, *eo quod esset prope Jerusalem; et quia existimarent quod confestim regnum Dei manifestaretur.* Ut hanc ergo opinionem erroneam Jesus corrigat, adducit parabolam, qua significet se quidem brevi regnum initurum in cœlo, sed non prius appariturum illud in terra, quam ipse in terram redeat; interim vero iis, qui participes ejusmodi regni esse vellent, hic negotiandum esse, id est, gnaviter in officio suo laborandum. — Ejusdem autem parabolæ adjunctis insinuat Dominus, se a Judæis sibi rebellibus rejiciendum esse : qua rebellione non obstante, sese per fidem in toto orbe regnaturum, donec veniat cum gloria ut mundum judicet et rebelles puniat.

Summa parabolæ hæc est : Homo quidam nobilis, et jure hereditario rex civitatis suæ, abiit ad imperatorem cujus erat subditus, ut regni possessionem, seu investituram ab eo acciperet. Erant autem cives ejus in duas partes divisi : alii fideles servi, qui ei tanquam domino ac legitimo regi adhærebant; alii rebelles, qui eum agnoscere nolentes, contra ipsum, ne regnum capesseret conspirabant. Cum ergo abiret,

(1) *Confess. Pontif.* Evang. I, pag. 194.

vocavit servos suos, eisque singulis pecuniæ summam tradidit, ut, donec rediret, negotiarentur. Reversus autem accepto regno, potestate regia pollens, rationem iniit cum omnibus suis subditis : servos negotiatores remuneravit pro merito, rebelles vero morti addixit.

Partes parabolæ substantiales, cum generali sua significatione spectatæ, sunt sequentes :

1° *Homo nobilis* Christus est, qui jure quidem rex erat, sed regiam majestatem in terra non debuit ostendere, nisi postquam digressus in Cœlum, *in regionem longinquam*, inde redierit ad judicandum.

2° *Servi fideles*, sunt omnes Christiani, qui usque ad secundum Domini adventum spiritualiter negotiari debent, et lucrum æternitati comparare.

3° *Rebelles*, sunt Judæi, qui consilio inito, Christum ut regem Judæorum negarunt et repulerunt.

4° *Ratio ineunda*, est extremum judicium.

5° *Servi magnifice remunerati*, sunt sancti et electi.

6° *Servus nequam* repræsentat Christianos malos et reprobos.

7° *Rebelles morte puniti*, sunt Judæi, similiter ob incredulitatem damnati.

Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum et reverti.

Dicitur *homo nobilis*, quia Christus vere nobilis est, non solum eo quod secundum Deitatem ex Deo Patre natus ; sed etiam, quia secundum humanitatem, ex regia progenie David ortus est, rebusque a se mirabiliter gestis nobilitatus. — Nondum se Dominus *regem* appellat, quia in prima apparitione nondum regia fungebatur potentia. Licet enim Christo, ab initio Incarnationis suæ debitum esset hoc regnum, ob unionem hypostaticam cum Verbo ; tamen ipse illud passione et morte mereri voluit, nec nisi postquam resurrexisset a mortuis, illius possessionem adire, juxta illud : *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Luc. XXIV, 26.

Abiit in regionem longinquam, id est, longe a patria sua sitam, puta in cœlum, per Ascensionem. Est enim cœlum regio, tum loco, tum rerum conditione a terris remotissima; quamquam et longitudo absentiæ usque ad Judicii diem nomine longinquitatis insinuatur. — Porro abiturum se dicit in cœlum, non quod terram deseret, sed quod regnum suum in terra constitutum, modo corporali per se tantisper non administrabit.

Quod dicitur *abiit accipere sibi regnum*, id est, ut iniret possessionem regni, quod sibi jure debebatur; alludere autem videtur ad statum politicum Judæorum, tunc temporis Romanorum ditioni subjectorum. Quare eorum reges, non tam jure natalium, quam beneficio Cæsaris regnabant; et Archelaus, mortuo Herode magno, ejus patre, Romam ire debuit, ut in throno Judææ confirmaretur.

Et reverti : abiit scilicet ea mente, ut illo regno potitus reverteretur tempore opportuno ad suos, quorum etiam princeps erat : quod innuit secundum Christi adventum in novissimo die certissime eventurum. Redibit Christus, et de cœlo descendet in die Judicii : tum ut regnum suum omnibus hominibus visibiliter ostendat, tum ut quasi Rex omnium, tam electorum quam reproborum judicium peragat, malos puniat, bonos vero in regnum cœleste inducat.

Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas.

Rex parabolæ antequam abeat, servis seu subditis suis mandata tradit : *Vocatis decem servis suis :* id est, vocavit omnes servos, totam multitudinem servorum suorum. Numerus *decem* symbolum est multitudinis, universitatis et ordinis : nam unitates tendunt ad formandum denarium et hinc iterum tendunt ad formandum denarium denariorum, atque ita porro ; ita ut denarius sit veluti cardo, in quo totus numericus ordo indefinite volvitur.

Dedit eis decem mnas, id est, unicuique dedit mnam unam, omnibus eamdem pecuniæ summam; inde postea clarius patebit, unicuique mercedem tribuendam esse, non pro quantitate acceptæ pecuniæ, sed pro quantitate laboris et industriæ. — *Mna* seu *mina*, id est libra, monetam designat quæ

in variis locis antiquitus in usu fuit. Mina Attica, quæ probabiliter hic intelligitur, centum drachmis argenteis, vel 25 siclis Judæorum, seu 63 fere francis nostratibus æquivalebat.

Et ait ad illos : Negotiamini dum venio.

Negotiamini, id est, pecunia hac mea sic utamini ut crescat, et lucrum mihi pariat, reversusque inveniam rem domi auctam. Addit autem, *dum venio*, id est, donec redeam : quia vult servos tamdiu occupare se negotiatione, et augendis domini opibus incumbere, quamdiu aberit. Nec dicit quamdiu abfuturus sit, aut quando reversurus, ut semper exspectantes dominum incerto tempore rediturum, nunquam otio vacent.

Cives autem ejus oderant eum ; et miserunt legationem post illum, dicentes : Nolumus hunc regnare super nos.

Cives ejus, ii scilicet inter quos natus et educatus fuerat, in quos etiam jus regni ipsi competebat : nempe Judæi, maximeque Jerosolymitani ; — *oderant eum*, dum inter illos viveret, odiumque suum variis injuriis testati, eo deduxerunt, ut mortem illi sint machinati. — Cum autem jam abiisset occasione quæ dicta est, *miserunt legationem post illum* eo fine, ut ejus imperium a se rejicerent. Quæ circumstantia legationis adludere videtur ad id quod fecerant Judæi respectu Archelai, mittendo nimirum legatos Romam qui dicerent se Archelaum regem nolle (1). Quem tamen inviti suscipere coacti sunt.

Nolumus hunc regnare super nos. Hæc verba Judæorum clamores prænuntiant, quos in passione Domini proferent : *Non habemus regem nisi Cæsarem ; non hunc sed Barabbam.* Præ contemptu Jesum non appellant suo nomine, sed *hunc*, id est hominem vilem, pauperem, fabri filium. — Nec dicunt : Jus regnandi non habet ; sed : *nolumus* hunc regem ; quia stat pro ratione voluntas. Eadem verba, *nolumus hunc regnare super nos*, etiam Judæi impleverunt post Ascensionem Domini, quando Apostolos persecuti sunt, et cæsis denuntia-

(1) Joseph. *Antiq. Jud.* XVII, 11.

verunt ne in nomine Jesu cuiquam loquerentur; item quando Paulo dederunt epistolas in Damascum, ut Christianos vinctos perduceret in Jerusalem.

Et factum est ut rediret, accepto regno ; et jussit vocari servos quibus dedit pecuniam...

Interposito itaque temporis spatio in patriam rediit quantumvis invitis civibus. Rediit autem *accepto regno*, firmato nimirum regno illo suo, et accepto honore regio; adeo ut jam appareret potestate ac majestate circumdatus, qui antea inter suos humilis habitus fuerat. Et quidem statim regia potestate et auctoritate utens, *jussit vocari* ad se *servos* quibus commiserat pecuniam suam:

Ut sciret quantum quisque negotiatus esset, id est, quantum negotiando lucrifecisset. Jesus Christus, Rex cœli longa possessione firmatus, redibit tandem a dextera Dei Patris omnipotentis, in inferiorem hunc mundum, cum virtute multa et majestate : non ut regnum cœli derelinquat, sed ut regnum terræ cum regno cœli conjungat, unumque faciat ex duobus, in quo solus ipse regnet. Quod ut efficiat, sedens pro tribunali, rationem exiget a servis suis : non *ut sciat* ipse, cum sit omniscius; sed ut omnibus hominibus, qui aderunt universi, manifestet quinam meruerint, et quo gradu meruerint gloriæ regni sui esse participes.

Accedentes itaque servi parabolæ, dicunt:

Mna tua decem mnas acquisivit... mna tua fecit quinque mnas.

Quod dicit : *Mna tua acquisivit*, græce προσειργάσατο, operata est; commode pecuniæ efficacitatem significat : mna scilicet fructificavit sicut granum tritici unum in agro seminatum, virtute sua sugens succum e terra, eumque in se convertens, in messe producit grana triginta vel sexaginta.

Mna tua, inquit, *acquisivit*, id est, lucrifecit *decem mnas :* quo numero maximum numerum significatur, sicut per *quinque* dimidio minus. — Non dicit : *Ego acquisivi*, sed : *Mna tua acquisivit*, -1) quia sancti non suæ industriæ, sed Dei

gratiæ fructum adscribunt, quemadmodum Paulus, ubi ait : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat ; sed, qui incrementum dat, Deus* (I Cor. III, 7). —2) Quia revera, licet ad bonum opus concurrat libertas et cooperatio arbitrii nostri, tamen ista vis et virtus operandi salutariter, est a gratia, non a libero arbitrio. Ab hoc enim opus habet dumtaxat quod sit liberum ; a gratia vero est quod sit supernaturale, Deo gratum ac meritorium. Unde Paulus : *Gratia Dei sum*, inquit, *id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi ; non ego autem, sed gratia Dei mecum.* I Cor. XV, 10.

Quod servi proferant lucrum inæquale, indicat usum liberi arbitrii, et quantum efficiat ejus strenua cum gratia cooperatio. Nam servus prior cum una mina strenue negotians et cooperans, lucratus est decem minas ; alter vero lentius et remissius cooperans ex eadem sorte lucratus est quinque minas dumtaxat.

Porro servis suis singulis rex præmia rependit, dicens :

Euge, serve bone.... Eris potestatem habens super decem civitates... super quinque civitates.

Servi constituuntur principes ac reges, provinciis ac civitatibus pluribus, vel paucioribus imperantes : ut significetur, pro parvo labore in terra magnificam reddi mercedem in cœlis, ratione tamen laboris mensuratam.

Servus fidelis a rege judice laudatur et remuneratur, non propter dona quæ accepit, sed propter lucra, quæ sua fidelitate retulit. *Euge, serve bone : quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates :* habeto scilicet auctoritatem, præfecturam super amplam regionem, continentem decem urbes et varios populos ; esto ex primis proceribus regni mei. — Sic Christus Dominus, in judicio suo extremo, non tantum collaudabit servorum suorum industriam et fidem ; verum etiam magno remuneratos præmio, regni sui consortio donabit.

Accedens demum ille, qui unam acceperat mnam, ait :

Ecce mna tua, quam habui repositam in sudario :

Ecce mna tua, id est, recipe minam tuam : pecuniam scilicet integram tibi, etsi absque lucro, restituo. — *Ecce*, inquit, *mna tua, quam habui repositam in sudario :* minam in sudario reposuit, id est, abscondidit. Vox illa σουδάριον, e lingua latina migravit in græcam et syriacam, ita ut hisce linguis latiore sensu adhiberetur, pro quovis linteo quo aliquid velatur et absconditur.

Timui enim te, quia homo austerus es : tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti. Sensus est quasi diceret: Accidere potuit ut negotiando tuam mnam perderem, et noluisses excusationem meam accipere ; quia tu non vis perdere sed solum lucrari, et, si lucrum non affertur, tollis tibi res servorum tuorum, exigendo a nobis etiam id quod nobis non credidisti..... Sic homo ille, ut se crimine liberet, herum suum calumniatur, eique causam suæ pigritiæ tribuit.

Respondit autem rex, et dixit ei :

De ore tuo te judico, serve nequam : sciebas..... et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam ?....

Excusationem hominis protervi vertit dominus in accusationem : *De ore tuo,* inquit, ex verbis nempe tuis *te judico*, te condemno : in tuum ipsius caput protulisti sententiam. Sciebas me reposcere lucrum ; ergo debebas lucrum facere. — Quibus dictis rex sententiam protulit, et adstantibus ministris dixit :

Auferte ab illo mnam et date illi qui decem mnas habet.

His verbis servo nequam tanquam pœna infligitur spoliatio omnium ; et ea quidem ratione ut dominus plane justificetur. Sensus enim est quasi diceret : Ecce, ut videas, o serve piger, me hæc lucra non mihi avere, sed servis ipsis liberaliter quærere, meam pecuniam a te repetens, non mihi in arca recondo ; sed erogo illi qui sua bene usus est, ut ipsi sit quasi auctarium laboris ac lucri, quod sua diligentia meruit.

Hac loquendi et agendi ratione, 1° Rex ille, quem piger servus ut dure avarum accusaverat, ostendit, quam non avarus, sed munificus sit erga servos fideles ; erga ignavum vero servum, sese talem præbet, qualem ille sibi finxit : durum nempe et quasi avarum, dum aufert ab eo quidquid ipsi dederat.

2° Iisdem Regis verbis significatur Dominus usum donorum suorum, et lucrum animarum, bonorumque operum, quod severe adeo a nobis requirit, non sua causa requirere, ut sibi aliquid accedat ; sed nostra....

3° Significatur etiam, fore ut electi in altero sæculo retineant dona sua ; imo insuper fructum usus donorum.

4° Significatur demum, quod præterea electi ita cumulabuntur omnis generis donis ac dotibus, pro absolutissima Domini erga ipsos munificentia, ut dona omnia reproborum translata in ipsos esse videri possint ; idque eo uberius, quo pluribus Dei donis in vita recte usi fuerint. Dabitur igitur fideli servo donum a pigro ablatum, non idem numero, sed specie ; nec jam ad usum ac meritum, sed ad gaudii ac gloriæ augmentum.

Domine, habet decem mnas.

Responderunt adstantes : Domine, considera quid jubeas : ille cum jam habeat decem mnas, quid opus est ipsi addere? Satis dives, honoratus et beatus est.—Non significatur, angelos in judicio hoc dicturos ; sed ita multis et variis dotibus augendos eos, qui bene usi fuerint donis Dei, ut si res hic ageretur, mira admodum hominibus videri posset, effusa hujusmodi Dei erga illos liberalitas.

Porro Rex, quin adstantium objectione moveatur, sermonem pergit dicens :

Dico autem vobis quia omni habenti dabitur et abundabit : ab eo autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo.

Rationem reddit facti sui, cur minam otiosi dari jubeat ei qui alias decem possidet : Etenim, inquit, ego justus Judex

dico, *quia omni habenti dabitur et abundabit*.... Cujus proverbii sensus est : Quicumque bene utitur donis acceptis, plura accipiet et abundabit; e contra, qui male utitur, omnia perdet. *Habere* namque hoc loco significat re bene uti, ex ea commodum, lucrum, fructum, comparare; *non habere* est rem negligere, ea non uti, fructum non producere. Spectant enim verba hæc ad Judæos, et cum iis concordant quæ postea pronuntiavit Dominus principibus sacerdotum in templo, dicens : *Quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Matth. XXI, 43.

Parabola concluditur pœna rebellium, quos rex pro merito morte puniet : *Verumtamen inimicos meos*, inquit, *illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, et interficite ante me.*

Sic Dominus significat, se nunc venire ut regnet humilitate et gratia, postea autem venturum ut regnet in potestate et gloria; eosque qui nunc Christum regem humilem ac pauperem agnoscere nolunt, eum in secundo adventu rebellionis ultorem experturos.

Præter sensum hunc litteralem, quem respectu Judæorum intendebat Dominus, generalem doctrinam nobis omnibus et copiosissima morum documenta tradit, quæ intimius parabolam considerantibus facile apparebunt.

—

Explicatio secunda.

Quæ in parabola mnarum explicanda veniunt, magna ex parte jam in superiori parabola talentorum (1) fuerunt exposita, ibique videri possunt; hic pauca tantum propria supersunt dilucidanda.

Negotiamini dum venio.

Hæc Domini verba unicuique hominum dicta, quis esse debeat usus præsentis vitæ significant.

(1) *Confess. Pontif.* Evang. I. pag. 198.

1° Negotiari debent Christi discipuli : id est, illud spiritualiter facere pro cœlo, quod negotiatores hujus mundi faciunt pro terra : — 1) lucrum intendere et ardenter quærere ; — 2) nulli parcere studio nec labori ; — 3) illis occasionibus gaudere quæ abundantius lucrum offerunt ; — 4) cavere ne quod ex una parte acquirunt, illud ex altera amittant. — Similiter Christi discipuli debent intendere lucrum spirituale, quod omni auro, omnibus mundi thesauris pretiosius est ; illudque ardenti cupiditate appetere, esurire et sitire : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam....* Utinam filii lucis tam ardenter quærerent æterna, quam filii hujus sæculi temporalia et caduca !

2° Quodnam illud lucrum est, quod persequi debemus ? — 1) Lucrum animæ nostræ, per pœnitentiam, et observantiam legis divinæ, vitiorumque destructionem. — 2) Lucrum virtutum : incrementum patientiæ, humilitatis, charitatis, devotionis, etc. — 3) Lucrum meriti per virtutis exercitium, per eleemosynam et bona opera quælibet. — 4) Lucrum animarum aliorum hominum, per exercitium zeli....

3° Quomodo negotiari debemus ? — 1) Bene utendo omnibus donis Dei ac talentis nostris, ad hoc nobis datis, ut fructum afferamus et fructus noster maneat. — 2) Tempus omne utiliter impendendo. — 3) Laborando assidue, indefessim, quamdiu temporalis vita manet, cum æternitas subsecutura sat longam requiem allatura sit. — 4) Omnia opera nostra intentione recta propter Deum peragendo. — 5) Operando quam perfectissime, id est, cum sancto gaudio et ex charitate erga Deum ac Dominum Nostrum Jesum Christum : quæ charitatis forma maximum addit operibus valorem, eaque vere aurea efficit.

Nolumus hunc regnare super nos.

1° Vox impiorum hæc est, qui cum Judæis, et tanquam Judæorum successores, Christum rejiciunt, eique bellum indicunt. Bellum sacrilegum quidem, sed non minus imprudens ac insanum est, quo insurgere nituntur adversus Dominum et adversus Christum ejus...

2° Vox omnium peccatorum hæc est, qui legem Christi abjiciunt, eique nolunt obedire : *Confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam.* Jer. II, 20.

3° Quare autem servire Christo nolunt? —1) An quia non optimus Rex ac Dominus est?... *Tollite,* inquit, *jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est et onus meum leve* (Matth. XI, 29). —2) An quia regem inveniunt meliorem?... Sed incidunt sub tyrannidem diaboli et passionum suarum. —3) An non potius, quia malam suam voluntatem flectere nolunt? *Nolumus*, inquiunt, *hunc regnare*... Quin potius, dum tempus est, malam hanc voluntatem mutant in bonam, ut pacem inveniant?... *Pax hominibus bonæ voluntatis.*

Domine, mna tua decem mnas acquisivit... mna tua fecit quinque mnas,

En gradus fervoris inter fideles varius, quod principium est inæqualitatis meriti eorum et futuræ gloriæ in cœlis. Sunt enim :

1° Qui eamdem a Domino gratiam adepti, nequaquam eumdem progressum in spiritu faciunt : alii enim lente, alii celerrime procedunt de virtute in virtutem, de humilitate in humilitatem.... Quia plus minus generose semetipsos vincunt, plus minus integre se divinæ voluntati tradunt gubernandos....

2° Eamdem omnes Christiani fidem acceperunt, non tamen eadem opera ex fide producunt; imo quidam fidem velut deponunt in sudario, id est otiosam, sine operibus ac veluti mortuam relinquunt...

3° Eadem omnibus Christianis sacramenta data sunt; non tamen eumdem omnibus fructum afferunt...

4° Eadem omnibus religiosis regula data est; quæ tamen non æqualiter omnes sanctificat : quia ex parte subjectorum non idem fervor, non eadem est generositas...

Quia homo austerus es.

1° En excusatio peccatorum frequentissima : quod Deus austerus sit, quod impossibilia jubeat; quod Ecclesia Deique ministri immerito certorum operum fructum requirant; ideoque frustra sibi persuadent non teneri sese nec obligari, illa præstare, aut ista vitare : *Declinantes in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis* (Ps. CXL) ; *fallentes semetipsos.* Jacob. I, 22.

2° Vera causa iniquitatis est, —1) prava hominis voluntas ; — 2) neglectus orationis et non usus mediorum quæ Deus homini offert; — 3) defectus considerationis : *Desolatione desolata est terra, quia nullus est qui recogitet corde.* Jer. XII, 11.

De ore tuo te judico, serve nequam.

1° En confusio impiorum in die judicii : *de ore*, de verbis, de conscientia sua judicabuntur. — 1) Credunt in Christum, vel non credunt : si credunt, fidei suæ confessione condemnantur, quia eam moribus non sunt secuti ; si non credunt, sua infidelitate condemnantur, quia testimoniis quæ credibilia facta sunt nimis, fidem non adhibuerunt : *Qui non credit jam judicatus est : quia non credit in nomine Filii Dei* (Joan. III, 18). — 2) De testimonio operum suorum condemnabuntur : nam surgent contra eos peccata ipsorum, quæ negari nequibunt et vindictam requirent....

2° *De ore tuo te judico, serve nequam...* En exprobratio ex parte Domini unicuique reproborum objicienda : Accepisti a me mnam, eamque sine fructu refers, et hoc ipsum te condemnat. Nam beneficia innumera a me accepisti, creationis, redemptionis, fidei, innumerabiliumque gratiarum.... et pro his omnibus nihil refers,... nihil, nisi peccata et injurias mihi illatas.... *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores ; illic erit fletus et stridor dentium.* Matth. XXV, 30.

Auferte ab illo mnam.

1° En spoliatio hominis otiosi. — Quicumque in Dei servitio sese tradit tepori, otio et negligentiæ, amittet dona gratiæ

pretiosissima, fructum vitæ æternæ non producet et ipsa veste nuptiali gratiæ sanctificantis demum denudabitur....

2° En spoliatio peccatoris, qui fidem suam inefficacem ac sterilem relinquit : hæreditate cœlesti, ad quam vocatus erat, in æternum sua culpa privabitur....

Omni habenti dabitur et abundabit.

En prosperitas justi, qui toto vitæ tempore progredietur, divitiasque divitiis adjiciet, ibit de virtute in virtutem donec cum filiis Dei, cum angelis et sanctis in cœlo sors ejus collocetur. *Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.... et omnia quæcumque faciet prosperabuntur* (Ps. I.). — *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Prov. IV, 18.

COMMUNE VIRGINUM [1].

Matth. XXV, 1-13. Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Simile erit regnum cœlorum decem virginibus : Quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ et quinque prudentes : sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum : prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt. Media autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt : Date nobis de oleo vestro : quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes dicentes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus ; et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. Novissime vero veniunt et reliquæ virgines dicentes : Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait : Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

(1) Evangelium DE COMMUNI ABBATUM : *Ecce nos reliquimus omnia*, expositum est supra, pag. 12 seqq.

Explicatio prima.

I. *Quomodo virgines ad occurrendum sponsis se disponant.*
II. *Quomodo venientibus occurrant.*
III. *Quomodo aliæ intrent ad nuptias, aliæ excludantur.*

Feria tertia Majoris hebdomadæ, cum Dominus in monte Oliveti sedens, de secundo suo adventu discipulos erudiret, inter alias parabolas hanc adjecit, desumptam ex nuptiarum solemniis prout antiquo more celebrari solebant. Honoris causa, scilicet, addebantur sponso comites juvenes, selecti ex amicis ejus; sponsæ vero, virgines, eæque sæpe decem numero. Porro nuptias celebrabant noctu : quocirca sponsus vespere adibat domum sponsæ, ubi honorifice a parentibus sponsæ exceptus aliquamdiu commorabatur. Deinde ab eorum manibus acceptam sponsam ad ædes suas, in convivii nuptialis cœnaculum deducebat, ut ibi nuptias celebraret. Juvenes interim et virgines in certum locum conveniebant, ibique exspectabant, donec sponsus cum sponsa veniret, ut adventantibus obviam prodirent tædas pronubas manu ferentes. Apud Judæos loco tædarum ferebant lucernas seu lampades, quæ alebantur oleo; iisque accensis sponsum sponsamque excipientes in nuptiale cœnaculum introducebant.

Ex his ergo circumstantiis Dominus parabolam desumit, cujus summa hæc est : Decem virgines obviam ituræ sponsis, ad præstitutum locum se contulerunt cum lampadibus : ita tamen, ut quinque earum prudentiores, præter lampades oleo paratas, sumerent olei supplementum in vasis ; aliæ vero imprudentes, seu fatuæ, vasa olei non sumpserunt. Unde factum est, ut prudentes ardentibus lampadibus instructæ, sponsum exceperint et cum eo intraverint ad nuptias; fatuæ vero, cum non haberent lampades oleo paratas, sponsum excipere non potuerint, fuerintque e nuptiis exclusæ.

Parabolæ scopus ex conclusione perspicuus est : *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.* Eo nimirum spectat, ut intelligamus, debere nos semper vigilare, semper paratos esse, quia nescimus qua hora Dominus ad judicandum nos venturus sit; adeoque bonorum operum copiam in adventum Christi præparare.

Præcipuæ partes parabolæ cum sua significatione sic recenseri possunt :

1° *Sponsus* est Christus Dominus.

2° *Virgines*, sunt omnes fideles sive Christiani, qui Christo venturo digne occurrere debent.

3° Virgines *prudentes*, illi fideles sunt, qui habent fidem cum operibus ; *fatuæ* vero, qui solam fidem habent sine operibus. Etenim :

4° *Lampades*, sunt fides, *oleum* vero, bona opera.

5° *Dormitio* est mors, qua omnes pariter obdormire debent.

6° *Clamor* media nocte dormientes excitans, est tuba archangeli, mortuos excitans e sepulchris, et ad judicium generale convocans ; vel etiam, nuntius uniuscujusque mortis, quo vocatur ad judicium particulare.

7° Virgines ad nuptias *ingressæ*, sunt electi, paradiso donati.

8° Virgines e nuptiis *exclusæ*, sunt reprobi relegati in gehennam.

Simile erit regnum cœlorum decem virginibus.

Regnum cœlorum hic est Ecclesia militans, in qua sunt virgines prudentes et fatuæ : id est, in qua boni cum malis permixti sunt. — *Simile erit :* id est, tunc, cum Dominus improvisus venerit, clare apparebit, quod nunc non apparet, idem in Ecclesia fieri, atque si decem virgines ad festum nuptiale se pararent.

Decem virginibus similis dicitur Ecclesia, -1) quia sponsa Christi est, cujus in hac vita aguntur sponsalia, et in futuræ resurrectionis gloria erunt æternæ nuptiæ. -2) Quia omnes fideles spiritualiter virgines sunt, id est, fide sinceri et inte-

gri, juxta illud Pauli : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (II Cor. XI, 2) ; omnesque adventum exspectant Christi, ut participes fiant nuptiarum quas divinus sponsus celebraturus est cum sponsa sua, Ecclesia triumphanti. -3) Virgines *decem* indicant fideles universos, qui militantem Ecclesiam ab initio usque ad finem mundi successive constituent ; denarius enim numerus multitudinis et universitatis est symbolum, ut in superiori parabola, de rege, servis suis committente decem mnas, explicatum est.

Secundum S. Joannem Chrysostomum, ideo Dominus personam virginum in hac parabola inducit, ut intelligamus, virginitatem, quamvis pretiosam virtutem, nisi cum charitate conjuncta sit, ad regnum cœlorum ingrediendum non sufficere. Etenim, inquit S. Doctor, quoniam magna res erat, ac de ea apud multos magna erat existimatio : ne quis, ea perfecta, se totum perfecisse putaret, ac cetera negligeret, hanc parabolam Dominus posuit : ut ostenderet virginitatem, quamvis cetera habeat, si misericordiæ bonis caruerit, cum fornicatoribus ejici.

Inter decem virgines, quæ Ecclesiam repræsentant, quinque fatuæ comprehenduntur, quæ designant reprobos : quia licet reprobi, utpote jam damnati in gehenna, non amplius sint membra Ecclesiæ ; quia tamen membra fuerunt, ideo, qua talia hic inducuntur judicandi : sed ita, ut per sententiam judicis ab Ecclesia excludantur et in tartarum relegentur. — Infidelium hic non fit mentio, quia *qui non credit jam judicatus est.* Joan. III, 18.

Quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsæ....

Lampades scilicet accensas omnes pariter accipiunt ; sed prudentia requirebat ut simul olei apparatum sumerent. Cum enim nescirent qua certa hora egressurus esset sponsus, fieri poterat, ut diutius exspectandum foret, oleumque ipsarum lampadum consumeretur. Quare quæ provide olei copiam sumunt prudentes virgines, aliæ vero fatuæ, id est, impru-

dentes dicuntur : *Quinque autem ex eis erant fatuæ et quinque prudentes : sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum : prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.*

Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt. Media autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam ei.

Mora Christi sponsi, est tempus pœnitentiæ et bonorum operum, quod singulis in hac vita concedit, ideoque differt mortem diemque judicii. — *Dormitare* est mori, *dormire* est mortuum esse, quasi diceretur : Dum differt Dominus diem judicii, interim fideles sensim mori cœperunt, ac tandem omnes mortui sunt. — *Media nocte clamor factus*, est signum, quo virgines de adventu sponsi monentur, ut ordine honorifico in occursum ejus procedant, et significat resurrectionis tubam. Quod autem *media nocte* sponsus venisse dicitur, quo scilicet tempore omnes homines summa occupat quies, significat, Christum derepente et inopinate venturum : quod non tantum de adventu ejus in novissimo die, sed etiam de adventu in die mortis uniuscujusque hominis intelligi potest.

Tunc surrexerunt omnes virgines illæ et ornaverunt lampades suas...

Ornaverunt lampades, id est, apte eas pararunt : quo spectabat imprimis, ut eis infunderent oleum, quod diu ardendo deficere incipiebat. Tunc autem virgines fatuæ animadverterunt se oleo indigere; quod prius præ somno animadvertere non potuerunt : nunc autem sero rem experiuntur, cum tempus providendi jam non superest. Quare oleum petunt a sociabus :

Fatuæ autem prudentibus dixerunt : Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.

Quod fatuæ cum sapientibus colloquuntur, ab eisque oleum petunt nec accipiunt, ad emblema atque ornatum parabolæ pertinet. Nam reprobi in die judicii non petent oleum bonorum operum ab electis, utpote scientes eos id sibi jam dare non posse. Tunc enim quisque judicabitur ab operibus quæ gessit ante mortem. — Inducitur autem hoc emblema, ut per illud notetur et culpetur sera reproborum pœnitentia, qui post mortem videntes terribilem sibi damnationem imminere, sero dolebunt, se in hac vita fuisse negligentes in studio virtutum. Tunc enim jam nec tempus erit operandi, nec auxilium, aut subventio vel oratio sanctorum eis prodesse poterit; imo in tam horrendo judicio nemo erit qui sibi satis confidat, satisque bonorum operum habere videatur. — Quod negant virgines prudentes oleum fatuis, id indicare videtur, fore ut in die judicii electi improbis juvamen dare non possint; iisque etiam tacite exprobrent, quod tempus præsentis vitæ, datum a Deo ad bene operandum, neglexerint.

Dum autem irent emere, venit sponsus; et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua.

Quod virgines fatuæ nimis sero sibi oleum comparaverint emblema quoque est, non tamen significatione vacuum : indicat enim, in hac vita bene agendi, pœnitendi et merendi tempus esse; hujusmodi vero tempus claudi in morte, et clausum fore in die judicii.

Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens ait : Amen dico vobis, nescio vos.

Clamor virginum ad januam clausam, significat, reprobos in die judicii summe fore anxios et perculsos; adeo ut in omnem partem se versent, nunc precibus implorando mise-

ricordiam judicis, nunc deplorando negligentiam vitæ præteritæ, nunc desperando salutem. Quæ cuncta sic graphice depingit Sapiens : *Tunc stabunt justi in magna constantia, adversus eos qui se angustiaverunt et qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili.....* Sap. I, 1 seq.

Nescio vos : id est, non agnosco vos tanquam dignas convivio nuptiali ; seu : Quænam estis vos? Non affuistis in virginum comitatu, non ergo pertinetis ad chorum nuptialem. — Sic Christus reprobis dicet : *Nescio vos,* scientia scilicet approbationis, quasi dicat : Non agnosco vos pro filiis meis, non video in vobis signaculum Spiritus mei ; vos rejicio, vos damno. Quæ vox Christi judicis erit quasi tonitru, æternam damnationem detonans in improbos, eosque in tartarum detrudens.

His addit Dominus hanc totius parabolæ conclusionem :

Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

Sensus est, quasi Dominus diceret, ait S. Hieronymus : *Quia ignoratis diem judicii, lumen bonorum operum præparate.* Quod confirmatur hac sancti Gregorii sententia : *Qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinam non promisit* (Hom. 12 in Evang.). — *Misericordia Dei est,* inquit Augustinus, *quia nescit homo quando moriatur : latet ultimus dies ut observentur omnes dies.*

—

Explicatio secunda.

Parabola de virginibus, ut sancte in hoc sæculo vivamus ac debite nos ad adventum Domini præparemus, præ oculis nobis ponit statum practicum militantis Ecclesiæ, et quomodo e Christianis alii salvi fiant, alii vero reprobi evadant.

Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes...

En quomodo Christi fideles inæqualiter ac diverse agant in hac vita, respectu salutis.

1° *Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt....* -1) Omnes Christiani in Baptismo purificati, animas suas velut virgines Christo dicatas, immaculatas custodire debent ab hoc sæculo. —2) Omnes similiter accipiunt lampadem fidei, charitate accensam, quia una cum sanctificante gratia, virtutes theologicas Baptismus infundit. At vero acceptam lampadem illam, ut ardens permaneat, curare debent. Quare necesse est, ut oleum sibi comparent per bona opera, sine quibus fides mortua est... et charitas simul deficiens, sicut lampas sine oleo extinguitur. —3) Omnes etiam passim similiter exeunt : id est, præparant se ad bonam mortem, tum fide, tum communibus atque externis Christianorum operibus, quæ requirit professio Christiana ; non tamen sine discrimine : alii enim sunt prudentes, alii imprudentes.

2° Imprudentes similes sunt fatuis virginibus, quæ lampades habent, sed non sumunt in vasis oleum ut lampades foveant : —1) Habent fidem, non vero charitatem. —2) Habent lucem veritatum, non oleum virtutum...—3) Statum sanctum tenent et conspicuum, sed internum ejusdem spiritum non possident. —4) Contenti qualicumque vita christiana, vel exterius honesta, futura non prævident, nec suam salutem in tuto collocare student. —5) Scientiam, aliaque oculis hominum speciosa curant; sanctitatem, et quæ ad internam vitam pertinent oblivioni tradunt : et propterea instante morte imparatos sese deprehendent in multis....

3° Prudentes e contra, assidua operatione student habere, —1) cum fide etiam charitatem et bona opera ; —2) cum operibus externis, etiam internam devotionem ; —3) cum puritate corporis etiam munditiem mentis : atque ita fa-

ciendo quod credunt, se præparant ut possint recipere quod sperant....

4° Oleum, quo lampas fidei et charitatis alitur, est etiam gratia Dei, quam nobis assidue per orationem comparare debemus : *Oportet semper orare et non deficere.* Luc. XVIII, 1.

Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt. Media autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit,...

Hic monstrantur oculis ea omnia quæ ad mortem hominis christiani pertinent, quæque omnes experiuntur.

1° Omnes experiuntur moram sponsi : nam omnes existimant se vitam habituros diuturnam, ideoque longum esse interstitium usque ad mortem et judicium. Ex quo provenit ut boni *dormitent* somno pigritiæ, facile cadendo in peccata venialia... iniqui vero *dormiant* somno peccati mortalis, immemores mortis....

2° Omnes quoque *dormitant* hoc sensu, quod passim omnes incidunt in infirmitatem aut senectutem, quæ disponit ad mortem, et in qua difficilius homo negotium salutis suæ curare potest... deinde vero obdormiunt somno mortis, quem nemo potest evadere.... Moriuntur boni, sed morte pretiosa in conspectu Domini ; moriuntur etiam mali, sed morte peccatorum, quem Spiritus sanctus pessimam esse testatur....

3° Omnibus media nocte clamor insonat : quia omnibus nobis, qua hora non putamus, Filius hominis veniet.—Venit autem bonis ut sponsus ; at vero malis, quos imparatos invenerit, ut judex...

4° Illa vox : *Ecce sponsus venit, exite obviam ei,* insonare cordi nostro debet per totam vitam, —1) tempore bonæ valetudinis, ut bene laboremus ; —2) tempore infirmitatis, ut nos præparemus propinquius ; —3) quando ad sacram Communionem accedimus, ut debita fide, fiducia et charitate accedamus...

5° Omnes clamore facto expergefiunt : quia omnes, tam boni quam mali, —1) in die novissimo resurgent e sepulchris ; —2) in die obitus sui, velut evigilabunt e somno, quo dormiebant in hac mortali vita : aperientes enim oculos, videbunt se ante tribunal Christi constitutos, et unusquisque lampadem suam secum habebit sic præparatam, sicut ipse in hac vita præparare studuerit, sive instructam oleo, sive oleo carentem : *Opera enim illorum sequuntur illos.* Apoc. XIV, 13.

6° Imprudentes misera experientia suam stultitiam agnoscent : *Lampades nostræ extinguuntur*.... Extinctas videbunt lampades suas defectu olei ; e contra lampades justorum videbunt ardentes, oleoque copiose munitas.... Similiter et ipsi potuissent sibi olei copiam providere ; sed voluerunt flores hujus vitæ sectari, et vinum splendens in vitro fragili hujus mundi gustare (Prov. XXIII, 31), potius quam æternæ vitæ oleum comparare sibi ; quare postquam fuerint abundantes in sæculo, tunc penuria pressi, mendicari cogentur : *Date nobis de oleo vestro.*

7° Frustra autem in hoc discrimine remedium quærent : illud enim *ite ad vendentes et emite vobis*, tempore vitæ præstare debuerunt. Tunc enim —1) multi erant *vendentes :* nimirum omnes Sancti, et imprimis Christus ejusque sanctissima Mater, quam precibus potuissent exorare... iterum ministri Ecclesiæ ,a quibus Sacramentorum gratiam poterant accipere. — Tunc -2) erat tempus et opportunitas : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* II Cor. VI, 2.

8° *Dum irent emere, venit sponsus.* En pœnitentia tarda. Multi peccatores, pœnitentiam ad finem vitæ differentes, subito correpti morbi doloribus, vel delirio, vel ipsa morte, illud tunc facere præpediuntur, quod antea facere neglexerunt....

Venit sponsus : et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias; et clausa est janua.

En æterna sors, tum electorum, tum reproborum.

1° Ut primum Dominus ad judicium venerit, omnes puræ et prudentes animæ, quæ præparatæ fuerint et ornatæ in spiritu, admittentur ad cœlestes nuptias, ubi Sponsum videbunt facie ad faciem, eumque amore beatifico complectentur, et ad ipsius mensam cibis divinitatis vescentur. Tunc splendidissima erit lampas animæ, illustrata lumine gloriæ, ardens igne charitatis, plena oleo divinæ consolationis et lætitiæ sempiternæ....

2° Ingressis electis in cœlum, porta clauditur : quia nunquam Beati e paradiso exire vel eripi poterunt, sed erunt æterna felicitate securi : eo quod in hac vita *cum metu et timore salutem operati sunt.* Phil. II, 12.

3° Eadem porta clauditur quoque ad excludendum omnes illos, qui illa hora parati non sunt, et quidem clauditur in æternum. Quamvis enim gemant miseri et clament, petantque a Domino ut sibi aperiatur, non aliud responsum accipient quam illud : *Nescio vos.... — Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis : quia nunquam novi vos : discedite a me, qui operamini iniquitatem.* Matth. VII, 23. — Scilicet tempore vitæ, portam cordis sui Domino pulsanti aperire noluerunt, eum velut peregrinum ac ignotum habentes ; idcirco vicissim et ipsi nunc, tanquam a Christo alieni, e cœlesti ejus domo excluduntur in æternum....

Vigilandum ergo, quia nescimus neque diem neque horam : vigilandum in oratione et pœnitentia, et continua bonorum operum exercitatione, ut venienti Sponso digne occurramus, et cum eo ad nuptias feliciter intrare mereamur.

COMMUNE NON VIRGINUM.

—

Matth. XIII, 44-52. In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro : quem, qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum. Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam. Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi : exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent illos in caminum ignis : ibi erit fletus, et stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei : Etiam. Ait illis : Ideo omnis scriba, doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

—

Explicatio prima.

Mense Julio, anno secundo prædicationis suæ, cum Dominus ad littus maris Galilææ, e navicula doceret turbas, cœlestis doctrinæ excellentiam octo parabolis declaravit : Quarum prima est seminantis, secunda zizaniorum, tertia seminis sensim crescentis (Marc. IV, 26) ; quarta grani sinapis, quinta fermenti, sexta thesauri, septima margaritæ,

octava sagenæ missæ in mare. — Quinque prioribus parabolis Dominus declarat naturam, vim et efficaciam Evangelii, id est, doctrinæ et prædicationis evangelicæ; duabus sequentibus, scilicet *thesauri* et *margaritæ* declarat Evangelii pretium, quod tam ingens est, ut merito omnium rerum jactura sit comparandum. Octava parabola, *sagenæ*, idem quoad substantiam docet quod parabola zizaniorum : quare, licet ultimo loco ab Evangelista narretur, non improbabile est, eam post parabolam zizaniorum a Domino fuisse propositam. Tres ultimæ parabolæ præsenti Evangelio præleguntur.

I. *De thesauro.*
II. *De margarita.*
III. *De sagena. — Additur exemplar doctoris evangelici.*

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro : quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.

Inducitur homo, qui, si forte thesaurum absconditum in agro invenerit, eumdem contectum relinquit ne ab alio inveniatur. Statimque vadit ad possessorem, et quovis pretio emit agrum ut thesaurum acquirat.

Regnum cœlorum hoc loco pro Evangelio, atque evangelica doctrina et fide accipiendum est. — Dicitur autem simile *thesauro*, id est, rei maxime pretiosæ, imo tam pretiosæ ut æstimari non possit. Est enim thesaurus, auri, gemmarum, etc. copia et congeries. — Dicitur simile thesauro *abscondito*, quia mysterium Evangelii est *sacramentum absconditum a sæculis in Deo* (Eph. III, 9), *temporibus æternis tacitum, quod nunc patefactum est.* Rom. XVI, 25.

Quod dicitur, *quem qui invenit homo, abscondit :* hoc est, quisquis tam felix fuerit ut inveniat, abscondit statim locum. Quod quidem fit duplici de causa : -1) ne tollatur thesaurus ab alio inventore; -2) ne agri possessori innotescat, qui propterea agrum jam vendere, nisi pretio immodico, nollet.

Hæc circumstantia, quod homo thesaurum inventum *abscondit*, non ideo tantum additur, ut parabolæ narratio integra sit et verisimilis, exhibeatque rem prout communiter contingit : inventus enim thesaurus ab hominibus abscondi solet; sed ideo etiam, ut peculiare documentum insinuet.

Etenim sensus spiritualis in hoc additamento subesse omnino videtur : nimirum oportere, ut ille qui regnum cœlorum invenerit, occasionem arripiat ne elabatur; et omnem continuo adhibeat diligentiam, ut illud obtineat. Hoc scilicet est abscondere thesaurum : puta ut servetur, nec ab ipso inventore perdatur; nequaquam vero ad cavendum ne inveniatur ab alio. Dissimile est enim regnum cœlorum a thesauro terreno, eo quod thesaurus ille cœlestis ab omnibus et inveniri, et æqualiter potest possideri.

Præ gaudio illius vadit : id est, gaudens de fortuna optima, statim media adhibet thesaurum acquirendi. Ad hoc duo requiruntur : 1) ut agrum emat, et 2) deinde ut thesaurum eruat. — Adit ergo possessorem ut agri pretium cognoscat. Pretium autem etsi tantum est, ut illud solvere nequeat nisi vendendo universa quæ habet; non ideo dubitat vel moratur, sed omnia vendit cum gaudio : quia novit ratione thesauri absconditi, agrum sibi quovis pretio longe pretiosiorem fore. Dico ratione thesauri *absconditi :* si enim thesaurus manifestus et cognitus esset, possessor agri pretium nimis extolleret; cum autem non innotescat thesaurus, ager communi pretio vendetur : quod, utut magnum, semper infra valorem erit.

Vendit universa quæ habet. Non significat pecuniæ pretio emendum esse Evangelium : *Gratis* enim, inquit, *accepistis, gratis date* (Matth. X, 8); sed indicat, tanti esse æstimandum Evangelii fideique thesaurum, ut qui invenerit, nihil non, ut illud obtineat, facere debeat : etiamsi omnia bona vendenda forent, vel perdenda; etiamsi infamia subeunda, etiamsi amittenda vita. Sacrificanda scilicet omnia propter inæstimabile bonum evangelicum : *Vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.*

Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam.

Non homini proprie, sed margaritæ regnum cœlorum simile est, sicut in præcedenti parabola thesauro; ita ut sensus sit : Idem contingit in inveniendo, conquirendo regno cœlorum, atque si quis mercator bonas quærens margaritas, una pretiosa inventa, abeat, vendatque ut illam emat, universa quæ habet.

Margarita, quæ etiam *unio* vocatur, est species lapidis pretiosi, nimirum calculus quidam gemmeus, candidus, in conchis marinis nascens. Errabant antiqui existimantes, margaritas nasci ex guttulis roris, quas aperta in littore conchylia susciperent : constat enim, eas ex sola substantia conchæ per vim naturæ formari in profundo maris. — *Margaritæ* hoc loco videntur poni ut species, pro toto genere, id est pro omni lapide pretioso.

Dicitur negotiator quærere *bonas* margaritas, id est pulchras, καλούς. — Margaritæ *bonæ* etiam opponuntur falsis et fictitiis, quæ diligenter a gemmariis evitantur.

Sensus parabolæ sic declarari potest : Tanto studio fideles debent sibi comparare doctrinam vitamque evangelicam, quanto mercator margaritarius emit margaritam pretiosissimam, qua ingens sibi lucrum contineri intelligit.

Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti. Quam cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi...

Facile cernitur significatio parabolæ, quam partim ipse Dominus explicat. Scilicet *sagena*, sive rete piscatorum, est

Evangelium et Ecclesia ; mare, mundus ; piscatores, Apostoli ; pisces sagena congregati, sunt Christiani boni et mali, in Ecclesia permixti usque ad diem separationis, qui est dies judicii. Sagena impleta educta in littus, est resurrectio mortuorum, in plenitudine temporis ; qui bonos eligunt in vasa et malos foras mittunt, angeli sunt : hi enim electos separabunt, in æterna tabernacula deducendos, reprobos vero *mittent in caminum ignis : ibi erit fletus, et stridor dentium.*

Duæ præcedentes parabolæ, scilicet thesauri et margaritæ pretiosæ, ostenderunt pretium et dignitatem Evangelii ; hæc vero ostendit ejusdem capacitatem et amplitudinem, quod quaslibet orbis gentes, hominesque tam malos quam bonos complectatur. Proponit autem Christus eam hoc fine, —1) ne quis miretur, si inter fideles videamus nonnullos male vivere ; -2) ne quis sibi blandiatur quod sit Christianus et filius Ecclesiæ, cum in Ecclesia multi sint improbi ; sed pro se quisque satagat in ea esse probus et sanctus.

Intellexistis hæc omnia ? Dicunt ei : Etiam. Ait illis : Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

Absolutis parabolis, interrogavit Dominus discipulos, dicens : Intellexistisne has omnes parabolas et sermones meos ? Aiunt discipuli, se intellexisse. — Jam enim parabolas seminis et zizaniorum, quæ cæteris erant obscuriores, ab ipso Domino explicatas audierant. — Tunc documentum istud divinus Magister addidit : Ideo, quia vos, o Apostoli, meis hisce parabolis intellexistis, quid sit, quantumque thesaurum contineat Evangelium ; quoniam invenistis illum *thesaurum absconditum in agro ;* ideo, inquam, meo exemplo discite, quomodo eumdem thesaurum opportuno sermone aliis proponere debeatis. Evangelicus enim doctor, prædicandi regnum cœlorum peritus, similis est patrifamilias, qui ad familiam suam alendam et curandam, varias pro circumstantiis novit proferre dapes, variaque subsidia. Sic et vos doctrinam evangelicam vario sermone captui et indigentiæ auditorum accommodare debetis.

Omnis scriba hic generatim sumitur pro *omni doctore; doctus in regno cœlorum*, id est, eruditus doctrina evangelica, et simul eamdem prædicandi peritus.

Thesaurus, ex quo prædicator documenta sua promere debet, est ipsa doctrina evangelica Christi, quatenus a prædicatore intellecta et possessa; nam intelligendo hujusmodi thesaurum homo possidet, facitque suum, ut ex eo quæ voluerit promere possit. - *Profert de thesauro suo nova et vetera*, id est, profert ex eo varia et omnigena documenta. Vel etiam, ut Chrysostomus aliique Patres dicunt, *nova et vetera* sunt documenta tum ex vetere tum ex novo Testamento desumpta: optime enim regnum cœlorum prædicatur, cum novum Testamentum, id est doctrina evangelica, confirmatur et illustratur ex vetere, et huic per omnia typice conforme demonstratur. Vetus enim Testamentum fuit typus novi, et novum veteris antitypus.

Explicatio secunda

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro : quem qui invenit homo abscondit ; et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.

De thesauro hujus parabolæ varia quæri possunt; nimirum : Quis thesaurus evangelicus sit? Quis ejus inventor? Quid faciendum inventori ut thesauri dominium acquirat? Quid, ut eo perfruatur?

1° *Thesaurus evangelicus quis est?* — R. Est -1) Fides et religio Christiana. —2) Salus æterna in Christi fide ac religione abscondita. —3) Est ipsemet Christus Dominus, in quo omne bonum nostrum consistit, quemque in sua sancta religione velut absconditum, per fidem vivam et charitatem amplectimur.... -4) Est gratia sanctificans. —5) Est etiam hu-

militas, charitas, et quælibet Christiana virtus.—6) Demum, est vocatio, tum religiosa, tum sacerdotalis....

Hæc merito dicuntur thesaurus, quia omnia et singula tam sunt pretiosa, ut omne aurum et argentum superent; non secus ac Sapientia, quæ apud Salomonem de se ait : *Melior est sapientia cunctis pretiosissimis; et omne desiderabile ei non potest comparari.... melior est enim fructus meus auro et lapide pretioso, et genimina mea argento electo.* Prov. VIII, 11, 19.

Thesaurus autem ille est *absconditus*, -*a*) quia oculis corporeis non cernitur; -*b*) quia oculis mundi non manifestatur; -*c*) quia sub velamine fidei latet....

2° *Quis evangelici thesauri inventor est?* —1) Omnis homo cui thesaurus ille affulget, ita ut agnoscatur. Affulget autem homini per gratiam Dei : nam, si debita attentione et consideratione gratiæ respondeamus, facile intelligemus, quisnam verus hominis thesaurus sit; talis, inquam, thesaurus, qui toti nostræ substantiæ, intellectui, cordi, imo ipsi corpori nostro olim glorificando, vere desiderabilia præbeat....

—2) Thesaurus evangelicus per divinam gratiam omnibus sufficienter manifestatur : *Deus* enim *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* (I Tim. II, 4). Plerisque tamen, quasi absconditus esset, ignotus remanet; quia oculos habentes non vident : id est, attendere negligunt, oculos in agri floribus defigentes, nec quæ profundius in terra latent considerantes.... Causa scilicet cur oblatum thesaurum non videant, est, -*a*) defectus considerationis, et mentis in rebus externis dissipatio; -*b*) sensualitas et amor rerum terrenarum, quo fit ut nihil sapere possint præter terrena; sintque animalibus similes, quæ gramina ac flores carpunt, aurum vero pedibus calcant : *Carnalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei : stultitia enim est illi, et non potest intelligere.* I Cor. II, 14.

-3) Quoad thesaurum vocationis sacerdotalis vel religiosæ in particulari, non manifestatur quidem omnibus, quia non omnes vocantur; sed tamen multis : vel saltem multi sunt quibus manifestus fieret, si ex eorum parte, ob defectum puritatis ac pietatis, obstaculum non poneretur....

3° *Quid faciendum ut thesaurus evangelicus acquiratur?* — Idem quod facit homo parabolæ, qui -1) *gaudet*, fortunam sibi oblatam considerando; similiter et nos de spirituali thesauro nobis oblato gaudere debemus : tantum bonum tota intelligentia æstimando, in eoque ex toto corde complacendo, illudque omnibus animi desideriis appetendo....

-2) Statim *abscondit, vaditque* ut emat agrum : quo significatur -*a*) sine mora, omnique diligentia arripiendam esse occasionem salutis, quæ facile elabi potest : *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia* (S. Ambros.). -*b*) Quod autem non sedeat, vel hæreat contemplando thesaurum, sed *vadit* alacriter : operationem indicat et laborem, quo media salutis adhibenda sunt....

-3) Vadit *ut emat :* quod innuit pretium dandum esse, sacrificia requiri; sed pretium semper modicum erit pro re tam excellenti. Ager enim evangelicus vili pretio venditur, quasi non contineret thesaurum; nam faciendo pro Deo id, quod alii faciunt pro mundo, acquirimus paradisum....

-4) *Vendit universa*, et quidem gaudens ac libenter omnia sacrificat, quia ratione thesauri absconditi, lucrum semper ingens faciet. *Omnia detrimentum feci ut Christum lucrifaciam.* Phil. III, 8.

-5) *Universa* vendendo thesaurum acquirit : ut intelligamus, et nos, ad salutem acquirendam, omnibus renuntiare debere, vel *re*, vel saltem *affectu* ac dispositione.... Hæc conditio sicut necessaria, ita quoque infallibilis est : *Sic omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Luc. XIV, 33.

4° *Quid faciendum emptori, ut thesaurum cujus jam dominus factus est, actu manibus obtineat, atque possideat ?* — R. -1) Eum e terra eruere debet. Et sane ille homo, qui omnia vendidit, totamque spem in fortuna abscondita inclusit, non relinquet thesaurum in terra, nec labori parcet; sed statim instrumenta corripiens, pretiosum locum aggredietur, plantas vicinas si opus sit, floresque etiam jucundissimos destruet, ut rem optatam effodiat. Nec pluviam metuet, aut æstum, nec luti incommoda aut lapidum impedimenta; quælibet vincet obstacula, nec fodere desistet, donec omnes the-

sauri particulas collegerit. Similiter et nos, labore et patientia quævis obstacula vincere debemus, et indesinenter instare, ut aurum gemmasque spirituales colligamus. *Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te prætereat.* Eccli. XIV, 14.

-2) Postquam autem eruit thesaurum, diligenter abscondit et servat : Quod idem spiritualiter, per humilitatem et vigilantiam facere nos oportet.

5° *Quænam conditio secundum propositam parabolam requiritur, ut quis thesauro evangelico plene fruatur, id est, ut ad æternam salutem feliciter perveniat?* — R. Requiritur -1) ut thesaurum inveniat; -2) ut agrum emat; -3) ut pretiosa quæque in eo abscondita eruat; 4) ut effossa ipsa diligenter abscondat et servet, usque ad fruitivam possessionem in cœlis.

Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas... Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam.

De mystico margaritario varia quæri possunt, nimirum : Quis homo negotiator margaritarum sit? Quænam margaritæ quærendæ? Qua ratione quærendæ? Quænam illa una pretiosa? Quomodo hæc unica comparanda sit?

1° *Quisnam est homo margaritas bonas conquirens?* — R. -1) Omnis homo in terra positus bona quædam optata persequitur, quæ sibi affulgent velut margaritæ fortunam continentes. Alii autem gemmas quærunt bonorum temporalium, divitias, dignitates, etc.; alii gemmas artium et scientiarum humanarum, etc.; alii vero quærunt gemmas veritatum ac virtutum cœlestium ac divinarum...

-2) Unusquisque quærit, et quærere debet in hac vita; sed prudenter prospicere debet, ut illas sectetur gemmas quæ veræ sunt ac bonæ, non vero quæ falsæ sunt ac mere apparentes...

2° *Quænam margaritæ quærendæ?* — R. -1) Non sunt quærendæ fictitiæ, nec viles. Qui enim mercator est et negotiator, non debet vilibus mercibus et abjectis, ex quibus exiguum

lucrum speret, occupari; multoque minus si et fortunam et operam in eis perdat. — Atqui, divitiæ temporales, et scientiæ mere humanæ istiusmodi sunt, ac proinde a prudenti negotiatore contemnendæ. Multo magis, si turpia bona sub specie bonæ mercis offerrentur, contemnenda forent...

-2) Quærere autem debet bonus negotiator margaritas vere bonas, quæ habentem faciunt bonum ac divitem oculis Dei, ac vere fortunatum : cujusmodi sunt : -*a*) veritates, quas Dominus revelavit, ut eas viva fide credat et intelligat. -*b*) Virtutes supernaturales : gratia, charitas, obedientia, prudentia, humilitas, oratio, etc., quibus homo fiat bonus et sanctus, regnumque cœlorum ingrediatur. -*c*) Reliqua, bona quidem et honesta, sed temporalia, secundario tantum studio quærenda sunt, et quatenus juvare possunt ad veros et pretiosos uniones quærendos.

3° *Qua ratione bonæ margaritæ sunt quærendæ?* — R. -1) Oratione : *Petite et dabitur vobis, quærite et invenietis* (Matth. VII, 7) — 2). Meditatione, et bona lectione. -3) Bonis desideriis et propositis. -4) Diligenti labore, utendo sacramentis aliisque mediis, ferventer et perseveranter. *Si sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiæ; si quæsieris eam quasi pecuniam et sicut thesauros effoderis illam : tunc intelliges timorem Domini et scientiam Dei invenies.* Prov. II, 3.

4° *Quænam est illa una pretiosa margarita?* — R. -1) Imprimis illa orientalis ac supereminens margarita est Christus Dominus, verus Deus et homo. Hæc est prima et pretiosissima margarita, a qua omnes virtutes, omnesque sancti quasi margaritæ progignuntur, suumque accipiunt decorem et pretium. Ejus enim deitas in humanitate, est quasi gemma in concha abscondita, quæ ex materia virginea et virtute Spiritus sancti velut cœlesti rore concepta, per humilitatem minima, candidissima per innocentiam; lucidissima per sapientiam; rotundissima per omnimodam perfectionem, prodiit ad honorem et ornatum humani generis, ad ditandas et decorandas animas nostras...

-2) Margarita pretiosa quoque est Beata Virgo, Christo humilitate, omnique splendore simillima....

-3) Item gratia sanctificans, quæ animabus decorem quemdam divinum communicat....

-4) Item quælibet christiana virtus, quæ est ornamentum animæ : præsertim vero *humilitas* quæ velut margarita abscondita in profundo nostri nihili quærenda est; *fides*, quam velut gemmam, in fronte et *charitas* quam in pectore gestare debemus. De charitate scriptum est : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Cant. VIII, 7.

-5) Item evangelica perfectio, seu status religiosus, de quo S. Bernardus scribit : *Margarita pretiosa hæc est religio sancta, in qua homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur confidentius, purgatur citius, remuneratur copiosius.*

5° *Quomodo pretiosa margarita acquirenda?* — R. Imitandus est homo parabolæ, qui -1) quærit diligenter, donec inveniat. -2) Inventam margaritam illam pretiosam, quæ omnibus animæ desideriis respondeat, decernit quovis pretio emere. -3) Quod statuit generose exsequitur : vendit omnia et sic emit eam. Similiter et nos animæ nostræ margaritam quærere, et pretio omnium quæ nostra sunt, emere debemus. Quod quidem pretium, etsi in se exiguum, sufficit semper; sed illud necessario requiritur, ut *omnia* nostra tradamus, sive pauca sive multa hæc sint, nihil excipiendo. Quare Dominus dicit : *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Luc. XIV, 33.

Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti...Sic erit in consummatione sæculi...

Parabola sagenæ ostendit quid facere debeant ministri Ecclesiæ, quid vero ipsi fideles. — 1° Ministri Ecclesiæ, non possunt otiosi velut in littore sedere; sed mittere sagenam debent, indefessim laborando, ut homines e profundo hujus mundi eripiant, et retibus fidei ac mandatorum contineant (1).

(1) Cf. *Evangelia Dominicarum*, tom. 2, Domin. 4 post Pentec.

2° Fideles debent -1) intrare in sagenam salutis; -2) in eadem manere, obedienter sese duci ac trahi sinendo; nec falsæ libertatis causa sagenam Christi relinquere, et involvi in retiaculo diaboli; -3) curare, ut sint boni in diem futuræ separationis. Non enim sufficit hominem in Ecclesia esse, nisi bonus in ea et probatus fuerit.

3° Quinam boni sunt et quinam mali in sagena Ecclesiæ? et quænam futura utrorumque conditio?

-1) Boni sunt quicumque non tantum credunt, sed mores quoque fidei consentaneos habere curant. -2) Mali vero sunt, qui etsi fidem servant, non tamen juxta fidem agunt, nec mandata custodiunt. Hinc intelligitur, in uniuscujusque potestate esse ut bonum se vel malum efficiat: copiosa autem media ut bonus sit, in gremio Ecclesiæ invenit... -3) Futura sors tum bonis tum malis parata, est salus vel damnatio, quam quisque in hora mortis et in die judicii, prout ipse paraverit inveniet...

Omnis scriba doctus in regno cœlorem similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

Documenta hic a Domino tradita, ad ministros Evangelii spectant. — 1° Minister Evangelii debet esse doctus in regno cœlorum: id est duplici scientia instructus, scientia librorum et scientia sanctorum; ad quam acquirendam tum studio, tum orationi, quantum vacat, incumbere debet. *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus.* Malach. II, 7.

2° Debet habere thesaurum suum, qui sit internus, ex quo, pro re nata, quæ voluerit promere possit. Hujusmodi thesaurus est -1) fides vivida: *Credidi, propter quod locutus sum* (Ps. 115). —2) Ardens charitas, quæ est thesaurus cordis: *ex abundantia autem cordis os loquitur* (Matth. XII, 34). —3) Asceticæ seu spiritualis vitæ peritia. —4) Exempla sanctorum et historia ecclesiastica. —5) Præcipue vero intelligentia Scripturarum. *Omnis enim scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad*

erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. II Tim. III, 16.

3° Debet e thesauro proferre nova et vetera : id est,

-1) opportuna documenta, quæque captui audientium, ac circumstantiis sint accommodata....

-2) Ea quæ vetera quidem sunt sed semper nova manent : scilicet evangelica documenta, quæ non veterascunt; sed sicut sol antiquus, novo semper splendore nobis affulgent.

-3) Quæ vetera quidem sunt, id est, ab antiquis Patribus tradita, et in Ecclesia pervulgata quoad substantiam doctrinæ; sed novo modo proponenda, id est sermone fide vivida et charitate animato : quo fiat, ut evangelica doctrina non minus nova videatur nunc quam in principio, ubi primum ex ore Christi et Apostolorum accipiebatur.

COMMUNE DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

—

Luc. XIX, 1-10. Ingressus Jesus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus, et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives; et quærebat videre Jesum quis esset, et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens, ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum, quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum, et dixit ad eum : Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes murmurabant, dicentes : Quod ad hominem peccatorem divertisset. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus : et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait Jesus ad eum : Quia hodie salus huic domui facta est : eo quod et ipse filius sit Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat.

Explicatio prima.

I. *Quomodo Zachæus Jesum videre studeat.*
II. *Quomodo Jesus ad Zachæum divertat.*

Ingressus Jesus perambulabat Jericho.

Decem circiter diebus ante passionem suam, cum ex Ephrem profectus ultimum Jerosolymam ascenderet Dominus, transiit per oppidum Jericho, quod in itinere ejus situm erat. Cumque non longe abesset a portis, hominem cæcum insigni miraculo sanavit; ac deinde oppidum ingressus, inter turbas ingentes undique affluentes, pertransibat. Non enim tantum adventus ejus fama, sed etiam recens miraculum universum populum excitaverat, ita ut undique ad tantum virum contemplandum concursarent. Ipse autem salutem animarum unice intendens, quærebat ovem perditam mox occursuram.

Et ecce vir nomine Zachæus; et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives.

Quasi dicat : Quærebat Dominus quem salvaret, et ecce illi Zachæus occurrit. Tribus rebus hominem hunc Evangelista describit : nomine, officio, divitiis : ut his nempe circumstantiis magnitudo conversionis pateat. — Vir vocabatur Zachæus, quod nomen hebraicum, græcorum instar desinens, idem sonat ac *purus*, *justus*, et futuræ justificationis velut præsagium fuit. Utrum genere Judæus esset an gentilis, disputatur : ex nomine tamen hebraico, uti ex aliis argumentis, probabilius Judæum fuisse colligitur, et filium Abrahæ etiam secundum carnem : *Eo quod et ipse filius sit Abrahæ.*

Erat princeps publicanorum, id est, non tantum publicanus, seu exactor vectigalium pro Romanis, sed exactoribus publi-

cis præpositus, adeoque invisus Judæis, qui publicanos omnes tanquam latrones et peccatores publicos habebant.

Et ipse dives, id est, valde dives, opibus inter suos non minus quam præfectura conspicuus. Quod ideo additur, ut intelligatur, non tantum viri eminentia sed etiam liberalitas, qua mox universa bona abdicaturus est.

Et quærebat videre Jesum quis esset; et non poterat præ turba : quia statura pusillus erat.

Quum Zachæus de adventu Jesu audiisset, quem ex fama miraculorum et virtutum pridem noverat, tantum virum de facie cognoscere cupivit : *Quærebat videre Jesum quis esset*, nempe quoad externam speciem ac personam. Quod quidem desiderium mere naturale fuisse videtur; at quatenus cum reverentia erga Jesum conjungebatur, etiam supernaturale fuit atque a Spiritu sancto tanquam principium salutis excitatum. — Porro desiderium fuit efficax : *Quærebat* ac satagebat videre. Relictis scilicet ærarii negotiis, exivit, seseque obviam Domino contulit. Cum autem accessisset ad comitatum, nullo modo potuit videre Jesum : *Non poterat præ turba*. Multitudine enim densissima impediebatur quominus propius accederet; et a longe, supra turbam spectare, quamvis attolleret caput et extremis pedibus niteretur, non poterat, *quia statura pusillus erat*.

Quid faciet? Circumspiciendo undique fortassis videt domorum tecta et podia spectatoribus oppleta; aut etiam illuc, quia publicanus est, non admitteretur; aspicit autem a longe, juxta viam, qua Dominus erat transiturus, arborem, quam nemo adhuc occupavit; illudque spectandi medium qualecumque sibi oblatum, arripere festinat.

Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum : quia inde erat transiturus.

Arbor erat sycomorus (1), sic appellata quia foliis ficui, fructibus vero arbori moro similis est; vel etiam, quia species

(1) Συκομωραία a Luca dicitur, a vocibus σῦκον ficus, et μόρον seu μώρον, morum, — vel μώρος, quæ vox adjectiva, *insipidus, fatuus, stultus* sonat.

ficus est, fructus fatuos et insipidos producens. — Hanc ergo sycomorum ut vidit Zachæus, dum lentius procederet comitatus, præcurrit ante turbas ad arborem, quam statim, absque scalis, manibus pedibusque se adjuvando conscendit, usque ad ramos. Illic consedit, quiescit, lætusque aspicit et exspectat dum appropinquet desiderata persona, quam ex hac altitudine optime poterit contemplari.

Quæ quidem vehemens Zachæi desiderium arguunt et manifestant. Ut enim homo dives, munere nobilis, per plateas discurrat, arborem adrependo conscendat, seseque inter ramos et folia immensæ multitudini spectaculo ac ludibrio exhibeat, fieri non potest, nisi ex desiderii ardore consuetum decorum contemnat. Zachæus ergo omnia obliviscitur ut attentis oculis Jesum discernat.

Et quum venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum...

Mox in media turba, inter duodecim viros simplicissimos, videt Magistrum, externo habitu æque simplicem, modeste, tranquille incedentem, et homines silentes et attentos docendo alloquentem. Cumque faciem ejus, cœlesti quadam humilitate et majestate plenam, venerabundus intuetur Zachæus, ecce videt Dominum ad se conversum oculos attollere suavissimos et subsistere locuturum.

Quod dicitur : *Suspiciens Jesus vidit illum*, non fortuito, sed consulto Dominus aspicientem se aspexit. Nihil enim casu vel indeliberate, sed omnia consilio sanctissimo Homo-Deus operabatur. — Nec tantum oculis corporeis aspexit, sed etiam oculo spiritus hominis peccatoris animam intuendo ac penetrando illuminavit.

Et dixit ad eum : Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.

Subsistente ergo et silente universo populo, Jesus amica voce, quæ Zachæo erat vox gratiæ, hominem proprio nomine compellat dicens : *Zachæe, festinans descende : quia hodie in*

domo tua oportet me manere : id est, hospitari apud te volo : idque propterea volo, ut tuum me cognoscendi desiderium abunde expleam, tibique et domesticis tuis salutem largiar.

Et festinans descendit, et excepit illum gaudens.

Admirans sane et exultans, Zachæus celerrime descendit, atque humili sed lætissimo vultu transgrediens turbas, sponte viam ei cedentes ; accedit ad Dominum, eique gratias agit de tanta benignitate atque honore, quem sibi ultro præstare dignatur. Deinde eum cum summæ reverentiæ et gaudii demonstratione in domum suam deducit : *Excepit illum gaudens.* Quo unico verbo plura Evangelista insinuat, quæ facile cogitando supplere poterimus. Zachæus scilicet servos suos omnia afferre jusserit, quæ hospitem viatorem juvare possint: aquam ad lavandos pedes, unguentum ad caput ungendum, etc. ; ac dein parare cœnam, totamque domum ita disponere, ut digna sit tanto hospite mansio.

Ex altera vero parte, dubium non est quin Christus, more suo, mox loqui cœperit de regno Dei, docendo, tam Zachæum quam domesticos ejus, fidem et pœnitentiam ; ac promittendo eis, si de peccatis pœnitentiam conciperent, gratiam et salutem ; insuper eos adhortando ad opum mundique contemptum, ad paupertatem et perfectionem evangelicam amplectendam, suaque bona pauperibus distribuenda, ut thesaurum in cœlo et centuplum in terra reciperent. Quæ quidem subticet Lucas, sed ex sequentibus, id est ex effectibus, intelligenda relinquit. — Interim tanta Domini erga publicanum benignitas displicentiam et vituperationes excitat.

Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes : Quod ad hominem peccatorem divertisset.

Cum viderent omnes, Pharisæi nempe eorumque asseclæ, cum debuissent Domini benignitatem mirari et Zachæo congratulari, *murmurabant, dicentes : Quod ad hominem peccatorem divertisset.* Quibus oblocutionibus, quas nec Dominus,

nec forte ipse Zachæus ignoravit, mox, tum verbis, tum operibus uterque respondebit. Etenim postero, ut videtur, die, cum divinum hospitem dimitteret, ad januam domus suæ, exspectantibus et audientibus turbis, Zachæus paulum subsistens, cum Domino locutus est, ut Evangelista narrat.

Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus ; et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.

Sensus est : O Jesu, te ut Dominum ac Magistrum agnosco, ideoque verbis tuis obediens, ecce quid facere decreverim : dimidium bonorum meorum pauperibus distribuam, et alterum dimidium restitutioni impendam : ut quidquid arte mala proximo extorsi vel surripui, restituam quadruplo.

Mira hinc viri conversio manifestatur, qui Christi sermonibus et gratia motus, credit, pœnitentiam agit, peccata confitetur, injustitiam reparat, bona opera exercet erga pauperes, imo totam vitam suam mutat, omnibus divitiis suis sese abdicat.

Reddit *quadruplum :* non quasi ad hoc teneatur, quum lex naturæ vel Moysis simplum dumtaxat requirat ; sed ex ferventi charitate et pœnitentia, hunc heroicum et superabundantem justitiæ actum edere instituit. Quod quidem Zachæus dicit non ex ostentatione ; sed, partim ex fervore, partim ad reparandum scandalum anteactæ vitæ, partim quoque ut retundat Pharisæorum calumniam : cum enim illi Christo objicerent quod ad peccatorem divertisset, Zachæus ostendit se jam non esse peccatorem, sed Christi alloquio et contubernio ad pœnitentiam et justitiam adductum.

Ait Jesus ad eum : Quia hodie salus huic domui facta est : eo quod et ipse filius sit Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat.

Jesus ad Zachæi verba respondet ita, ut non tam ad eum, quam ad discipulos turbamque circumstantem, vultum vocemque dirigat; ostendatque, quam ob causam murmurantibus omnibus ad peccatorem diverterit. *Hodie*, inquit, *domui huic* antea peccatrici, *salus*, id est justificatio *data est.* — Quod dicit *huic domui*, id est, huic familiæ, indicat, omnes domesticos, heri sui exemplo in Christum credidisse, pœnituisse, justificatos et sanctificatos esse.

Eo quod et ipse filius sit Abrahæ : id est, Zachæus etsi peccator, non minus quam vos, o Pharisæi, Israëlita est, et ut talis jus proximum habet ad Messiam et salutem. Quare a Messia negligi non debuit; sed potius, quia peccator, suscipi et quæri : *Venit enim Filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat;* et quidem imprimis quærere *oves quæ perierunt domus Israël.* Matth. XV, 24.

Zachæus, teste S. Clemente Rom., post Christi ascensionem, S. Petrum secutus, ab eo Cæsareæ Palestinæ Episcopus constitutus est.

Explicatio secunda.

Evangelium de Zachæo plurima continet documenta : præcipue vero misericordiam Jesu, conversionem peccatoris, sacram communionem, sanctitatem domus Dei sub oculos ponit.

Ingressus Jesus perambulabat Jericho.

1° Oppidum Jericho, quod interpretatur *luna*, imaginem refert mundi sublunaris atque mutabilis, nunquam in eodem statu permanentis; per quem transit Jesus, quærens ovem perditam, et hospitium in animabus nostris....

2° Per mundum hunc nos quoque transimus ; et sicut Jesus transire debemus, non curiosa aut noxia oblectamenta sectando, sed beneficia spargendo : *Pertransiit benefaciendo.* Act. X, 38.

Ecce vir nomine Zachæus, et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives.

1° Zachæus hominem repræsentat mundanum, illum puta qui ea quæ mundi sunt sectatur, non quæ Jesu Christi. — Nam -1) *Zachæus* vocatur, id est, *Justus*, sed nomine tantum, non re : sic mundanus homo nomine Christiani, imo boni ac justi non raro decoratur, quamvis oculis Dei longe diversus appareat... -2) *Princeps erat publicanorum*, conspicuo munere fungens : sic homo peccator non raro exaltatur oculis hominum, sed oculis Dei vilis est, et mox usque in infernum humiliandus... -3) *Et ipse dives*, sed -*a*) opibus male acquisitis ; et -*b*) intrinsecus pauperrimus : quales mundani homines esse solent...

Quapropter 2° Dominus dixit : *Dives difficile intrabit in regnum cœlorum* (Matth. XIX, 23). Intrare tamen potest, dummodo exemplum Zachæi imitetur, qui -1) quærit videre Jesum, -2) vocante Jesu descendit, -3) monente Jesu dignos pœnitentiæ fructus facit...

Quærebat videre Jesum, quis esset.

Hic docemur quomodo doctrinam salutis colere debeamus.

Nam 1° Jesum videre est cognoscere doctrinam ejus, et ea quæ non ad vitam hanc temporalem dumtaxat, sed ad æternam pertinent... est aspicere Jesum crucifixum, ejusque misericordiam, etc. — Hanc autem scientiam, præ cæteris necessariam, diligenter quærere nos oportet, cessando tantisper a negotiis studiisque externis, exemplo Zachæi.

2° Quærere videre Jesum, est ardenter appetere cognitionem Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi... O sanctum ac beatum desiderium, quod abunde explebitur ! *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (Joan. XVII, 3). —

Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum (I Cor. II, 2). — *Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei; propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Phil. III, 8.

3° Hujus cognitionis impedimentum est *turba* sollicitudinum temporalium; adjumentum vero, *arbor* crucis; fructus, beata visio, imo possessio Jesu...

4° Zachæi exemplo docemur quoque, initium conversionis esse sanctum desiderium, quo ad opus quodlibet bonum, sive charitatis erga pauperes, sive pietatis erga Deum et Ecclesiam movemur : huic desiderio seu motioni gratiæ, diligenter, absque humano respectu obsequendum est.

Et non poterat præ turba.

En obstaculum, quo a cognitione Christi, et consideratione rerum cœlestium impedimur. Turba est, -1) sollicitudo nimia negotiorum temporalium : *Nolite solliciti esse* (Matth. VI, 31). -2) Cupido jucunditatum hujus vitæ, variaque carnalia desideria quibus cor distrahitur, et mens obnubilatur. -3) Respectus humanus, quo a rebus religiosis veluti arcemur.

Ascendit in arborem sycomorum.

1° En obstaculum superatum : quod quidem, ut Zachæi exemplo patet, non sine generosa sui victoria efficitur, qua hominum ludibria etc. spernantur...

2° En medium ac modus mundana obstacula superandi : arbor crucis, crux Domini humiliati et patientis aspicienda, amplectenda, conscendenda est : *Quia inde erat transiturus...* ut ex ejus altitudine, supra mundum ac supra nosmetipsos elevati, contemplemur veritatem, quæ est in Christo Jesu Domino Nostro. — Porro hæc ascensio non tam ardua est aggredientibus : nam ille qui prior ascendit juvat ac trahit : *Ego cum sublatus fuero a terra omnia traham ad meipsum* (Joan. XII, 32).

3° En spectaculum veritatis, et contemplantis felicitas : Zachæus videt quidem turbam et Jesum : sed in solum Jesum

oculos defigit : contemplatur caput illud regium, totius mundi diademate coronandum; faciem amabilem, labia gratiam stillantia, et mox ipsos oculos amore suavissimos, qui ad se convertuntur... Quid si videret internos Filii hominis thesauros!...

Suspiciens Jesus vidit illum.

En Jesu bonitas, qua bono hominis desiderio et conatui respondet.

1° Quærentibus sese ultro ostendit, aspicientes aspicit, diligentes diligit. *Ego diligentes me diligo ; et qui mane vigilant ad me invenient me.* Prov. VIII, 17.

2° Aspicit oculo non concupiscentiæ, nec odii aut contemptus ; sed charitatis et misericordiæ. *Vidit illum*, id est, vidit hominis animam ejusque miseriam, simulque dispositionem et aptitudinem ad recipiendam gratiam, quam ei conferre exoptat....

3° Aspectus Christi tam salutaris est, ut sit principium ac signum omnium gratiarum ejus : nam hunc aspectum mox consequitur Domini alloquium, ingressio in Zachæi domum, etc. — Porro qui aspectum hominum fugit et contemnit, dignus efficitur aspectu Christi. — O Domine Jesu, *respice in me et miserere mei.* Ps. XXIV.

Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.

En Domini bonitas, qua homini quærenti se longe plura concedit quam ille sperare ausit, dummodo gratiis obstacula non opponat. Ad Zachæum ultro se invitat, et quidem iis verbis, quæ singula ejus amorem ac cœlestem sapientiam spirant.

Zachæum nomine vocat, ut ostendat se nomen ejus cognoscere et in corde scriptum habere ; utque insinuet, se talem eum efficere velle, qualis nominatur, nempe *purum* et *justum*.

Descendere eum jubet, ut humilitatem doceat, ad suas gratias recipiendas necessariam : *Humilibus dat gratiam.* I Pet. V, 5.

Festinans : quia nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.

Hodie : quia displicet ei si bona proposita in diem crastinum rejiciuntur : *Hodie* vox Christi, *cras* vox diaboli est.

Oportet me manere in domo tua : — 1) quia anima nostra ad hoc destinata est, ut sit tabernaculum ac templum Dei; — 2) quia tantum est desiderium ejus benefaciendi nobis, ut veluti corde nostro opus habere videatur, etsi *Deus noster est, et bonorum nostrorum non eget.* Ps. XV.

Manere vult in nobis, donec scilicet opus perficiat in anima quod intendit, opus nempe sanctificationis nostræ. *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (Joan. XIV, 23).

Oportet manere *me in domo tua.* Ut magnitudo hujusmodi benignitatis æstimetur, necesse foret intelligere, ex una parte dignitatem hospitis, et ex altera hospitii vilitatem : quanto ille excelsior, et hoc vilius, tanto benignitas mirabilior esse intelligitur....

Et festinans descendit, et excepit illum gaudens

Duplex exemplum : 1° Obedientiæ, qua prompte et simpliciter Zachæus Domini voci obtemperat; — 2) gaudii sancti, quo gaudet sane *in Domino :* id est, gaudet quia Dominum, et in Domino omnia bona possidet. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.* Phil. IV, 4.

Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.

1° Exemplum sanctæ conversationis ex parte Domini, qui ad peccatores, eorum convivia, etc. non accedit, nisi ut eorum animas lucretur...

2° Exemplum veræ conversionis ex parte Zachæi, qui fructus dignos pœnitentiæ ostendit, injustitiam confitetur et reparat ultra debitum, vitamque totam in melius commutat. — Nec merum vel qualecumque propositum enuntiat, sed tam firmum et efficax, ut quod facturum se promittit jam

factum censeri possit. Non enim ait : *dabo*, et *reddam*; sed : *do*, et *reddo*.

Hodie salus huic domui facta est.

1° En effectus præsentiæ et mansionis Domini in Zachæi domo : salus ei facta est per Salvatorem, qui ubicumque recipitur, sanctitatem diffundit. Quapropter, -1) aperienda est domus et familia quælibet Christo, id est, ejus cultui, pietati, bonis libris, omnique christiano influxui : sic enim fiet salus, pax et felicitas domui. — E contra vero, claudenda domus diabolo, id est, peccato et peccati propagatoribus, malis libris ac diariis, et iis hominibus qui detractiones, blasphemias vel turpiloquia proferunt. Cum istis enim dissensio, infelicitas et Dei maledictio domum intraret.

-2) Aperienda Christo similiter est domus animæ. Stat enim Dominus ad ostium et pulsat : eique aperimus per sinceram conversionem, — per fiduciam, — per conformitatem cum ejus voluntate; — vel respondendo gratiæ invitationibus, — vel sacram communionem devote recipiendo....

2° Salus facta est non Zachæo soli, sed toti domui ejus ac familiæ, heri sui exemplum secutæ : ut intelligamus, quanta sit vis boni exempli, quo superior quilibet subditos juvare tenetur.....

Hodie in domo tua oportet me manere.....
Hodie salus domui huic facta est.

His quoque verbis templorum nostrorum sanctitas, velut in viva quadam figura monstratur; tum quatenus sunt *habitatio Dei*, tum quatenus sunt *sanctificatio populi*. Quapropter Evangelium de Zachæo in dedicatione ecclesiarum prælegitur.

I. Ecclesia adumbratur quatenus habitatio Dei, his verbis : *Hodie in domo tua oportet me manere*. — Quum enim ecclesia dedicatur, Deus ac Dominus Noster Jesus Christus in hoc velut hospitium, sibi ab hominibus peccatoribus paratum, ingreditur, imo in ea dignatur veluti habitatione manere;

ideoque gaudio magno ab universis fidelibus dedicatio celebratur. Unde intelligimus, templum christianum esse hospitium Dei, domum Dei, et causam lætitiæ nostræ.

1° Est hospitium et quasi tabernaculum Dei : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis* (Apoc. XXI, 3). Sicut olim tabernaculum Domini erat in castris Israël, cum populus electus per deserta transiret ad terram promissam tendens; ita nunc inter fideles peregrinantes in terris, Christus Dominus tentorium suum habet, ut eis in itinere atque exilio solatium, ductum et juvamen præsens exhibeat. Atque idcirco dicit se manere *hodie :* id est, per hanc transitoriam vitam, et ut Apostolus dicit : *Donec hodie cognominatur.* Hebr. III, 13.

2° Domus Dei est, in qua 1) Deus ac Dominus Noster Jesus Christus, velut pater cum filiis habitat et convivatur. 2) Domus Dei, in qua velut in throno gratiæ sedet, ut audiat laudes ac preces populi sui; quare dicit : *Domus mea domus orationis vocabitur.* — 3) Domus Dei, in qua oblationes et sacrificia creaturarum suarum accipit. — 4) Domus Dei, *quam decet sanctitudo in longitudinem dierum.*

Porro domus hæc lapidea et manufacta, alterius domus Dei non manufactæ figura est, et quidem multiplicis : — 1) Ecclesiæ catholicæ, quæ domus Dei est, a Christo ædificata supra firmam petram; — 2) cœli, quod est thronus Dei, et domus gloriæ ejus, constructa ex lapidibus pretiosis et saxis viventibus : cujus domus gratiæ in terris simul adumbratio est et introitus : *Non est hic* (locus) *aliud nisi domus Dei et porta cœli.* Gen. XXVIII, 17.

Quod dicitur *porta cœli*, duo continet : nimirum — *a*) templum esse aliquid cœleste, quod cœli specimen præbet, sicut porta palatii regis quoddam magnificentiæ regiæ specimen habet; imo -*b*) per templum quasi per apertum ostium, cœlestem curiam a longe introspici posse.

-3) Templum figura est animæ sanctæ, quæ templum est Dei vivi, domus orationis ac sacrificii... *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* I Cor. III, 16.

Hanc veritatem egregie exponit Augustinus his verbis : « Quotiescumque, fratres charissimi, altaris vel templi festi-

« vitatem colimus, si fideliter ac diligenter attendimus, et « sancte ac juste vivimus, quidquid in templis manufactis « agitur, totum in nobis spiritali ædificatione completur. « Non enim mentitus est ille qui dixit : *Templum enim Dei « sanctum est, quod estis vos* (I Cor. III, 17) ; et iterum : *Ne- « scitis, quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, qui « in vobis est* (I Cor. VI, 19.)? Et ideo, fratres charissimi, quia « nullis præcedentibus meritis per gratiam Dei meruimus « fieri templum Dei, quantum possumus cum ipsius adju- « torio laboremus, ne Dominus noster in templo suo, hoc « est, in nobis ipsis, inveniat, quod oculos suæ majestatis « offendat. Sed habitaculum cordis nostri evacuetur vitiis, et « virtutibus repleatur ; claudatur diabolo, et aperiatur « Christo ; et ita laboremus, ut nobis bonorum operum cla- « vibus januam regni cœlestis aperire possimus. » Serm. 252 de Tempore.

3° Est causa lætitiæ nostræ : quia omne gaudium filiis in domo paterna invenitur, et in sinu patris. — Utinam in domo Dei et non in tabernaculis peccatorum gaudia quærerent! *Melior est enim dies una in atriis Domini super millia.* Ps. LXXXIII.

II. Ecclesia adumbratur, quatenus est sanctificatio populi, his verbis : *Hodie salus domui huic facta est.* — Etenim sicut familiæ Zachæi, ita familiæ fidelium salus per Christum hospitem conceditur. Christus enim in omnes fideles templum frequentantes, salutem et gratiam effundit, per doctrinam... per sacramenta... per sacrificia, etc.

Quod si ingreditur in animam justi, tanquam in templum ac domum suam, eam quoque totam in intellectu, voluntate ac memoria sanctificat...

Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere... Hodie salus domui huic facta est.

En quoque imago allegorica sacræ Communionis, qua Christi ad animam venientis, eamque sanctificantis benignitas

ac largitas ; animæ vero, divinum hospitem recipientis, præparatio requisita sub oculos ponitur.

1° Ex parte Christi videmus amorem ac bonitatem erga vilissimam creaturam, eamque peccatricem ; et largitatem ineffabilem, qua eam gratiis illuminat et inflammat.....

2° Ex parte animæ, videmus quomodo viva fide considerare debeat Christum,... quomodo debeat diligenter descendere, cum gaudio tantum Dominum excipere, eique se totam tradere, cum audire et omnia ejus monita sequi... prout Zachæi exemplum, si distinctius consideretur, luculenter ostendit.

Hic etiam insinuatur animæ felicitas divinum hospitem possidentis. Quam ineffabilem felicitatem S. Augustinus proclamat, cum ad hæc Evangelii verba : *Apud Jesum manserunt* (duo Joannis discipuli) *die illo*, sic loquitur : *Quam beatum diem duxerunt, quam beatam noctem! Quis est, qui nobis dicat, quæ audierint illi a Domino? Ædificemus et nosmetipsi in corde nostro, et faciamus domum, quo veniat ille, et doceat nos, et colloquatur nobis.* Tract. 7 in Joan.

IN MISSIS PRO DEFUNCTIS.

Evangelium primum.

Joan. V, 25-29. Dixit Jesus turbis Judæorum : Amen, amen dico vobis : quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso ; et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei : et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.

—

Explicatio prima.

Sub finem Martii anni secundi prædicationis suæ, cum Dominus Jerosolymis esset, et ad probaticam piscinam paralyticum sanasset die sabbati, a Judæis impetitus est quasi sabbatum violasset. Respondit Dominus, sabbatum nequaquam a se, nec operibus suis violari ; quia Sabbatum a Deo non violatur, nec operibus divinis. Porro opera sua divina esse affirmat, quia consistunt in dispensatione vitæ, adeoque pertinent ad Dominum vitæ et mortis. Etenim, inquit, non tantum vitam reddo integram, quando paralysi aliave infirmitate debilitata est ; sed etiam vitam plane resuscito quando morte extincta est ; prout brevi a me erga Lazarum et alios fieri videbitis, idque potestate ac voluntate prorsus suprema : *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat : Sic et Filius, quos vult vivificat.* Versu 21.

Illud *vivificat*, comprehendit potestatem dandi vitam, non tantum temporalem, sed etiam spiritualem, nempe vitam gratiæ et gloriæ, quam Dominus *vitam æternam* appellat. Quare additur, a Filio vivificatore etiam vitam æternam dari iis, qui credunt in eum : *Qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium* (id est, in condemnationem) *non venit, sed transit a morte in vitam.* Hæc verba explicat in sequentibus, quæ prælectionem nostri Evangelii constituunt, et ita summatim proponi possunt:

Amen, amen dico vobis, venit tempus ut Filius Dei, mortuos vivificet vita gratiæ, sicut idem resuscitabit mortuos vita corporis. Etenim Filius Dei ac verus Deus, est ipse vita, plenitudo scilicet ac fons, tum vitæ supernaturalis, tum vitæ naturalis. Sed quoniam idem est etiam Filius hominis ac verus homo, adeoque rex ac judex omnium hominum, vivorum et mortuorum; ideo eos e sepulchris resuscitare debet, ut ad tribunal suum cogat. Quam potestatem resuscitandi mortuos exercebit in fine sæculorum, mox venturo, ut omnes mortui resurgant judicandi : justi, ad vitam, impii ad condemnationem a Christo judice accipiendam.

Amen, amen dico vobis : quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent.

Magnam ac lætam, sed simul mirabilem veritatem modo enuntiatam de spirituali reviviscentia animarum, gravissima affirmatione repetit dicens : Venit tempus, quod mox pro universo mundo aderit, et jam adest pro Judæa, quando homines peccato mortui audient aure corporis verbum Evangelii Filii Dei ; et qui illud etiam auditu fidei audierint, vivent vita gratiæ. Supple : Qui vero non crediderint, non vivent sed morte æterna ejusdem Filii Dei judicio damnabuntur.

Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.

Rationem addit cur Filius virtutem vivificandi animas habeat : Ideo Filius vitam spiritualem animabus communicare potest, quia æque ac Pater, per ipsam essentiam suam, habet vitæ plenitudinem ac fontem, ex quo omnis vita creaturis communicatur.

Habere vitam in semetipso, est vitam habere non participatam, nec dependentem ab alio : sicut sol dicitur habere lumen in se, respectu eorum quæ illuminantur ab eo ; et ignis calorem habere in se, comparative ad ea quæ calefiunt ab eo. Causa ergo prima vitæ, quæ aliis dat vitam, et ipsa non recipit vitam ab alio, dicitur habere vitam in semetipsa. Talis est Pater, talis est Filius, qui eamdem vitam habet quam Pater.

Quod dicit : *Pater habet et dedit Filio habere vitam*, innuit generationem æternam, qua Filio natura divina adeoque vita fontalis a Patre data est.

Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.

Sicut explicavit quomodo vita sit a Christo danda, ita nunc ostendit, quomodo sit a Christo faciendum judicium de quo supra locutus est.

Dedit ei judicium facere : id est, judicium exercere : Aliud enim est judicem esse, aliud judicium exercere. Judex et rex est Christus Dominus, qua Deus est, ut patet ; eadem potestate pollet qua homo, quia etiam qua homo, est Filius Dei ; et ratione dignitatis personalis, seu eo ipso quod persona divina est, hominum princeps, rex et judex constituitur.

Quia Filius hominis est. Quare dicitur judicaturus præcise quia Filius hominis est? -1) Quia voluit Deus homines per hominem visibiliter judicare, sicut per hominem eos visibiliter salvavit. — 2) Quia hoc conveniens videtur. Decet enim ut hominum rex sit homo ; ac proinde etiam, ut hominum

judex sit homo : cum judicialis potestas potestate regia contineatur.

Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei.

Dixerat se judicem constitutum a Patre : at quia audientium cordibus verbum hoc incredibile visum est; vel forsan, dum hæc audirent, gestu aliquo exteriori, ut incredibile refutarunt, adjunxit : *Nolite mirari hoc*, id est, ne vobis hoc incredibile videatur; nam certissime judicium Filius hominis exercebit. Tempus veniet, cum mortuorum resurrectio et judicium in sua plenitudine fiet : tunc omnes mortui audient vocem, id est, sentient vim et efficaciam vocis Filii Dei, eos ad vitam revocantis.

Dicitur : *Omnes qui in monumentis sunt*, non vero *omnes mortui*, ut intelligatur agi de resurrectione corporali.

Dicitur : vox *Filii Dei*, quia divina virtute suscitandi sunt mortui. Erit hæc vox tubæ similis, vox archangeli, forte Michaëlis : *Surgite mortui, venite ad judicium.* De hac Paulus scribit : *Quoniam ipse Dominus, in jussu, et in voce archangeli, et in tuba Dei, descendet de cœlo* (I Thess. IV, 15). — *in momento, in ictu oculi, in novissima tuba* (*canet enim tuba*) *et mortui resurgent.* I Cor. XV, 52 (1).

Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.

En effectus vocis vivificæ, vocis Filii Dei : resurgent mortui omnes, boni et mali : boni ad vitam et gloriam æternam; mali *ad judicium*, id est, ad condemnationem ac mortem æternam in gehenna.

Procedent, id est egredientur e cineribus et sepulchris suis, tendentque, ab angelis deducti, ad vallem Josaphat, seu judicii locum.

In resurrectionem vitæ... in resurrectionem judicii, id est, in terminum resurrectionis, qui aliis erit vita, aliis damnatio

(1) Cf. *Elementa theol. dogm.* tom. 2, tract. 19 *de Novissimis*, cap. 3, n. 178. seqq.

seu mors æterna. — His verbis summatim judicium a Christo exercendum exprimitur, cujus actu boni a malis separati, suam quique mercedem consecuti, in diversum sibi habitaculum æternum discedent.

Quod Dominus, exposita potestate sua vivificandi animas, loquitur de illa quoque potestate qua vivificabit corpora, et mundum judicabit in novissimo die : hoc ideo facit, ut Judæos incredulos terreat, conterat et convertat. Simili modo egit postea : cum enim Caiphas et seniores eum in sua humilitate tanquam Messiam agnoscere nollent, et mortis reum dicerent, non modo se vere Christum esse affirmavit, sed addidit : *Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli.* Matth. XXVI, 64.

Explicatio secunda.

Venit hora et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent.

Quinam illi mortui sunt, de quibus Dominus loquitur? — Quænam illa vox vivifica? — Quandonam insonat? — Quomodo auditur? — Quomodo vitam communicat?

1° Mortui de quibus agitur, sunt spiritualiter mortui, id est homines, dum hic vivunt in statu peccati mortalis existentes, vita gratiæ privati, de quibus dicitur : *Omnes* spiritualiter *mortui sunt; et pro omnibus mortuus est* (corporaliter) *Christus* (II Cor. V, 14). — *Nomen habes quod vivas, et mortuus es.* Apoc. III, I.

Sunt et alii spiritualiter mortui, nimirum damnati, qui mortui sunt morte secunda et æterna. Triplex enim mors distinguenda est : mors corporis, — mors animæ prima per peccatum, — mors animæ secunda per æternam damnationem. *Infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda.* Apoc. XX, 14.

2° Vox vivifica Filii Dei, qui solus non tantum surdis sed mortuis loquitur, est -1) doctrina evangelica, externe proposita; -2) interna vox gratiæ, quæ loquitur ad cor et conscientiam peccatorum, ut convertantur, et ad cor justorum ut in justitia proficiant....

3° Quandonam insonat? — In præsentis vitæ tempore : *Venit hora et nunc est.* Nunc enim omnes homines invitat... transacta autem hac hora, tacebit.... Quapropter *hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Ps. XCIV.

4° Quomodo auditur? — Dupliciter : auditu externo tantum, vel etiam auditu interno.

Illi auditu tantum externo audiunt, qui vel non credunt, vel opere non implent Evangelii verbum; — illi autem auditu interno audiunt, qui verbum cum fide et reverentia accipiunt, meditantur, et sedulo suis operibus exsequuntur.... Hi quidem et hi soli vere audiunt vocem divinam eaque vivificantur.

5° Quomodo vitam communicat? — Movendo ad pœnitentiam de peccatis; infundendo animæ gratiam sanctificantem cum virtutibus ac donis Spiritus sancti; illam gratiam jugiter augendo; illam gratiam in die mortis illuminando ac sublimando in gloriam.... Quapropter quicumque in gratia sanctificante ex hoc mundo decedunt, in cœlestem gloriam transeunt, dummodo nullo temporalis satisfactionis debito impediantur. In hoc enim casu, purgatorii carcere detenti, viventium fratrum preces implorant.... Ideo *sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* II Machab. XII, 46.

Dedit et Filio habere vitam in semetipso.

Christus, Filius Dei, est ipsa vita, seu vitæ plenitudo in se, ac fons vitæ respectu nostri. Quid est vita? — Quomodo Christus vitæ fons existit?

I. *Quid vita est?* — 1° Si generatim spectetur, *vita* sumitur sensu triplici : -1) pro principio vitali, quo nomine intelligitur principium internum ac invisibile operationum, quo ens quodlibet vivens ab inerti ac mortuo distinguitur. — 2) Vita

sumitur pro exercitio vitæ, seu pro ipsis operationibus viventis : quo sensu dicitur quis vitam agere honestam vel pravam.... -3) Sumitur quoque pro statu viventis, quod sic dicitur frui vita felici vel misera.

2° Sumpta pro *principio vitali*, duplex est vita : naturalis et supernaturalis. — *Vita naturalis* ea est, quam Deus creaturis tribuit ut vivant in mundo, qui sedes ac veluti domus creaturarum est. Hujus vitæ naturalis varii sunt gradus, ut in plantis, animalibus, hominibus, angelis, imo in ipso Deo, qui omnis vitæ etiam naturalis plenitudo est, discernitur.

3° *Vita supernaturalis* est ea, quam Deus tribuit creaturis selectis, ut vivant in cœlo, quod sedes ac domus ipsius Dei est. Ut autem creatura habitare in mundo superno cœlorum possit, aut cœlestia bona videre, audire valeat atque eis delectari, necesse est, creaturam hujusmodi vita quadam nova ac deiformi instrui : sine qua velut piscis esset in aere, aut velut agrestis pecus in palatio regis. At vero qui vita illa vivit, magnificentiam cœli videre potest, ipsumque Deum facie ad faciem contemplari. *Regem in decore suo videbunt oculi ejus..... quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster.* Isai. XXXIII, 17.

Jam vero vita illa supernaturalis, quæ a Christo *vita æterna* appellatur, est *gratia* in sæculo præsenti, quæ evadit *gloria* in futuro : gratia enim est semen gloriæ. — Vita gloriosa est vita creaturæ plenissima, qua vivit plene, intellectu, corde, imo et omnibus sensibus....

Hæc vita cœlestis ac divina, directe quidem afficit solam animam, cui tanquam nobilissimum complementum superadditur, ut eam sanctam, imo etiam gloriosam efficiat.... indirecte tamen afficiet etiam corpus, quia ejus causa ita corpus in resurrectione reformabitur, ut animæ gloriosæ dignum templum ac instrumentum fiat.

II. *Quomodo Christus fons vitæ existit nobis?* — Est fons vitæ sensu plenissimo : sive sumatur vita pro principio vitali, sive pro vitæ actionibus, sive pro felicitate viventis.

Etenim 1° si spectemus principium illud vitæ supernaturalis modo explicatum, illius fons unicus atque uberrimus est Christus : adeo ut quidquid gratiæ ac virtutis in mundo,

in Ecclesia, in fidelibus existat; quidquid gloriæ in Sanctis atque angelis cœlorum resplendeat, id omne a Christo dimanet sicut a fonte rivuli, sicut a sole radii... Christus est vitis, nos omnes palmites, qui ab ipso vitalem influxum recipimus. *Ego sum vitis, vos palmites... manete in me, et ego in vobis,..... si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent et ardet.* Joan. XV, 5.

Hæc est vita illa æterna, de qua Scriptura indesinenter loquitur, quam Christus Dominus veniens in mundum dedit nobis, nobisque sua morte promeruit. *Ego vitam æternam do eis. — Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant* (Joan. X, 10, 28).

2° Si spectetur vita moralis, seu perfectio ac sanctitas in agendo, hujus quoque fons, sicut et norma est Christus...

3° Si spectetur humanæ vitæ felicitas vera, hæc iterum a solo Christo datur, inchoative in hoc mundo, plenissime in futuro...

4° Christus solus homini præstat vitam beatam, — plenam in omnibus facultatibus, — æternam, — quæque temporali, ac carnali aut mundanæ vitæ comparata, sola vita vera dicenda est. *Quis* ergo *est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos* (Ps. XXXIII)?... adeat ad fontem vitæ, Christum, et accipiat doctrinam ejus.

5° Variæ de hac vita quæstiones examinari possunt : Quomodo recipiatur? quomodo conservetur, nutriatur, operetur, amittatur? etc.

6° *Habere vitam in semetipso* proprie tantum competit soli Deo : attamen per mirabilem participationem, ipsam vitam ac vitæ fontem in se recipiunt justi; quod Dominus per similitudinem aquæ declarat, dicens : *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Joan. IV, 14.

Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei.

I. *Quinam sunt corporaliter in monumentis? Quomodo ibi sunt? Et quomodo vocem Filii Dei audient?*

1° In monumentis seu sepulchris esse dicuntur, -1) omnes mortui, quicumque a mundi origine vixerunt : omnes omnino, divites et pauperes, — boni et mali, — ii qui corpus male foverunt, et ii qui mortificaverunt... -2) Item, omnes hodiedum viventes, et post nos victuri, jam dicimur in sepulchris esse, quia ineluctabiliter et breve inerimus....

2° Quomodo mortui in monumentis sunt? — Illic -1) omnes æqualiter jacent, rebus omnibus, quas dum viverent habuerunt, æqualiter spoliati ; —2) in putredinem atque pulverem redacti ; —3) at quoad corpus tantum : nam quoad animam, sunt in loco quem, per opera quisque sua, meruerunt...

3° Audient autem vocem Filii Dei, ut reviviscant et exeant de sepulchris. Non enim sepulchra clausa sunt in æternum : neque Christiani defunctos lugere debent quasi mortuos in perpetuum, ut Paulus monet dicens : *Non contristemini* (de dormientibus) *sicut et cæteri qui spem non habent* (I Thess. IV, 12). — Resurgent autem omnes, nemine excepto ; sicut omnes, nemine excepto, mortem subeunt. Quis enim Dei manui se subducere potest? Deus enim auctor vitæ et mortis, hic directe agit in creaturas : ipse omnes ad vitam vocavit, ipse omnes e vita tollit, ipse quoque omnes ad vitam revocat... — Obedient ergo omnes voci ejus clamanti : *Surgite mortui et venite ad judicium.*

II. *Quinam spiritualiter in monumentis sunt?* — Omnes quicumque sunt in statu peccati mortalis, et in vitiorum consuetudine velut sepulti. Hi audient quidem vocem Filii Dei, ut per pœnitentiam resurgant : et quidem si velint resurgere, possunt ; sed multi mortem præferentes vitæ ac lumini, misere in putredine sepulchri remanent... *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra* (Ps. XCIV). —

Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus. Ephes. V, 14.

Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.

1° En separatio hominum in duas partes : hinc boni stabunt, illinc mali. *Exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum* (Matth. XIII, 49). Terribilis separatio, qua pater a filio, frater a fratre divelletur...

2° *In resurrectionem vitæ... in resurrectionem judicii...* en status diversitas redivivorum : omnes quidem perfecta statura cum corpore integro existent : sed alii gloriosi, alii ignobiles... Gloriosi erunt, non illi qui olim oculis mundi magna fecerunt, sed *qui bona fecerunt;* ignobiles vero, non illi qui pauperes et despecti fuerunt, sed *qui mala egerunt...* Quanta fortunæ mutatio !

3° *In resurrectionem vitæ... in resurrectionem judicii...* en sententia duplex... et æternæ habitationis utrisque adjudicatæ disparitas... Boni intrant in vitam beatam, — mali in mortem ac gehennam decidunt. Hinc intelligamus, duplicis viæ qua homines ambulare possunt, viæ peccati et viæ justitiæ, quam dispar sit exitus !

IN MISSIS PRO DEFUNCTIS.

Evangelium secundum.

Joan. XI, 21-27. In illo tempore, dixit Martha ad Jesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed et nunc scio quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. Dixit illi Jesus : Resurget frater tuus. Dicit ei Martha : Scio, quia resurget in resurrectione, in novissimo die. Dixit ei Jesus : Ego sum resurrectio et vita : qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit vivet; et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi : Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

—

Explicatio prima.

I. *Martha manifestat fidem imperfectam.*
II. *Christus ei fidem perfectam ostendit.*

Paucis ante passionem suam hebdomadis (1), cum Dominus in Bethaniam venisset, ubi Lazarus, frater Marthæ et Mariæ, a quatuor diebus erat mortuus; cumque Martha, quæ prior nuntium adventus ejus acceperat, ei occurrisset, divinum Magistrum his verbis allocuta est :

(1) Cfr. infra, *Feria VI infra hebd. 4 Quadragesimæ*, Evangelium *de resurrectione Lazari.*

Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.

Dolorem exprimit quod Dominus non adfuerit antequam Lazarus moreretur : non enim, inquit, mortuus tunc fuisset, quia per miraculum eum ab infirmitate liberasses. Ex triplici capite Marthæ verba oriuntur : ex fide, ex fiducia et ex tristitia. Etenim quod dicit, Dominum præsentem potuisse impedire fratris mortem, fides est, sed imperfecta ; cum non supponat, Dominum, etiam absentem, sola voluntate id operari potuisse. — Quod dicit, Dominum præsentem id facturum fuisse, fiducia est de bonitate ejus : quæ tamen fiducia non sine defectu est, cum beneficium illud temporale absolute, nec respectu divinæ gloriæ intueatur. Nam temporalia quælibet sunt tantum eatenus desideranda, quatenus ad majorem Dei gloriam et salutem animæ conducunt. Et quidem in hoc casu, multo conducibilius fuit mori Lazarum, cum per talem mortem Filius Dei glorificandus esset. Ideoque non recte dicit Martha, futurum fuisse ut Christus mortem Lazari præpedisset ; nam si præsens fuisset Dominus, id fecisset quod tunc majoris Dei gloriæ esse vidisset. Vix tamen fieri potuisse intelligitur, ut præsente Domino moreretur amicus ejus : ideoque cum hanc mortem gloria Dei requireret, Jesus tunc temporis abesse curavit.

Dicendo : *si fuisses hic*, dolorem indicat de morte fratris : dolet enim quod Christus non adfuerit ad illud infortunium avertendum. In hoc quoque dolore imperfectio erat : si enim scivisset Martha, Dominum etiam absentem nihil ignorasse, et sanare potuisse, noluisse tamen propter majus bonum ; non adeo doluisset, omnique ex parte divinæ voluntati suam conformasset.

Sed et nunc scio, quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.

Sensus est : Sed licet Lazarus mortuus sit, et quidem a quatuor diebus, non propterea diffido te posse nos juvare : imo certa sum, te a Deo quidquid petieris (etiam Lazari resurrectionem), impetrare posse. — Hisce verbis alludere vi-

detur ad responsum Domini, qui dum Lazarus ægrotaret, dixerat : *Infirmitas hæc non est ad mortem;* quare sperat, et indirecte, timide tamen, petit resurrectionem fratris.

Major jam hic fides Marthæ manifestatur, quam in præcedentibus verbis : confitetur enim, non tantum Christum sanare posse infirmum, sed suscitare mortuum. Tamen adhuc est fides imperfecta, quia Christum non confitetur Deum, sed purum hominem ; nec propria id virtute facere posse, sed tantum oratione. Fides perfecta sic dixisset : Scio, quia quæcumque volueris, fient.

Resurget frater tuus.

Respondet Dominus : Quod exoptas et ego per internuntium promisi, fiet : resurget frater tuus. — Quo verbo Martham simul consolatur et docet : etenim non modo promittit Lazari resurrectionem, sed suam divinitatem aperit. Dicendo namque absolute : *resurget*, non vero : poscam a Deo ut resurgat, significat se potestatem resuscitandi habere ex se, adeoque se Deum esse.

Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.

Duplici sensu intelligi poterat Domini verbum, nimirum, vel quasi diceret : *Resurget nunc*, quem sensum intendebat ; vel : *Resurget in die judicii*, quem sensum Martha intellexit. Existimavit enim mulier, verbum Christi esse communem quamdam consolationem, qua homines solent in similibus casibus mœstos consolari, resurrectionem futuram in memoriam revocantes ; maxime, quia tunc vigebat Sadducæorum secta negantium resurrectionem, contra quos Christus illam veritatem affirmaret. In hunc sensum verbum Christi Martha est interpretata, et idcirco in hunc sensum respondit : Scio eum resurrecturum in die ultimo, et nequaquam adhæreo sectæ illorum, qui resurrectionem negant : quare neque hac instructione indigeo : *Scio quia resurget.*

Uti ex responsione patet, Martha sibi persuadere non potuit, fratrem in præsentia resurrecturum. Insuper duos defe-

ctus manifestat : -1) quod pluris faciat resurrectionem præsentem, ad vitam hanc miseram et caducam, quam resurrectionem novissimi diei ad vitam beatam; -2) quod judicaret, Jesum sic impetrare a Deo hominibus bona, ut non ipse per se ea largiretur.

Porro forte Dominus consulto locutus est æquivoce, ut ex Marthæ responso occasionem nancisceretur ejus imperfectiones corrigendi. Quæcumque fuerit ejus intentio, cum videret Martham in infimis rebus hærere, eam divinus Magister docere et corrigere voluit; et pro more suo, a rebus temporalibus arripiens occasionem docendi spiritualia et æterna, propter quæ ipsa sua corporalia miracula operabatur, attollit erigitque mentem mulieris ad altiora. Cumque quæstio esset de morte et vita, ait :

Ego sum resurrectio et vita.

Resurrectio et vita est Christus, non *formalis*, sed *causalis*. Per hebraismum enim dicitur *resurrectio et vita*, pro *causa resurrectionis et vitæ;* ita ut sensus sit : Non tantum in novissimo die resurget, sed nunc; nec ope orationis, sed per meam potestatem : nam ego ipse sum causa generalis illius *resurrectionis* de qua loqueris; et insuper causa sum *vitæ* beatæ, quam justi cum resurrectione accipient plenam, quamque in hoc mundo jam inchoate per gratiam possident. De vita igitur supernaturali loquitur Dominus.

Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum.

Vitam spiritualem, cujus se datorem testatur Dominus, ulterius explicat, quasi diceret : Non tantum frater tuus me suscitante resurget ad vitam corporalem; sed et quilibet homo, qui credit in me fide viva et per charitatem formata, etiamsi corporaliter mortuus fuerit, vivet. Dico *vivet*, tum quia anima ejus semper vivet per vitam charitatis et gratiæ in terra, ac per vitam gloriæ in cœlo; tum quia corpus ejus per me a morte suscitabitur ad vitam beatam et æternam, in

die judicii. — Hanc vitam resurrectionis gloriosæ hic proprie respicit Christus.

Et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum.

Duplex hic datur interpretatio. 1° Altera illud *non morietur*, restringit ad corporalem vitam, hoc sensu : Quicumque in hoc mundo vivit, et credit in me, non morietur morte corporali, nisi ad tempus, non in æternum, sed ad vitam beatam resuscitabitur. Itaque ego omnium fidelium, tam mortuorum quam viventium sum resurrectio et vita; quia per resurrectionem tribuam omnibus vitam beatam et æternam. — De infidelibus et impiis hic sermo non est : quia, licet revocandi quoque sint ad vitam corporalem; tamen, quoniam resurgent ad gehennam, illa vita eorum potius mors dicenda est quam vita.

2° Altera interpretatio amplior est, in hunc modum : Omnis qui vivit vita naturali, et credit in me, atque ita, per fidem charitate formatam, vivit quoque vita gratiæ; hic *non morietur in æternum, neque quoad animam neque quoad corpus.* Non quoad animam : quamdiu enim in fide illa perseverat, anima ejus non morietur, nec ulla morte aut violentia hominum vita gratiæ spoliabitur. Non morietur quoad corpus : licet enim corpus moriatur ad breve tempus, tamen non manebit in morte, sed ad vitam beatam, æternam, resuscitabitur. — Hæc interpretatio plena quidem et vera est : Christus tamen in præsentibus adjunctis, cum de suscitando Lazaro loquatur, magis respicit vitam corporis quam animæ, dicens : *Omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum.*

Porro hisce verbis ac tanta promissione, Martham allicit ad credendum fide perfecta. — Etenim per illud, *qui credit in me*, fides perfecta est intelligenda, illa nempe quæ -1) credit Jesum non tantum esse Messiam, sed ipsum Dei Filium ac verum Deum, omnis resurrectionis ac vitæ causam primam; illa -2) quæ non sit nuda fides intellectus, sed cum observantia mandatorum conjuncta.

Credis hoc? Ait illi : Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

Credis hoc? id est, credisne me esse resurrectionem et vitam? Interrogat Dominus non quod ignoret, sed ut Martham ad fidem hanc perfectam provocet.

Respondet Martha affirmative, minus tamen directe ad quæstionis punctum : Utique Domine, inquit, ego hanc fidem teneo, te esse Christum, illum Filium Dei vivi, qui expectabaris ut venturus in mundum, et nunc tandem venisti. — Martha, ut patet, verba Domini, et vitæ supernaturalis mysterium nequaquam intellexit; ideo non respondet, se credere Dominum esse resurrectionem et vitam, sed eum esse vere Messiam. Qua fide generali revera credebat omnia quæ Dominus dixerat, sed implicite tantum.

Quod dicit *credidi*, significat, se hanc fidem antea concepisse et jam firmiter tenere.

Quod dicit *Filium Dei vivi*, non intelligit *Patri consubstantialem*, qualem Petrus intelligebat prope Cæsaream, qualemque nos confitemur; sed potius, sensu latiori, *virum Dei*, Deoque supra omnes prophetas instar filii charissimum. Scilicet nomen vulgo receptum ad designandum Messiam, qui tum *filius David*, tum *filius Dei* aut *filius Dei vivi* vocabatur, usurpabat Martha, sicut antea usurpaverat Nathanael, dicens : *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel* (Joan. I, 49); nec magis Martha quam plerique Judæi discernebat aut assequebatur, *qualis filius Dei* revera esset.

Explicatio secunda.

—

Dixit Martha ad Jesum.

En consolator afflictorum, Jesus. Ad domum luctus venit, præsertim si fuerit invocatus, ut consolationem veram invocantibus præbeat. Beata sane Martha, quæ in præsenti tristitia Jesum alloqui, et coram eo cor suum cum lacrymis effundere potest! — Hinc intelligamus, — 1) in omni afflictione etiam temporali, ad Dominum confugiendum esse; — 2) eum cum fiducia expectandum, etiamsi aliquamdiu moretur: *Si moram fecerit exspecta eum : quia veniens veniet et non tardabit.* Habac. II, 3.

Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.

1° Ex his verbis discere possumus, quantum sit bonum præsentia Dei. Nam de anima qualibet verissime dici potest : Si præsens ei fuerit Dominus, et a morte et a malo quolibet eam servabit. — De illa autem anima, quæ misere moritur, vera sententia est : si Dominus adfuisset animæ huic, non succubuisset tentationi, nec esset mortua.

At quomodo Dominus, qui præsens quidem ubique est, peculiariter et tanquam protector præsens animæ existit? — R. -1) per orationem; -2) per memoriam divinæ legis semper ob oculos versantis; -3) per memoriam divinæ præsentiæ....

2° *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus :* en fraternus amor. -1) Fratres secundum carnem, peculiari modo se invicem amare, sufferre ac juvare debent. -2) At multo magis fratres secundum spiritum, id est fideles, qui filii sunt ejusdem Patris, Christi, ejusdemque matris, Ecclesiæ, se invicem diligere tenentur : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (Joan. XV, 12). — 3) Ille amor præsertim apparet in fratris infirmitate, inopia, morte...

præsertim spirituali : *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* II Cor. XI, 29.

3° Iisdem Marthæ verbis spectari quoque potest permissio afflictionis ex parte Dei. Utique potuisset Dominus Lazari mortem præpedire : quod si eam permisit, non defectu amoris, sed potius ex majore et puriore amore egit, ut temporalis miseria ad gloriam Dei, ad salutem hominum, et ad ipsius Lazari ejusque sororum bonum maxime prodesset. Quod quidem significavit his verbis : *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei* (Joan. XI, 4). — Non aliter de nostris afflictionibus judicandum est : *Quos amo, arguo et castigo.* Apoc. III, 19.

Sed et nunc scio, quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.

1° En orationis virtus et facilitas. Quamvis imperfecta sit Marthæ fides et oratio, quia tamen ex animo orat, et alloquitur Christum præsentem, adjuvabitur, et ultra petitionem exaudietur. Ut intelligamus, orationem nostram, dummodo eam ex animo, prout possumus, in Dei præsentia fundamus, semper prodesse, nec ob imperfectionem Deo displicere ; ita ut quivis homo optime orare possit...

2° Iisdem verbis apparet fiducia, in angustiis præsertim servanda ; Martha enim *et nunc*, cum jam quatriduanus est frater, et cadaver fœtens, in Domino confidit : ut discamus, in diebus malis, in rebus arctis et quasi perditis, dicendum semper esse : *Sed et nunc scio, Domine, te mederi et opitulari posse et velle.* Etenim *factus est Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione* (Ps. IX). Dei scilicet proprium est, sicut defectum naturæ supplere, ita hominibus derelictis ac desperatis succurrere. Quapropter permittit, ut tribulationes crescant ad summum ; ac tum solet vi magna succurrere, ut manum suam ostendat, suorumque fiduciam exerceat. Sic Abrahæ (Gen. XX), Josepho (Gen. XLI, 12), ac populo Israel in arctis posito (Exod. XIV), mirabiliter succurrit. Tunc ergo præcipue sperandum : cum enim omne humanum deficit auxilium, prope est et accurrit divi-

num. *Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit.* I Reg. II, 6. Cf. Tob. XIII, 2.

Resurget frater tuus.

1° En consolatio in obitu amicorum : resurrectio mortuorum. Non in perpetuum clauditur sepulchrum, nec in æternum amicus nobis abreptus est ; imo neque vere mortuus est, sed dormit, surrecturus ac rediturus nobis in meliore statu. Quare ne nimium contristemur, ut Paulus dicit : *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et cæteri, qui spem non habent.* 1 Thess. IV, 12.

2° Quod si ploremus bonum Principem, Episcopum, virum quemlibet qui reipublicæ, Ecclesiæ, familiæ, alterive communitati videretur necessarius, dummodo ad Dominum mœstos attollamus oculos, responsum audiemus : *Resurget frater tuus*, id est, illum resuscitabo in persona alterius, dummodo credatis et confidatis in me. Ego enim sum resurrectio et vita, mihi omnia vivunt, et potens sum de lapidibus suscitare filios Abrahæ....

Ego sum resurrectio et vita.

His verbis docemur excellentiam Christi Domini, et thesauros vitæ in ipso absconditos.

1° Resurrectio est, id est resurrectionis causa omnibus, sive corporaliter, sive spiritualiter mortuis.

-1) Si corporalis resurrectio spectetur, in novissimo die efficienda, Christus est causa ejus quadruplex : meritoria, efficiens, exemplaris et finalis. — Ipse enim -*a*) omnium resurrectionem sua morte meruit; -*b*) eamdem physice efficiet, mortuos suscitando sicut suscitavit Lazarum fœtidum; -*c*) ejusdem exemplar dedit in resurrectione sua gloriosa; -*d*) in eadem denique resurrectione sua finem constituit resurrectionis omnium : resurgent enim fideles omnes hoc fine, ut Christo resurgenti in gloria conformentur et cum ipso glorificentur in æternum. Ipse primogenitus mortuorum, *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Phil. III, 21.

-2) Quoad resurrectionem spiritualem : -*a*) ea omnes indigemus, quia omnes, peccato saltem originali, mortui sumus : quare omnes in Baptismo resuscitamur. Quod si quis post baptismum peccando iterum moriatur, nova resurrectione spirituali indiget, nisi æternum mori velit morte secunda. -*b*) Eam omnes consequi possunt, etiamsi in sepulchro vitiorum ac consuetudinum putrescerent : dummodo vere et efficaciter in Christo credant. -*c*) Eam etiam pro aliis impetrare possunt, qui fraterna charitate animati et viva fide Christum exorant : eis enim respondet : *Resurget frater tuus*, dummodo scilicet voluerit gratia uti, quam intuitu petitionis fraternæ ipsi ad surgendum conferam. -*d*) Eam necesse est consequi in hoc sæculo : nam in futuro, nulla est animæ resurrectio, quia *in inferno nulla est redemptio*.

2° Christus vita est, id est causa vitæ, præsertim supernaturalis, quæ sola est beata, — plena, — æterna....

-1) Hanc vitam influit in hoc sæculo omnibus justis, qui, sicut palmites viti, ita Christo uniuntur. Justi propterea vivunt et fructus producunt ac prosperantur, sicut palma, aut cedrus libani, aut lignum quod plantatum est secus decursus aquarum (Ps. I). Ad hoc autem necesse est, ut uniti cum Christo maneant per fidem, orationem, etc.; qui enim a Christo separati sunt, tanquam lignum aridum, sterile, igni destinantur....

-2) Hanc vitam abundantius ac plenius infundet in sæculo futuro, tum animæ in luce gloriæ cœlestis, tum etiam corpori in resurrectione gloriosa...

3° Resurrectionis et vitæ conditio, est fides, sed vera, efficax ac perfecta : *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit vivet... et non morietur in æternum. Credis hoc?* An fidem hanc habeo, qua Christum, ejusque legem, tanquam vitæ fontem agnosco et amplector?...

—

IN MISSIS PRO DEFUNCTIS.

Evangelium tertium.

Joan. VI, 37-40. In illo tempore, dixit Jesus turbis Judæorum: Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet; et eum qui venit ad me, non ejiciam foras : quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.

—

Explicatio prima.

I. *Prima causa fidei in Christo.*
II. *Ultimus ejusdem fidei effectus.*

Dixit Jesus turbis Judæorum.

Initio Martii anni secundi prædicationis suæ, post miraculum multiplicationis quinque panum, cum Dominus venisset Capharnaum, et multas ibi turbas Judæorum confluxisse videret : eis de pane quodam locutus est, qui longe præstantior esset illo, quem manducaverant in deserto. Panem illum dicit esse semetipsum, manducandum dupliciter : —1) spiritualiter, per fidem ; —2) etiam corporaliter atque oraliter in Eucharistia. At quoniam utriusque manducationis conditio est fides, ideo ad fidem omni modo inducere studet

eos, qui hactenus non credunt. Eis imprimis exprobrat incredulitatem, dicens, perverse eos agere eo quod credere nolint, cum cognoscant sufficienter ipsum esse Christum, ex miraculis quæ viderunt : *Vidistis me*, (id est opera mea) *et non creditis.* — Quo dicto, subdit novum et gravissimum motivum credendi, dicens :

Omne quod dat mihi Pater ad me veniet :
et eum qui venit ad me, non ejiciam
foras.

Quæ sententia aliis verbis sic enuntiari potest : Omnes quoscumque Pater per gratiam efficacem trahit ad me, mihique dat in discipulos, vere credent in me ; et ego credentes non excludam a salute, sed salvabo.

Tanquam motivum scilicet credendi, exponit ipsam œconomiam fidei in altissimis causis, quæ sunt : -1) Dei gratia efficax adeoque prædestinatio, -2) hominis libertas ; et sensus est quasi diceret : Vos qui credere non vultis, videte quid faciatis : excluditis vosmetipsos e numero beatorum seu electorum. — Etenim in duas partes respectu mei homines dividentur : alii credent, alii credere nolent. Qui credent, ii soli sunt electi, gratiaque efficaci donati, et per me salvandi. Qui non credent, erunt reprobi ; et ii sunt, qui per suam culpam gratia efficaci destituti, credere in me non poterunt nec salvari. Ergo vos, qui non creditis, videte ne libere in incredulitate perseverando vosmetipsos de numero electorum excludatis.

Quod dicit OMNE QUOD *dat mihi Pater, ad me veniet :* universitatem exprimit eorum, qui ex omni gente atque conditione ad Christum venturi sunt. — *Venire ad Christum*, significat, credere in Christum, discipulum Christi fieri (infra, versu 45, 65 et 66). — Porro in Christum credunt illi omnes, quos *dat ipsi Pater :* id est, quos gratia efficaci, quæ peculiare donum est, *trahit* Pater ac suaviter adducit ad Filium. Porro, Deus Pater dat fideles tanquam præmium Christo, quia Christus id obedientia et passione sua meruit. — Dicitur *Pater* dare : quia donatio hæc, licet à tota Trinitate efficiatur, Patri attri-

buitur ratione ordinis in subsistendo, juxta quem Pater fons est, ex quo omne divinum donum exoritur.

Quod addit : *Et eum qui venit ad me, non ejiciam foras*, id est : Quicumque in me credere voluerit, eum non repellam, non excludam ab Ecclesia mea, a cœnaculo nuptiisque æternis. Hunc enim in sensum ipse sua verba explicat Dominus infra, dicens : *Ut omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.* — Ubi dicit : *Non ejiciam foras* venientes ad me, supplendum est id, quod tacite innuit : Reliquos vero, quando intrare volent in vitam, in die judicii, ejiciam in tenebras exteriores.

Quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.

Rationem addit cur neminem e credentibus seu fidelibus sibi datis, sit rejecturus, quasi diceret : Quomodo quemquam repellere possem, cum idcirco venerim, ut faciam voluntatem Patris mittentis me : quæ non est alia, quam ut neminem eorum quos mihi dat, perire permittam, sed omnes ad resurrectionem perducam.

Descendi de cœlo, assumendo nempe naturam humanam. Hoc enim sensu tantum Filius Dei, consubstantialis Patri, quique est in sinu Patris, de cœlo in terram descendisse dicitur, quod, nequaquam cœlum relinquendo, inceperit sese ut Hominem-Deum manifestare in mundo, quasi motu locali de cœlo descendisset in terram.

Non ut faciam voluntatem meam... Tanquam homo hic loquitur Dei Filius, et suam voluntatem semper cum divina concordare ostendit : adeo ut quos Pater vult salvare, illos pariter Filius salvare velit. — Vult autem Pater omnes homines salvos fieri, voluntate seria, ideoque dat omnibus auxilium vere et relative sufficiens ; attamen idem vult voluntate simul conditionata, dummodo scilicet homines sese gratia

efficaci indignos non efficiant. Quicumque bene cooperando cum auxilio sufficienti, obstacula non posuerint, hos vult etiam voluntate absoluta salvandos; ideoque eos peculiari modo eligit et assumit, auxilio efficaci donat, et Filio dat justificandos et glorificandos. In hunc enim sensum intelligendum est quod dicit : *Hæc est voluntas Patris : ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.*

Ut non perdam, sed resuscitem. De resurrectione gloriosa hic sermo est : quapropter dicendo fore ut eos resuscitet, eo ipso significat eos non perituros. Non tamen illud *non perdam* superfluum est, nec sine causa exprimitur; sed ideo ut discrimen sub oculos ponatur : discrimen, inquam, vitæ ac mortis æternæ, ut audientes intelligant, nisi Christi discipuli fieri velint, aut vitam ab ipso accipere, ad mortem æternam se perventuros.

Hæc est autem voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.

Voluntatem Patris ulterius explicat, additque eam esse conditionatam, et requirere fidem in Christo tanquam conditionem necessariam ad salutem : *Ut omnis*, inquit, *qui videt Filium*, id est ejus notitiam accipit, *et credit in eum*, ille, et quidem ille solus, *habeat vitam æternam*, et a me gloriose resuscitetur : *Et ego resuscitabo eum.*

Dicit, *qui videt et credit :* ut significet, non sufficere ut quis videat et cognoscat; sed necessarium præterea esse, ut bono libertatis usu, secundum veritatem cognitam operetur, et inclinet mentem ac voluntatem ad fidem. His verbis indirecte Judæos monet, qui cum vidissent Christi miracula, et sufficienter cognoscerent eum esse Messiam, tamen credere nolebant.

Habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum. En pretium correspondens præcedenti obsequio fidei : vita æterna et resurrectio. — Porro dicitur credens habere vitam æternam

in præsenti, et resurrectionem consecuturus in futuro : ut tota periodus et progressio vitæ æternæ a principio usque ad terminum exprimatur. Etenim vita æterna incipit hoc tempore per justificationem, id est, per remissionem peccatorum et gratiæ sanctificantis infusionem; — perficitur autem in sæculo futuro per glorificationem animæ, ubi anima fidelis, ab omni macula et debito mundata, ad visionem beatificam admittitur; — demum complementum ultimum attingit per resurrectionem gloriosam, qua tota humana substantia, secundum corpus et animam, beatitudine, seu vita beata, gloriosa, atque æterna impletur.

Vitam et resurrectionem annuntiat Dominus, non tantum solemniter, sed instanter, ac sæpius eamdem promissionem repetendo, idque duplicem ob rationem : -1) ut homines suavissima vitæ cupiditate ad fidem alliciat; -2) ut intelligamus, ipsum esse Salvatorem ac alterum Adam, missum ut revocaret edictum mortis, contra primum Adam prolatum; utque resurrectionem substitueret sepulturæ. « Osten- « dere vult, inquit S. Chrysostomus (homil. 46), quod « supplicium ex peccato inductum nunc revocat, sententiam « illam mortis solvendo, et vitæ sempiternæ donum indu- « cendo, contra superiorum temporum institutionem. » — Priori enim Adamo dictum est : *Morte morieris* (Gen. II, 17) ; et : *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es; quia pulvis es, et in pulverem reverteris* (Gen. III, 19). — Quibus opposita videntur illa verba vitæ, quæ semper in ore habet Dominus : *Ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam : et ego resuscitabo eum in novissimo die.*

Explicatio secunda.

—

Omne quod dat mihi Pater ad me veniet.

1° Venire ad Christum, quid est? — R. -1) Est credere in Christum : per fidem enim homines ad Christum ejusque Ecclesiam, tanquam oves ad pastorem et ad ovile accedunt. — 2) Est recedere a peccato, et per veram conversionem incipere Christo servire. — 3) Est accedere ad templum, ad orationem, ad sacramenta, ad confessarium qui Christi personam gerit...

2° Quomodo accipiuntur venientes ad Christum? — R. -1) Misericorditer et benigne : sicut filius, etiamsi prodigus fuerit, ab optimo patre.... — 2) Benefice : accipiunt enim a Christo optima quæque dona, præsertim vitam æternam et panem de cœlo, quo vita æterna nutriatur....

3° Quid requiritur ut ad Christum quis perveniat? — R. -1) Requiritur gratia, quæ nemini quidem negatur, sed oratione tamen humiliter petenda est. — 2) Requiritur hominis cum gratia cooperatio. Nam venire debet, id est ipsemet incedere, non sine conatu; et progressu continuo ad Christum appropinquare, donec cum ipso uniatur. — 3) Requiritur fides catholica... sed efficax, ea nempe quæ cum observatione legis conjungatur....

Eum qui venit ad me non ejiciam foras.

Hic docemur, 1° quanta sit misericordia Christi erga omnes, quantumvis miseros : neminem, dummodo videat vere ad se venientem, repellit; e contra juvat omni modo, et felicem reddit, introducendo eum primum in asylum suæ fidei et charitatis, et deinde in æterna tabernacula....

2° Docemur, quanta sit miseria iis reservata qui ad Christum non veniunt : ipsi enim foris manent in hoc mundo, id

est, manent in tenebris errorum, expositi tempestatibus perturbationibusque omnigenis.... — In die autem judicii exclusi e paradiso, *foras*, id est, in damnationem *ejicientur*....

Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.

1° En conformitas cum divina voluntate : quæ virtus in eo consistit, ut in omnibus rebus non nostram, sed Dei voluntatem spectemus, eamque adoptemus seu nostram faciamus. — Ejus objectum est velle et nolle idem, quod Deus vult aut non vult, seu : fugere quod Deus vetat, facere quod jubet, pati quod patiendum imponit...

2° Motiva hujus virtutis sunt : ejus necessitas, excellentia, fructus pacis et spiritualis profectus animæ.... nec non exempla Christi et Sanctorum. — At his motivis non obstantibus, nonne sæpius homo prorsus diverse agit, faciendo voluntatem suam, et carnis suæ, non vero ejus qui misit eum?...

3° Praxis latissime patet. Exerceri enim potest illa sancta conformitas, -1) in rebus exiguis et quotidianis ; -2) in muneribus et laboribus ; -3) in donis et talentis ; -4) in doloribus et morbis ; -5) in tentationibus et ariditatibus ; -6) in laborum successu ; -7) in ipsis rebus spiritualibus, ac sanctificationis suæ progressu....

4° Requisita conditio ad conformitatem cum voluntate divina, est abnegatio voluntatis propriæ : *Non ut faciam voluntatem meam. — Non sicut ego volo, sed sicut tu.*

Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, Patris....

1° Quæ est voluntas Dei generatim, et respectu omnium hominum? —1) Deus vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, ideoque omnibus præbet auxilium ad hoc vere et relative sufficiens ; -2) vult tamen simul ut homines auxilio gratiæ cooperentur. —3) Quod si cooperari noluerint et peccaverint, atque in peccato e vita discesserint : Deus vult, ut pœnas æternas peccatis debitas luant...

2° Respectu cujusque hominis, voluntas Dei est, -1) ut in suo quisque statu, omnia officia impleat, atque ita sanctifi-

cet animam suam : *Voluntas Dei sanctificatio vestra* (1 Thess. IV, 3). —2) Ut tribulationes vitæ quascumque, privatas vel publicas, de manu Dei accipiat et patienter toleret : hæc enim omnia nobis veniunt a Deo, sic permittente ac disponente ad bonum nostrum : *Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. VIII, 28.

3° Unusquisque in hac vita positus, atque in hunc mundum missus est, sicut Christus Dominus, ut faciat voluntatem mittentis se, seu Creatoris. Quapropter imprimis inquirere debet, *quænam sit voluntas ejus qui misit eum, Patris?* quid Deus in hoc mundo ab ipso requirat?... Quod quidem ex dictis facile colligere poterit (1).

Omnis qui videt Filium, et credit in eum...

1° Quid est videre Filium? — R. Est eum historice cognoscere, ejus mirabilem adventum ab origine mundi prænuntiatum, ejus vitam plane cœlestem, ejus miracula, ejus resurrectionem, ab eoque fundatam religionem catholicam, quæ omnium oculis exponitur. *Non enim potest civitas abscondi supra montem posita* (Matth. V, 14). Quæ quidem omnia totidem sunt veritatis ac divinitatis Christi argumenta, abunde sufficientia, si ea quis sincera mente considerat....

2° Quid est credere in Filium? — Est -1) eum non modo cognoscere, sed agnoscere ut Filium Dei ac Dominum, et fontem omnis salutis ; -2) totam ejus doctrinam ut plane divinam admittere et studiose meditari ; -3) eamdemque operibus implere. Hæc fides *perfecta* est, quæ cum operibus conjungitur ; fides autem sine operibus imperfecta est, et a S. Jacobo *mortua* vocatur....

3° Videre Christum non sufficit, ut patet exemplo Judæorum, Judæ proditoris, etc. ; sed oportet *videre et credere*, juxta exemplum Apostolorum.... Hæc enim est conditio ab homine ponenda, ut a Deo vitam æternam consequatur : *Ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam.*

(1) Cf. Adjumenta oratoris sacri, *Argum.* 1 et 2.

Habeat vitam æternam.

1° En magnum motivum adhærendi Domino : vita, eaque æterna; vita quæ jam incipit in hoc sæculo, perficietur post obitum in paradiso, et demum complebitur in resurrectione gloriosa...

2° Dominus vitam proponit, ut nos efficacissime alliciat : nam vitæ trahimur cupiditate, et nihil jucundius quam feliciter vivere et nunquam mori...

3° Cur multi tantum bonum non accipiunt?... Cur præferunt etiam mortem, mortem æternam? Nonne ob speciem vitæ fallacis eis a diabolo oblatam?...

IN MISSIS PRO DEFUNCTIS.

Evangelium quartum.

Joan. VI, 51-55. Dixit Jesus turbis Judæorum : Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum ; et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes : Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis : nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam ; et ego resuscitabo eum in novissimo die.

—

Explicatio prima.

Cum eosdem Capharnaitas, quos in superiore Evangelio alloquebatur, Dominus docere pergeret, dixit, se credentibus dare vitam æternam, et vitæ æternæ alimentum, seu panem, qui longe præstantior esset quam manna deserti : *Patres vestri,* inquit, *manducaverunt manna, et mortui sunt.* Cum hoc manna comparat panem suum, qui manducantes a

morte præservabit. Deinde, ulterius de eodem pane disserens,

I. *Testatur, se ipsum esse panem vivum.*
II. *Declarat, hunc panem esse oraliter manducandum.*

Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.

Sensus est quasi diceret : Manna fuit panis mortuus, a morte minime præservans, improprie vocatus *panis de cœlo*, et figura mei : ego enim sum panis vivus et ab omni morte præservans, qui vere de cœlo descendi.

Panis vivus, id est, vitam continens, vitæ nempe plenitudinem et fontem (1). — Idem supra vocatur *panis vitæ*, id est, panis vitam communicans, panis vivificans, seu vitalis. Ut intelligitur, hæc duo nomina, cœlesti pani attributa, quoad substantiam idem significant.

Si quis manducaverit, id est, quicumque manducaverit, nulli jam morti erit obnoxius, sed *vivet in æternum*. En effectus veri panis de cœlo, defectui manna oppositus. — *Vivet*, puta secundum animam et corpus. Nam anima vivet semper, sive vita gratiæ in hoc mundo, sive vita gloriæ in futuro. Corpus vero, etsi ad breve tempus morietur, mox ad vitam gloriosam resurget.

Et panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.

Sensus est : Et præterea, non Pater, ut supra dixi, sed ego dabo panem de cœlo : panis autem ille quem ego dabo, est caro mea, quam pro mundi salute immolaturus sum.

Dixit Christus se esse panem vivum vel vitæ, dupliciter nempe manducandum : 1° Spiritualiter, per fidem ; et sic jam a Patre datus est, atque modo in tempore præsenti proponitur manducandus : *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum* (supra v. 32, seq.) ; de qua manducatione spirituali hactenus

(1) Cf. Joan. V, 25 : supra, Evang. I *pro defunctis*, pag. 322 seq.

egit. — 2° Corporaliter, seu oraliter, per sacramentum Eucharistiæ; et sic semetipsum daturum promittit in tempore futuro: *Panis quem* EGO *dabo*... Quam promissionem in ultima cœna implevit.

Quod dicit *caro mea est*, significat, se in cibum daturum esse suum corpus, suam humanitatem, immolandam *pro mundi vita* dupliciter : cruente, in ara crucis; incruente vero in altari Eucharistico, id est, in sacrificio Missæ. Eodem sensu dixit in ultima Cœna : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur... Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Luc. XXII, 19, 20.

Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes : Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?

Audientes Judæi vocem carnis : *Panis quem ego dabo, caro mea est....* intellexerunt prout verba sonabant, de carnis Christi manducatione orali. Et recte quidem : nam et hanc Christus vere significabat, prout ex sequentibus palam fit. — At longius ipsi procedebant mente, quam Dominus verbis. Non enim dixerat de modo, quo esset suam carnem daturus : utrum eam præbiturus esset manducandam in propria specie, sicut carnes victimarum in vetere Lege dissectæ comedebantur; an sub specie aliena, nempe panis, sicut in sacrificio novæ Legis fieri videmus. Judæi vero cogitantes, carnem Domini in propria specie, sicut escam communem manducandam proponi, rei difficultate, et quasi impossibilitate offensi, se invicem aspiciunt, interrogant, et inter se disputare incipiunt.

Litigabant ergo : nempe dissentientes, alii affirmabant id omnino impossibile esse; alii e contra, contendebant id fieri posse per multiplicationem aliquam, similem multiplicationi panum quam viderant. Opinio tamen negans dominabatur, ut ex verbis patet; dicunt enim : *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* id est, nullo sane modo id fieri potest. — Quod dicunt de Domino : Quomodo potest *hic*, contemptum spirat, alluditque ad dicta superius :

Nonne hic est Jesus, filius Mariæ et Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic : Quia de cœlo descendi? V. 42.

Amen, amen dico vobis : nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam æternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die.

Judæorum disputationibus atque objectionibus respondet Christus, gravius affirmando quod dixit, idem clarius describendo, simulque declarando necessarium omnino esse, ut carnem et sanguinem Filii hominis in cibum potumque acceptent.

1° Quum Judæi offenderentur ob eam quam intelligebant Dominicæ carnis manducationem oralem, nequaquam negat Dominus se de orali manducatione loqui; neque explicat modum, quo id in Eucharistia effecturus esset : sed simpliciter affirmat, verissimum esse id, quod rejicere videntur audientes. *Amen, amen,* inquit, *dico vobis :* quasi diceret : Nolite ut rem impossibilem rejicere, quod vobis præbeam carnem meam ad manducandum; verissime enim illud faciam, licet vos modum non intelligatis.

Porro sic loquitur et simplici affirmatione respondet, -1) ut bene intelligant, sermonem esse de manducatione orali; -2) ut discant credere verbo Dei, etsi captum suum superanti, atque intelligentiam suam Dei testimonio subjicere; -3) quia de cætero explicatio Eucharisticæ speciei et Transsubstantiationis, seu modi quo carnem suam esset daturus, fuisset audientibus inutilis, imo majori offendiculo.

2° Affirmationi addit clariorem promissæ alimoniæ descriptionem : erit enim illa totum corpus ejus, caro manducanda et sanguis potandus; adeo ut plenum convivium ex cibo et potu constituat.

3° Simul declarat, necessarium omnino esse ut cibo illo utantur; hancque necessitatem duplici forma enuntiat, primo

negativa, dein positiva, in hunc sensum : Si non manducaveritis meam carnem, et non biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam ; si vero manducaveritis et biberitis, habebitis vitam æternam, et gloriose resurgetis in fine mundi.

Quod dicit, *nisi manducaveritis et biberitis*, nequaquam præcipit, ab unoquoque fidelium sub utraque specie esse communicandum ; sed explicat naturam integram Sacramenti, quod dispensandum relinquet Ecclesiæ suæ, a qua illud omnes recipere debebunt.

Non habebitis vitam : id est, vitam gratiæ sanctificantis non habebitis permanenter, seu eam non conservabitis ; quemadmodum homo qui cibum non caperet, vitam conservare non posset.

Ego resuscitabo eum : resuscitabo scilicet ad gloriosam immortalitatem, eum qui carnem meam manducaverit. Etenim manducando meam carnem immortalem, peculiarem titulum acquiret, ut ipsius caro similiter immortalis resurgat.

—

Explicatio secunda.

Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi.

1° Quomodo Christus est verus animæ panis? — R. 1) Quia ipse, et quidem ipse solus animam vere satiat. Etenim esurit anima nostra, et sitit aliquod bonum, quo fruatur et satietur : tum in intellectu, tum in corde, tum in corporis sensibus. Illud autem in terrenis oblectamentis frustra quærit ; cum non inveniatur nisi in Christo Jesu, qui solus *replet in bonis desiderium ejus* (Ps. CII), et *adipe frumenti eam satiat* (Ps. CXLVII), utpote omnes thesauros, omne delectamentum in se habens.

2) Quia ipse hominem vera animi fortitudine roborat : *Panis cor hominis confirmans, — qui sanat omnes infirmitates ejus.* Ps. CII, CIII.

-3) Quia ipse homini veram vitam communicat, — auget ac perficit, — et usque ad gloriosam immortalitatem perducit...

2° Quomodo panis ille est manducandus?— R. 1) Per fidem, spem et charitatem : nempe in Christo credendo, quo vivificatur intellectus; in Christo sperando, eumque diligendo tum in se, tum in fidelibus ac Ecclesia sua... quo vivificatur et pascitur cor et affectus.

-2) Per orationem et meditationem, quod merito *mentis pabulum* appellatur, Christi virtutem ac spiritum communicans...

-3) Per auditionem verbi Dei, et religiosi cultus frequentiam...

-4) Per sacramenta ; speciatim vero per sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, in S. Communione...

3° Cuinam alteri pani verus ac vivus panis Christi opponitur? — R. Pani non vero, sed fallaci, aut etiam mortifero, quod *pabulum mortis* vocatur. -1) Panis non verus, sed figuratiyus tantum, qui nec vivus erat nec vitam præstabat, fuit manna deserti.— 2) Panis fallax, sunt hujus mundi artes, scientiæ, aliaque bona terrena, in se non inhonesta, quæ animam nequaquam satiare possunt... -3) Panis mortifer sunt pravæ doctrinæ, pravi libri, prava spectacula, aliaque peccaminosa oblectamenta sæculi...

Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

En divinæ dapes a Christo oblatæ, ipsius caro divina. Quid est hæc caro Christi? Quare caro hominibus in cibum datur?

1° Caro Christi est, -1) Christi Domini corpus animatum ac vivum, adeoque tota ejus humanitas, personæ Verbi substantialiter unita. Quanta rei excellentia!...

-2) Hæc divina caro non tantum undequaque purissima ac sanctissima est; sed, utpote cum divinitate, omnis sanctitatis fonte, conjuncta, virtutem continet sanctificandi per contactum et unitionem sui, omnem aliam carnem : id est, omnem

hominem. — Cujus miræ virtutis imaginem ostendit, dum contactu vestimenti sui infirmos sanaret : *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat et sanabat omnes* (Luc. VI, 9). Quanto magis manducantes carnem suam, et bibentes suum sanguinem, virtute sua ac spiritu quoad animam et quoad corpus implebit?...

2° Cur hominibus dare voluit Christus carnem pro spirituali cibo? — R. Propter concupiscentiam carnis : -1) ut concupiscentiæ huic pravæ, atque carnis nostræ corruptioni remedium inoculetur...

-2) Ut legitimo nostræ naturæ desiderio, quo homo hominem quærit, satisfiat. Dixit enim naturæ nostræ auctor : *Non est bonum hominem esse solum : faciamus ei adjutorium simile sibi* (Gen. II, 18). Quæ quidem verba de carnalibus nuptiis prolata, spirituales quoque Christi nuptias designant cum Ecclesia, et cum animabus sanctis. — Quoniam autem caro Christi spiritualis ac divina est, hinc fit, ut, conjunctione sui cum homine, hominem spiritualem efficiat : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est* (I Cor. VI, 17). — *Factus est novissimus Adam in spiritum vivificantem.* I Cor. XV, 45.

-3) Ut legitimum quoque naturæ desiderium, quo nostri corporis immortalitatem ejusque gloriam volumus, impleatur. Nam per carnem Christi nobis datur, etiam secundum corpus, *conformes fieri imaginis Filii Dei, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Rom. VIII, 29; Phil. III, 21.

Litigabant ergo Judæi ad invicem.

1° Litigantium Judæorum exemplum ne imitemur. Lites enim et dissensiones pestis sunt, spiritui christiano opposita. *Stultas et sine disciplina quæstiones devita : sciens quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem.* II Tim. II, 23.

2° Causa dissensionum est passim, sicut inter Judæos erat, defectus fidei simplicis et docilis. Si enim verbo Christi, per

se vel per Ecclesiam suam loquentis, homines simpliciter adhærerent, in contentiones noxias non inciderent....

3° Remedium contra dissensiones est, amor unionis, in mentibus, in cordibus et in sermone; seu sincera charitas juxta Apostoli monitum : *Idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes ; nihil per contentionem neque per inanem gloriam : sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.* Phil. II, 2, 3.

Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?

1° Quæstio hæc temeraria est, et Christo injuriosa. Nam, -1) temerarium est homini intelligere velle modum quo Deus sua mysteria operatur : *Quomodo potest?* Quasi non posset Deus omnipotens operari, nisi quantum nos exigua mente intelligimus! *Demus*, ut Augustinus ait, *Deum aliquid posse, quod nos fateamur explicare non posse.* — Cum sobrietate et humilitate magna a nobis mysteria consideranda sunt, ut ea cognoscamus quidem et perspiciamus quantum Deus revelando dignatus est ea aperire; non vero, ut ea penitus perscrutemur. *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria.* Prov. XXV, 27.

-2) Quæstio injuriosa Christo, cum in dubium revocet verbum ejus, id est, veracitatem ejus ac potentiam. — Injuriam hujusmodi tacite ipsi arrogant, quicumque debili ac frigida fide laborant. Non quidem expresse dicunt, sed practice quasi supponunt, non revera fieri quæ Christus locutus est : nimirum, ipsum Jesum hominem Nazarenum esse præsentem in Eucharistia; animam nostram per peccatum mortuam esse, per gratiam vero vivere; Christum semper viventem et ad dexteram Patris sedentem, mox judicaturum esse justos et peccatores; etc.

2° Hujusmodi temeraria et injuriosa quæstio oritur ex defectu fidei, et ex defectu notitiæ de Christo. — Judæi enim sic loquuntur, qui Jesum ut merum hominem spectant, filium Mariæ et Joseph, *cujus*, inquiunt, *nos novimus patrem et matrem.* Si enim eum ut Deum spectarent, non utique di-

cere auderent, *quomodo Deus hoc facere possit?...* Et nos similiter, si vivide spectemus, ipsum Deum esse qui veritates ac mysteria fidei nobis loquitur, longe facilius intellectum subjiciemus. Sensu enim naturali intelligemus, omnino convenire ac decere, ut, ubi Deus loquitur, taceat creatura, suamque intelligentiam infinitæ veritati subjiciat. Atque illud quidem significare videtur Dominus affirmatione sua solemni : *Amen, amen dico vobis;* quasi diceret. Nuda oris mei affirmatio vobis omnis alterius argumenti ac rationis locum tenere debet....

Nisi manducaveritis et biberitis...

1° En sacræ Communionis necessitas. -1) Sine illo cibo viatorum, animæ vires mox deficiunt, vita interna debilitatur, et superveniente tentatione extinguitur.... Succedit autem mors : nempe mors peccati in hoc sæculo, et mors inferni in futuro.

-2) Nec sufficit cibum illum accepisse semel ; sed instar fere cibi corporalis, frequentius est sumendus....

-3) Nec sufficit cibum illum accipere qualicumque modo ; sed rite et congrua dispositione ad divinam mensam accedendum est....

2° En sacræ Communionis effectus : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam ; et ego resuscitabo eum in novissimo die.* -1) Ex illa divina alimonia homo vitam gratiæ hauriet, semper uberiorem : vitam fidei, fiduciæ, charitatis... vitam seu spiritum humilitatis, castitatis, patientiæ, orationis, omnemque spiritum Christi....

-2) Ex illa desumet pignus futuræ gloriæ, et germen carni suæ insitum beatæ resurrectionis in novissimo die. Vere gratias debemus Deo semper, *quod in omnibus divites facti sumus in Christo.* I Cor. I, 5.

—

FERIA QUINTA

INFRA

HEBDOMADAM SECUNDAM QUADRAGESIMÆ.

—

Evangelium de divite epulone.

Luc. XVI, 19-31. Dixit Jesus Pharisæis : Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso; et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis : et nemo illi dabat; sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus. Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. Elevans autem oculos suos, quum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus; et ipse clamans dixit : Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam : quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est ; ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. Et ait : Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres : ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc

locum tormentorum. Et ait illi Abraham : Habent Moysen et prophetas : audiant illos. At ille dixit : Non, pater Abraham : sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi : Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

—

Explicatio prima.

Anno prædicationis tertio, mense Decembri, cum doceret Dominus in Bethabara, et de divitiis in pauperes dispergendis loqueretur, diceretque : *Non potestis Deo servire et mammonæ*, hanc doctrinam irridebant pharisæi. *Audiebant omnia hæc Pharisæi, qui erant avari; et deridebant illum. Et ait illis : Vos estis qui justificatis vos coram hominibus : Deus autem novit corda vestra; quia quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum* (Luc. XVI, 13, 14, 15). — Ut autem irrisores impios et avaros magis percellat, affert terribile exemplum divitis, damnati gehenna ignis, idcirco quod pauperem neglexisset, a quo potuisset in sinum Abrahæ et in æterna tabernacula recipi.

Utrum hæc Domini narratio sit mera parabola, an historia ac res vere gesta, ut Ambrosius, Chrysostomus, aliique Patres censent, disputatur. Probabilis valde est opinio Maldonati, qui tenet esse partim historicam, partim fictitiam. Scilicet, ut ipse explicat, 1° historice verum est, vixisse aliquando inter Judæos duos homines, quorum unus, dives epulo atque immisericors, post mortem incidit in infernum; alter, pauper Lazarus, post mortem salvus factus est. Hæc, inquam, vera historia censetur, tametsi nullus eam narrare potuit præter ipsum Christum, cui soli res alterius sæculi notæ fuerunt non minus quam hujus. Et quidem hanc veritatem historicam supponit Ecclesia, dum animabus fidelium apprecatur, ut *cum Lazaro, quondam paupere, æternam habeant requiem.*

— 2° Colloquium vero inter divitem reprobum et Abraham, mere parabolicum est, et figuratum ut aptius doceamur.

Tres partes distingui possunt :

I. *Sors divitis et Lazari in hac vita.*
II. *Eorumdem sors in vita altera.*
III. *Monitum viventibus datum.*

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide.

Homo ille Judæus erat, utpote qui infra filius Abrahæ esse ostenditur et discipulus Moysis. *Erat* autem *dives,* nempe *de suo*, ut Augustinus dicit, hoc est, de rebus legitime acquisitis. Non enim accusatur rapinæ, furti, aut alterius injustitiæ. At si minus injustitiæ reus, an aliis culpis non erat obnoxius? Plurimis sane vitiis non caruisse censendus est, quæ ex divitiis nasci solent, ob duo tamen apertius reprehenditur, quæ tanquam causæ assignantur reprobationis ejus : nempe vita sensualis et inhumanitas in pauperes. Describitur enim ut homo *ducens in bonis dies suos* (Job. XXI, 13), nihil denegans sibi, nihil largiens pauperibus. — Ad sensualitatem itaque quod spectat, exquisitissima quæque sibi concedebat quoad vestes et quoad cibos.

Induebatur purpura et bysso : scilicet pro vestimentis utebatur *purpura*, seu pallio purpureo, qui vestitus erat pretiosissimus, regum et principum virorum tunc temporis proprius; *et bysso*, id est, tela seu lino candido et delicatissimo. Notatur hic vestitus splendor et mollities : byssus quippe mollitiem significat; purpura vero cultus externi splendorem, quo corporis elegantiam exornabat.

Et epulabatur quotidie splendide. En sensualitas mensæ. Non tantum *reficiebatur*, prout natura postulat; sed *epulabatur*, id est, genio ac gulæ indulgebat, epulis vacando. Non enim epularum jucunditate utebatur subinde, vel tantum genialibus diebus; sed *quotidie*, omnes vitæ suæ dies in hoc consumens, quasi ad hoc unice viveret. Imo tanquam finem suum ac gloriam in ea re constituens, omne studium eo

conferebat, ut epularetur *splendide*, ita ut nihil deesset quod, sive ad dapium ac vinorum excellentiam, sive ad magnificentiam vasorum spectaret.

Erat itaque dives iste, non parcus et sordide avarus, qui defraudaret animam suam bonis ; sed qui divitias prodige expenderet ad suum ipsius commodum, in vestes præclaras, lauta convivia, pretiosam supellectilem, comitatum frequentem ; ita ut nihil sibi sineret deesse quod ad vitæ voluptatem splendoremve facere posset : exemplum exhibens hominis, tota mundi prosperitate fruentis, et charitatis erga pauperes penitus obliti.

Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat
ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens saturari
de micis quæ cadebant de mensa divitis :
et nemo illi dabat; sed et canes
veniebant, et lingebant
ulcera ejus.

Diviti epuloni opponitur pauperrimus Lazarus : exemplo felicitatis mundanæ opponitur exemplum humanæ miseriæ. Describitur enim ut carens omnibus quibus dives abundat, tecto, vestimentis, honore, alimentis, imo corporis sanitate.

Et erat, inquit, eodem tempore ac loco, *quidam mendicus, nomine Lazarus.* Quod nomen mendici exprimatur, argumento est non levi, historiam hic narrari, non parabolam fingi. Voluit autem Dominus nomen illius hominis memorare, quia pauper erat et justus, cujusmodi *honorabile nomen coram illo* (Ps. LXXI) : ideoque *in memoria æterna erit justus* (Ps. CXI). — Porro divitis nomen tacuit, tum ut parceret famæ ejus, tum præcipue, quia impios nescit Dominus : *Nomen eorum delesti in æternum.* Ps. IX.

Erat ergo Lazarus *mendicus*, id est, pauperrimus, nullum vivendi medium habens, nisi ut manum tenderet et eleemosynam peteret. Imo ne circuire quidem poterat ad mendicandum, sed *jacebat*, tanquam ægrotus qui se movere non posset ; jacebat quoque tanquam abjectus, neglectus, pro nihilo habitus, omni cura omnique humano præsidio prorsus destitu-

tus; jacebat denique, velut in loco consueto, uti videtur, per plures dies noctesque continuas, sub dio, quippe domo carens.

Jacebat ad januam ejus, id est, in via publica, juxta vestibulum palatii epulonis, ut simul a prætereuntibus per plateam acciperet stipem, et a divite ejusque domesticis. Itaque sæpius vidit eum dives, ejusque miseriam dum exiret et reverteretur, observare potuit; eumque etiam nomine cognovit, ut infra verbis suis ostendet.

Ulceribus plenus. Non modo pauperiem patiebatur, sed etiam infirmitates, quæ ex penuria victus convenientis sequi solent. Erat *ulceribus* afflictus, imo *plenus*, ita ut a planta pedis usque ad verticem capitis non esset in eo sanitas. — *Ulceribus plenus*, ita ut corpus totum occuparent ulcera fœda, acerba, horrorem simul et commiserationem moventia. Ulcera, inquit Lucas Brugensis, corpus ejus in modum vestis obtegentia, opponuntur purpuræ et bysso, quibus dives induebatur.

Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis. — Ciborum reliquias probabiliter etiam voce petierit Lazarus; non tamen dicitur *petens* aut *postulans;* sed *cupiens* iis saturari : ut insinuetur opem petiisse non importune, sed potius miseriæ ostentatione quam clamore; et sic intelligamus hominis patientiam et æquanimitatem.

Auxilium itaque implorabat modestissime, ideoque saturari cupiebat, non sumptuosis ferculis, sed *de micis quæ cadebant de mensa divitis;* gavisurus, si vel canis loco haberetur, cujus est de micis e mensa cadentibus vivere : *Nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Matth. XV, 27.

Et nemo illi dabat. His verbis simul insinuatur extrema Lazari fames, et notatur duritia maxima divitis et familiæ ejus, quod perire permitterent superflua, quibus pauper præsens et obsecrans ali potuisset.

Sed et canes veniebant et lingebant ulcera ejus. — Accessit scilicet et hoc mali, quod canes lambentes aperta ulcera ejus dolores augerent. — Id additur, 1° ad indicandum miserabilem statum corporis ejus, quod seminudum erat, et ad quod

velut ad cadaver canes accurrerent ; 2° maximam ægri hominis debilitatem, eos abigere non valentis ; 3° summam ejus derelictionem ex parte hominum, cum nemo esset, qui vel animalia ab eo arceret.

En status Lazari et status epulonis in hoc mundo : jam sequitur quomodo uterque mutetur in futuro.

Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ.

Factum est, ægritudine sane corporis et rerum omnium inopia, *ut moreretur mendicus, et portaretur*, quoad animam, *ab angelis in sinum Abrahæ :* id est, ut anima ejus angelorum ministerio honorifice illuc duceretur. — Quo testimonio manifeste discimus, animas justorum corporibus exutas, in salutis locum ab angelis deduci. Unde orat Ecclesia, ut jubeat Deus defunctorum animas *a sanctis angelis suscipi, et ad patriam paradisi perduci.* Et iterum, ut *signifer sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam :* signifer dicitur, tanquam bellum adhuc gerens, eo quod in illo etiam animarum transitu, dæmones obluctentur angelis, ut earum translationem in cœlum impediant (Jans. Gandav.). — In quemnam autem locum Lazarus deductus est?

In sinum Abrahæ : id est, in locum quietis, qui etiam Limbus Patrum vocatur ; non in cœlum, quod tantum per Christi ascensionem apertum est. — Porro locus ille erat mansio salutis, ubi animæ justorum, a miseriis mundi liberatæ, quiescerent ac foverentur tanquam in gremio communis justorum omnium patris, Abrahæ : exspectantes interim opportunum tempus admissionis in cœlum, et beatitudinis absolutæ. — Hujusmodi receptaculum justorum, Christi ætate, vulgo vocabatur *sinus Abrahæ ;* quemadmodum e diverso, locus damnatorum, *gehenna.*

Dicitur autem *sinus Abrahæ*, ut significetur remota quædam et secreta sedes quietis in societate Abrahæ, qui, tanquam communis pater omnium credentium, filius suos ibi colligit. Metaphora enim est, desumpta ab humano sinu, quo solent excipi, condi et foveri pueruli, quos parentes tenere diligunt,

pueruli præsertim gravius quid perpessi. — Dicitur *Abrahæ* sinus, non Adæ protoparentis, vel justi Abel, qui longe ante Abraham in hunc locum descenderant : quia Adam sacris litteris non aliter est notus, quam ut peccator et transgressor; nec ullus alius præter Abraham exhibetur ut *pater credentium* atque electorum, cui promissiones salutis sunt factæ, ipsi nempe et posteris ejus : *Quam olim Abrahæ promisisti et semini ejus.* Et quidem hinc factum est, ut etiamnum Ecclesia *sinum Abrahæ* metaphorice usurpet pro cœlo, animam defunctam sic orando alloquens : *Suscipiat te Christus qui vocavit te, et in sinum Abrahæ angeli deducant te.*

Idem ille sinus Abrahæ, seu limbus Patrum, in symbolo Apostolorum vocatur *infernus*, ubi dicitur Christus *ad infernum*, seu, quod idem est, *ad inferos* descendisse. Atque idcirco vocatur locus *infernus*, quia subterraneus; distinctus tamen ab inferno inferiore, qui locus pœnarum est, ex quo legitur infra damnatus epulo elevasse oculos ad Abraham, quem vidit a longe (1). — Quod si dicitur Christus in eumdem locum, quo Lazarus portatus est, descendisse, longe tamen alia ratione eo devenit. Non enim ut captivus, descendens in carcerem; sed ut victor, qui alios illo carcere liberaret, et tandem secum in cœlum transferret. Nam tametsi limbus esset locus quietis et salutis; tamen carcer erat comparatione cœli, qui absolutæ beatitudinis locus est. Jam vero Redemptor carcerem illum aperuit, dum post mortem descendens ad inferos, animas justas illic visione beatifica donavit, easque post quadraginta dies, secum in cœlos deduxit: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem.* Eph. IV, 8.

In infernum ergo Abrahæ sinum Lazarus mendicus ab angelis fuit portatus : et quem dives epulo tecto suo non receperat, hunc Deus hominem Abrahæ et Sanctorum omnium consortio adjunxit. — At quonam Lazari merito? An eo solo quod in hac vita pauper fuerit? Nequaquam, sed merito patientiæ : implicite enim significatur, ita fuisse pauper ac mi-

(1) Quæ ad locum seu situm inferni pertinent, etsi in Scriptura et Patribus fundata, fide tamen definita non sunt. Cf. *Elementa Theol. dogm.* tract. 19, *De novissimis.* nn. 46, 63-69.

ser, ut timuerit Deum, ut paupertatem et ærumnas æquanimiter tulerit, tanquam profectas a Dei manu; ut nemini, nec ipsi epuloni immisericordi, convicium dixerit, aut male precatus fuerit; ut non obmurmuraverit, nec providentiam Dei accusaverit : sed patientia probatus consummaverit opus perfectum.

Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.

Similiter, nec secus ac pauper, *et dives*, nihil divitiis a morte defensus, tandem *mortuus est;* et delatus est in locum suum, at diversum a loco Lazari.

Et sepultus est in inferno (1) : id est, sicut sepultum est corpus ejus in terra ab hominibus, ita anima demersa est in pœnas inferni a dæmonibus. Nam antithesis Lazari ab angelis deducti insinuat, divitis animam corpore egressam, ab angelis malis abreptam esse; et ex altera parte, sepultura ista infernalis profunditatem pœnarum significat. Ut enim in domo Patris, ita in inferno mansiones multæ sunt, illic sublimitate, hic profunditate, pro cujusque meritis distinctæ.

Sepultus est *in inferno*, id est, ut infra dicitur, *in loco tormentorum*. Vox *infernus*, seu *inferi*, latiore sensu accepta, tria animarum receptacula designat : limbum Patrum, purgatorium, et gehennam; hic autem sensu stricto sumitur pro gehenna ignis.

Quæritur autem, quæ fuerit proprie causa damnationis ejus? — Ex toto narrationis contextu colligitur causa duplex : 1° vita sensualis, seu abusus divitiarum, quas dives ille, neglecta temperantia, in vitam sensualem unice impendit, in hac suum finem constituens. — 2° Præsertim vero inhumanitas erga pauperes. Quod si egenos, et nominatim Lazarum illum præsentem misericorditer adjuvisset, facile ipsi Deus intemperantiæ vitia condoñasset, eumque Laza-

(1) In textu græco hæc plerumque habetur interpunctio : *mortuus est autem et dives, et sepultus est. Et in inferno elevans oculos suos, cum esset in tormentis*... Lectio autem et interpunctio Vulgatæ, sententiam exhibet pleniorem, qua *sinui Abrahæ* opponitur *infernus;* et *delationi* in sinum Abrahæ, *sepultura* in inferno.

rus secum in sinum Abrahæ attraxisset; sed *judicium fuit sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Jac. II, 13.

Elevans autem oculos suos, quum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus.

Hic incipit pars narrationis, quæ, ut diximus, mere parabolica esse a multis censetur. Quod si dicatur non ficta, sed vera quoque hic dari narratio commercii inter mortuos, sicut præcedens fuit historia gesta inter vivos; admittendum saltem erit, in hac parte esse multa metaphorice intelligenda. Scilicet exhibentur inter se colloquentes animæ, corporibus exutæ, quasi adhuc corporeis organis uterentur : qui metaphoricus sermo usurpatur, ut ita futuræ vitæ status, qui usque ad diem resurrectionis plane spiritalis erit, repræsentetur corporaliter et accommodate ad captum nostrum; quemadmodum subinde etiam Deo corporea membra tribui solent.

Etenim non facile intelligeretur, præsertim a rudibus, defunctos sine oculis vidisse, sine lingua locutos, sine corpore cruciatos. — Hujusmodi quidem sensibilia, quæ vel ad pœnam sensus, vel ad gaudium sensus pertinent, animæ defunctorum vere experiuntur : at modo peculiari, sine corporis organis, Deo nimirum omnipotentia sua sensuum officium supplente. Nos autem cum non cognoscamus nisi modum communem percipiendi sensationes, nempe per organa, ideo Dominus nostro captui sermonem accommodans, defunctis animabus tribuit oculos, digitos, linguam, etc. : quæ proinde metaphorice intelligenda sunt, significantque visum, tactum, etc. animabus proprium.

Non vero sicut corporis membra, ita etiam metaphorice intelligenda est *flamma*, in qua dives cruciatur. Etenim 1° ignem gehennæ esse materialem atque corporeum, doctrina est in Ecclesia communiter recepta, et ita certa, ut absque temeritate, imo, coram populo, absque gravi scandalo in dubium revocari non possit. — 2° Quoniam ignis corporeus agit in animam, eamque affligit mediantibus sensibus; nihil

obstat quin, Deo virtutem ignis elevante, agat in animam immediate, ac sine sensuum adminiculo. Ergo ubi dicitur dives *cruciari in flamma*, necesse non est flammam intelligere metaphorice; imo potius sensu proprio corpoream flammam, a Deo in instrumentum justitiæ accensam, significari dicendum est.

Quibus præmissis, facile textus sacer intelligetur. — Quod dicitur dives *elevans oculos suos*, intellige, ex abysso profunda, in qua sepultus jacebat, considerans altiores regiones, mentis oculos seu intellectum in ea quæ supra se erant, dirigendo.

Dicitur *quum esset in tormentis :* ut significentur tormentorum diversa genera, alia damni, alia sensus, et utraque varia ac multiplicia. Jam vero, tormentis pressus, ille Lazari meminit, et apud se cogitavit quonam modo cum illo nunc ageretur, qui tam miseram vitam egerat in terra.

Tunc *vidit Abraham a longe :* id est, cognovit Deo revelante, Abraham patrem suum in loco, alte supra locum tormentorum posito, quiete beateque agentem; — *et Lazarum in sinu ejus*, id est, eodem quo Abraham loco, ejusdem cum eo quietis felicitatisque participem. — Aspectus ille, ut patet, reprobo novum tormentum infligit.

Et ipse clamans dixit : Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam : quia crucior in hac flamma.

Videns itaque Abrahamum et Lazarum bonis fruentes, ad eorum opem sibi misero implorandam vi naturæ impellitur. *Et ipse clamans dixit* : mentis hic locutio intelligenda est. Dicitur *clamare*, miserabili nempe voce, ut vehementia desiderii, vis dolorum, et loci longinquitas exprimatur.

Pater Abraham... Alloquitur Abrahamum potius quam alium, non tantum ut patrem de quo confideret; verum etiam ut principem et rectorem loci illius. — Etsi indignus filius, Abrahamum etiamnum *patrem* appellat, ut eum benevolum sibi faciat, significando sese non gentilem esse aut alienum.

Miserere mei : mendicantis instar commiserationem movere conatur, ut inde ulterius sequatur sui solamen quod exquirit. Porro petit solamen levissimum, guttulam aquæ, ministerio Lazari sibi tribuendam.

Dicit : *Mitte Lazarum*, -1) quia Abraham ipsum venire non decebat; -2) quia persuasum ipsi est, Lazarum, cujus perspectam habet longanimitatem, non gravate id facturum, et paratum esse bonum reddere pro malo; præsertim patre Abraham jubente. -3) Ut pateat, quomodo nunc opem desideret ejusdem pauperis, cui olim in vita opem denegavit.

Ut intingat extremum digiti sui in aquam : id est, ut vel guttulam, quæ adhæreat extremo digito, tribuat mihi. Opponitur enim gutta micæ, ut Augustinus adnotat.

Ut refrigeret linguam meam, in qua maxime per sitim ardentem affligor; et hoc refrigerio vel modicum mihi levamen afferat. — Porro maxime torquetur in *lingua*, quia lingua maxime peccaverat, epularum intemperantiæ indulgendo : *Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur* (Sap. XI, 17). — Causam autem cur refrigerium aquæ postulet, explicat dicens :

Quia crucior in hac flamma : id est, horrendis doloribus torqueor immersus in hac flamma, quæ tanquam instrumentum divinæ justitiæ meam animam cruciat. — Hanc autem flammam non prorsus extingui precatur, aut sese ex inferno liberari; desperat enim id obtinere se posse; sed modicam dumtaxat refrigerationem flagitat, quæ tamen ei negabitur. Scilicet aquæ guttula negabitur illi, qui micas panis negavit pauperi. Respondit enim Abraham :

Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est...

Petitionem misero abnegat Abraham duplici allata ratione : 1° quia obstat rectus ordo justitiæ; 2° quia insuper impossibilis res est, separatione impervia divinitus constituta.

Fili, recordare... Sedate Abraham et mansuete etiam damnato respondet, instar judicis, qui cum tranquillitate judi-

cat. — Imo, vocatus *pater*, non denegat illi nomen *filii*, quod ei ratione originis competebat. Dicit autem *fili*, non amoris affectu, sed causa pungendi conscientiam ejus, qui non se gesserit ut filium Abrahæ deceret.

Quod jubet eum *recordari*, demonstrat manere in damnatis memoriam transactæ vitæ, personarum, gratiarum, peccatorum, bonorumque temporalium. *Ad pœnam suam ei et cognitio servatur et memoria.* Gregor. hom. 40.

Recordare, inquit, *quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris...* Quasi diceret : Habuisti in vita, ea quæ voluisti bona, temporalia nempe spretis æternis ; Lazarus eodem vitæ tempore, toleravit mala temporalia pro bonis æternis a Deo promissis; ideo in altera vita rectissime contingit, ut Lazarus consoletur, tu vero crucieris. — Exigit enim justitia divina, ut qui in hoc sæculo bona temporalia præposuerint æternis, ob quæ creati essent, in altero sæculo æternis malis absque ullo solamine affligantur ; contra vero, ut qui in hac vita miserias de manu Dei æquanimiter acceperint, in altera, pro patientia sua solamen accipiant, ac vitam sine ullo dolore beatam.

Quia recipisti bona (græce, *bona tua*, τὰ ἀγαθά σου), nempe sanitatem, divitias, epulas, etc. Ista fuere bona a te existimata ; at nequaquam vera bona, siquidem æterna mala parturierunt. — Hæc *recepisti*, id est, quæsivisti, amasti, tenuisti tanquam sola bona, tanquam partem ac portionem quam tibi elegeras : in his collocans felicitatem tuam, atque his contentus. Sic fere de Pharisæis dicitur : *Receperunt mercedem suam.* Matth. VI, 2.

Hæc recepisti tu, *in vita tua* mortali ac transitoria, *et Lazarus similiter,* brevi vitæ spatio, recepit partem suam, *mala* nempe ac miserias temporales : quæ tu quidem mala censebas, sed quæ maximorum fuerunt causa bonorum. Illa Lazarus *recepit*, scilicet acceptavit de manu Dei, eaque patienter toleravit, cum spe æternæ felicitatis.

Quapropter *nunc*, post mortem mutatis vicibus, Lazarus *consolatur :* pro fame, paupertate, aliisque miseriis, magna obtinet bona. — Non quidem significatur hic consolatio perfecta, qua fruuntur nunc Beati in cœlo ; sed liberatio ab

ærumnis hujus vitæ, conjuncta cum suavissima exspectatione cœli mox aperiendi, in qua conquiescebant justi in limbo.

Tu vero cruciaris : spoliatus omni bono, temporali et æterno, affligeris malis, quæ non metueras tanquam non eventura; cum tamen sola timenda fuissent, utpote mala æterna. Pro superbis ædibus habes tartarum, pro deliciis tormenta; pro immortali vita, quam a Deo tibi propositam sprevisti, invenisti mortem æternam.

Et in his omnibus, id est, insuper, præterquam quod Dei justitia non permittat, ut per Lazarum levamen aliquod cruciatuum tibi præstetur; etiam impossibile est id fieri, quamvis maxime vellemus. Etenim,

Inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. — Quod dicitur *firmatum esse chaos*, id est, hiatus magnus, seu ingens inane spatium (græce χάσμα μέγα) immutabili Dei decreto constitutum est. Quo significatur, primo, vera loci distantia, quæ erat inter locum damnatorum et limbum justorum; secundo ac maxime, impermeabilis et æterna reproborum ab electis separatio, præcipue ut illis solatium afferatur.

Quod si ingens esset olim intervallum inter justos et reprobos, dum utrique in terræ visceribus agerent; longe major nunc separatio est inter supremum seu empyreum cœlum, ubi sedes Beatorum, et centrum terræ, ubi carcer reproborum communiter a doctoribus constituitur.

Hoc itaque Abrahæ responso ille repulsam passus, nec mitigationem cruciatuum consecutus, pergit rogare ne saltem augeantur cruciatus sui.

Et ait : Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

Rogat jam, ut Lazarus, resumpto corpore, adeat fratres suos in terra viventes, eosque monitis avertat a damnati fratris

consortio. — Dices : Damnati in malitia sunt obdurati, odio Dei et hominum repleti, nec cuipiam, etiam amico vel fratri bene volunt; quomodo ergo dives iste optat, ut fratres sui evadant pœnas inferni? Respondetur, epulonem non tam fratribus quam sibi voluisse consulere; nam damnatio fratrum damnationem ipsius ac tormenta auxisset, eo quod fratres exemplo suo ad eamdem vitæ dissolutionem et immisericordiam provocaverat.

Rogo, inquit, *ut mittas eum in domum patris mei*, id est, in domum paternam ac familiam meam : quandoquidem chasma simile non impediat vos ad mortales transire, qui in mundo degunt. — *Habeo enim quinque fratres*, qui deliciis ac voluptatibus carnis, sicut olim ego, indulgentes, et pauperum obliti, similiter in hanc miseriarum sortem devenient. — Quapropter *testetur illis*, id est, tanquam testis oculatus eorum quæ hic geruntur, testimonium perhibeat eis de mea reprobatione; atque ita docendo eos moneat et contestetur, ut pœnitentiam agentes caveant, *ne et ipsi*, mea vestigia porro sequentes, *veniant in hunc locum tormentorum*. — Et istud petitum denegat Abraham, quia superfluum.

Habent Moysen et prophetas : audiant illos. At ille dixit : Non, pater Abraham : sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi : Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Nihil, inquit, necesse est, propterea Lazarum avocari a quiete sua, et ad vitam mortalem per miraculum redire : *habent* enim fratres tui doctores et admonitores suos, quos Deus illis providit. Habent *Moysen et prophetas*, loquentes sibi in libris Scripturarum, qui publice ipsis proponuntur, et sabbatis singulis leguntur in synagogis : hi scilicet de tormentis inferorum, de vita recte instituenda, et pœnitentia agenda, accurate docent atque testantur.

Audiant illos, id est, credant atque obediant illis : et non erit opus ex mortuis audire quid hic geratur; sed certo cer-

tius a loco isto tormentorum præservabuntur. — Quod si sufficienter viam salutis docebant libri Testamenti veteris, multo tamen plenius et clarius eam ostendunt libri Testamenti novi, quos prioribus Deus misericorditer addidit, postquam *novissime, diebus istis, locutus est nobis in Filio.* Hebr. I, 2.

Responso Abrahæ non acquiescit ille, sed insistit dicens : *Non, pater Abraham :* quod referendum est ad secundam partem sententiæ superioris, et significat : *Non audient illos.* Etenim præsto esse Moysen et prophetas, quos audire sufficiat, negare non potest; sed negat fratres suos id esse facturos. Propterea monitionem illis extraordinariam postulat, quam censet efficacem fore.

Porro ita sentit, et de fratribus suis tali modo judicat, partim ex cognitis eorum moribus, partim ex semetipso. Ipse enim dum in vivis ageret, non movebatur Moysis aut prophetarum exhortationibus; nec iis comminantibus credebat talia supplicia manere amatores mundi, qualia nunc experitur. Sicut ipse fuit affectus, inquit Chrysostomus, sic opinionem habet et de fratribus suis. Ideo dicit :

Non; sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent : id est, si quis defunctus, quem noverint in vita, qualis Lazarus, resurrexerit, eosque adierit, declarans se ideo jubente Deo a morte resurrexisse, ut certiores eos faciat eorum quæ apud inferos geruntur; et in particulari cruciatuum, quos ego hic sustineam ob vitam voluptuose traductam : tunc scilicet, rei novitate, vel timore vel horrore stimulati, *pœnitentiam agent.* — At inanem hanc et fallacem esse persuasionem ostendit Abraham, dicens :

Si Moysen et prophetas, quorum est sacrosancta auctoritas, et fides divinitus confirmata, *non audiunt*, monitis eorum credendo et obediendo; *neque si quis ex mortuis resurrexerit*, ejus monitis *credent :* tantum abest ut acturi sint pœnitentiam. Dicent enim, esse phantasma, esse illusionem diabolicam, et ita reditus Lazari offensioni potius erit quam fructui.

Quod duplici exemplo patuit esse verissimum : videlicet exemplo Lazari, fratris Magdalenæ, quem redivivum Judæi interficere voluerunt; et ipsius Christi, cujus resurrectionem,

quamvis a prophetis prædictam, nihilominus Judæi credere noluerunt (1). — Major utique ac certior est Scripturæ, atque Ecclesiæ eam proponentis auctoritas, quam cujusvis, qui vel ex mortuis resurgeret, vel privata etiam, si fieri possit, miracula afferret. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* II Pet. I, 19.

Atque ita dives epulo, omnium precum suarum passus repulsam, manet in perpetuis tormentis; quia *qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit et non exaudietur.* Prov. XXI, 13.

—

Explicatio secunda.

Historia divitis epulonis et pauperis Lazari, quam Christus Dominus noster tanquam exemplum nobis retulit, plures nobis veritates maxime salutares præ oculis ponit.

1° Imprimis ostendit ex una parte, quid sit, et quo deducat abusus divitiarum; ex altera vero, quid sit et quo deducat bonus usus paupertatis atque ærumnarum hujus vitæ....

2° Exemplum exhibet vitæ patientis et vitæ voluptuosæ: quo ex una parte vivam effigiem exhibeat justorum, qui suæ passionis calicem bibunt; ex altera vero peccatorum, qui calicem Domini spernentes, Babylonicum poculum bibunt: quod, quia honores ac divitias repræsentat, S. Joannes *aureum* esse dicit, at simul *plenum abominatione et immunditia.* Apoc. XVII, 4.

3° Exemplum felicis mortis justorum, — et e contra, infelicissimæ mortis peccatorum....

4° Exemplum æternæ damnationis, quo vivida quadam imagine ostenditur infernus apertus, et supplicium reproborum.

5° Exemplum avaritiæ ac duritatis erga pauperes, in divite epulone, cujus vita, — mors, — et damnatio considerari potest.

(1) Cf. Augustin. *Quæst. Evang.* lib. 2, q. 38.

6° Exemplum paupertatis, sancte et christiane toleratæ, in Lazaro, cujus similiter vita, — mors, — et præmium æternum potest perpendi.

7° Duæ personæ a Domino propositæ, repræsentant quoque duas hominum classes : illorum nempe qui dicuntur beati in hoc sæculo, et illorum qui miseri ac infortunati videntur; — ut intelligamus quantum judicia Dei discrepent a judiciis hominum.

8° Duo homines simul, etsi diversa ratione, vitam transigentes, quorum unus salvatur et alter damnatur,— ostendunt nobis quæ sit via cœli... quæ vero via inferni.

Jam in particulari verba Domini inspiciamus. Primo quidem, ea quæ ad Lazarum spectant; deinde, quæ ad divitem, ejusque damnationem.

Erat quidam mendicus, nomine Lazarus....

Ut exemplum Lazari practice, juxta mentem Domini, intelligatur, considerari potest tum hujus hominis miseria ac patientia in vita, tum felicitas in morte et in æternitate.

I. *Lazari miseria.* Est enim 1° homo infirmus, adeo ut jaceat, laborare aut ullo modo sese juvare non valens, doloribusque confectus. — 2° Egenus, tecto, victu, amictuque destitutus. — 3° Ab omnibus derelictus, imo despectus, nec alios amicos aut socios habens præter canes. — 4° Fame crudeli pressus, nec recipiens vel micas de mensa divitis...

II. *Lazari virtus ac patientia.* — 1° Non est sicut multi, mendicus pravus, piger, sua culpa in paupertate ac vitiis sordescens; sed divina Providentia sic volente infirmus, adeoque necessaria paupertate afflictus. — 2° In omnibus miseriis tam patiens est, ut neque conqueratur, neque irascatur, sive hominibus sive Providentiæ... sed omnia de manu Dei recipiat... ac toleret usque ad mortem. — Itaque ærumnis patienter toleratis pervenit Lazarus ad sanctitatem tantam, ut eam Christus voluerit in exemplum proponere. Imo videtur Dominus in Lazari afflictione ac patientia propriam passionem delineasse, in qua et ipse fuit vulneribus plenus, in extrema paupertate ab omnibus derelictus. *In siti*

mea potaverunt me aceto (Ps. XLVIII). — Vere itaque *patientia opus perfectum habet : ut sitis,* inquit S. Jacobus, *perfecti et integri, in nullo deficientes.* Jac. I, 4.

III. *Lazari felicitas.* — Hominum oculis ac judicio miserrimus est; oculis Dei non item. Ideo Christus ejus historiam narrat tanquam exemplum laudabile ac imitandum; voluitque ejus nomen mundo revelare, ut in Evangelio suo scriptum, perpetuo in honore esset. Unde pauperes et contempti intelligant, se non esse in oblivione apud Deum.

1° Beatus fuit Lazarus in vita, in ipsis suis miseriis : beatus nempe conscientiæ suæ pace,— beatus oratione atque commercio cum Deo suo, — beatus spe futuræ mercedis....

2° Beatus in morte. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (Ps. CXV). Mors ipsi fuit finis ærumnarum ac laborum, initium vero requiei et gaudiorum. — Morituro omnia fuere jucunda : præteritum, plenum meritis; vel si quid peccaverit, feliciter expiatum; —præsens, plenum consolatione : adest enim Deus totius consolationis; adest mors, non ut spoliatrix, sed ut liberatrix e carcere; adsunt angeli, qui animam ejus portent in sinum Abrahæ.

3° Beatus in æternitate : illic absterguntur lacrymæ, illic paupertas mutatur in abundantiam omnium bonorum... Illic beatus evadit secundum animam, — beatus secundum corpus, in resurrectione futura, cum *reformabitur corpus humilitatis ejus, configuratum corpori claritatis Christi.* Phil. III, 21.

Exemplo Lazari opponit Dominus exemplum divitis epulonis.

Homo quidam erat dives... mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.

Consideranda proponitur hujus divitis vita, mors, et damnatio æterna.

I. *Vita* mali divitis ita a Domino describitur : *Induebatur,* inquit, *purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide... et Lazarus jacebat ad januam ejus.* Quibus verbis ostenditur,

tum abusus divitiarum, tum peccata plurima ex divitiis progenita.

1° *Abusus divitiarum.* Nam dives ille, quæ a Deo bona terrena accepit eo fine, ut ea, præter convenientem sui sustentationem, in eleemosynas aliosque bonos usus, tanquam Providentiæ œconomus dispensaret; omnia convertit in propria commoda, in alimenta passionum....

2° *Peccata divitis :* -1) superbia, quam indicat purpura vestimenti et splendor epularum; -2) mollities, quam indicat byssus; -3) gulositas, quam indicant epulæ quotidianæ; -4) avaritia, quam indicat sordidus ille amor sui, quo omnia sibi reservat, nihil in proximorum utilitatem expendens; -5) crudelitas, quam denotat neglectus Lazari, cui denegat vel micas suæ mensæ, quas potius canibus suis relinquit.

Præter ista peccata, quæ Domini verbis explicite innuuntur, dici potest, divitem illum habuisse peccata ac vitia reliqua ex spiritu mundano pullulantia, quo spiritu prorsus imbutus ostenditur, quique aliud non est quam concupiscentia plena et omnimoda : *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitæ.* I Joan. II, 16.

II. *Mors.* — *Mortuus est et dives :* nam et ad hunc terminum, non minus quam pauper, tandem deducendus est; mortuus est autem morte pessima (1) : tum quia homo divitiarum, seu divitiis male adhærens, tum quia peccator.

1° Quia homo divitiarum : *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!* (Eccli. XLI, 1). Etenim hujusmodi homini mors est -1) finis omnium bonorum, seu vanitatum ejus : voluptatum, honorum, divitiarum. *Dormierunt somnum suum : et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (Ps. LXXV). —2) Initium omnium malorum. Jam in lecto mortis miserrimus est.... mox vero mortuus, miserior : quando anima decidit in infernum, et corpus in putredinem sepulchri. Imo ipsa ejus memoria in oblivione et exsecratione erit coram Deo; ideoque Christus

(1) Cfr. *Adjumenta oratoris sacri*, argum. 19, schema 3, *de morte peccatoris.*

vitam divitis enarrans, eum nec nominare voluit: ut ostenderet quantopere ipsum detestaretur ac sperneret, cujus nomen ex libro vitæ esset deletum, et quantum vellet nullam ipsius apud homines manere memoriam.

2° Quia peccator. — Etenim *mors peccatorum pessima* (Ps. XXXIII) : pessima scilicet, -1) ratione præteriti, quod videt miser iniquitatibus plenum, bonis operibus vacuum; -2) ratione præsentis, quo tanquam præda traditur doloribus, — exspoliationi omnium, — sine solamine, sine remedio..... -3) Ratione futuri, ubi prospicit, in hoc mundo, rapacitatem hæredum ; — in altero mundo, iram Dei viventis...

III. *Damnatio ejus.* — Est damnatio acerbissima, et peccatis proportionata.

1° Acerbissima : nam -1) patitur tormentum ignis : *Quia crucior*, inquit, *in hac flamma* (1).—2) Patitur sine solamine, vel unicam aquæ guttam non impetrans. — 3) Patitur sine spe : *Chaos magnum firmatum est* (2)...

2° Damnatio peccatis ejus proportionata. *Potentes autem potenter tormenta patientur* (Sap. VI, 7). — *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum* (Apoc. XVIII, 7). — Nimirum -1) exaltavit se superbe, ideo humiliatus est, et sepultus in inferni profundo, unde elevans oculos vidit Lazarum a longe. -2) Carnem suam inordinate fovens, nutrivit cum vitiis et concupiscentiis suis, deliciisque saturavit; ideo nunc flammis immersus cruciatur.... -3) Ore ac gula peccavit; ideo nunc punitur in lingua, et siti torquetur.... -4) Divitiis abusus est; ideo nunc pauperrimus mendicare cogitur.... -5) Ipse pauperes dereliquit; ideo nunc ab omnibus ipse derelinquitur : et qui negavit micas Lazaro aquæ guttulam frustra petit....

(1) Cf. Item *Adjumenta*, argum. 22, *de Inferno*.
(2) Ibid. argum. 18, *de Æternitate*.

Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.

En mutatio status post hanc vitam, et vicissitudo gaudii aut luctus, quæ per mortem inducitur. Dives epulo in deliciis hujus mundi transegit vitam suam, et nunc est in doloribus; Lazarus vero in patientia vitam consumpsit, et nunc consolatur : ut discamus fore ut gaudium hujus mundi mutetur in luctum, luctus vero in gaudium.

Ergo 1° nemo potest paradisum habere in hac vita, et paradisum in futura....

2° Nemo cum Christo calicem amaritudinis bibens in hac vita, alterum calicem amaritudinis inveniet in altera; sed quicumque perseveraverint cum Domino in tribulationibus, erunt *edentes et bibentes super mensam ejus in regno ejus.* Luc. XXII. 30.

3° Eligendum est : vel gaudium in hoc mundo, breve, fallax, incertum.... vel gaudium in futuro, verum, certum, æternum.... — Acceptanda est, vel tribulatio in hac vita, levis, momentanea, quam imponit jugum Domini.... vel tribulatio in inferno, gravissima, nec unquam finienda.....

Ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

Ita monent mortui damnati suos fratres, adhuc viventes, et brevi quoque morituros; quasi dicerent : Cavete, ne et ipsi veniatis vos in hunc locum tormentorum; non minus enim quam ego fui, vos periculo expositi etiamnum estis. — Audiant ergo viventes monitum mortuorum, et alieno periculo sapiant.

1° Quicumque in hoc mundo degunt, quantumvis sanctos se existiment, expositos se esse sciant periculo damnationis. Eadem enim vivunt in conditione; in qua illi vixerunt qui nunc reprobi existunt : sicut illi fuerunt, ita ipsi sunt homines fragiles et mortales, qui nempe peccare possunt et in peccato mori, adeoque incidere in infernum.... Ergo ne funesta securitate dormiant; sed vigilent, et caveant ne in-

cidant in peccatum, *ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum....*

2° Illi præsertim caveant oportet, qui jam in peccato sunt constituti, qui eadem via ambulant qua reprobi ambularunt: via divitis epulonis... Via Judæ... via Cain... Nisi ex hac pedem retrahant et convertantur, similiter perituros se esse sciant... Ingrediantur ergo viam Lazari, viam Christi, viam christianæ patientiæ et pœnitentiæ.... Pœnitentiam agant dum tempus durat, *ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum* (1).

3° Quænam sunt præsidia, quibus a damnatione tuti esse possimus? —1) Odium ac fuga peccati... -2) Sacramentorum et orationis frequentatio... -3) Misericordia in pauperes... -4) Patientia christiana juxta exemplum Lazari... -5) Cultus B. Mariæ Virginis.

Neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

1° His verbis declaratur certitudo religionis ac veritatum fidei : quæ certitudo tanta est, ut illam superet quam a mortuis ex inferis redeuntibus acccipere possemus. *Testimonia, tua, Domine, credibilia facta sunt nimis* (Ps. XCII). — De cæterò, resurrectione mortuorum non caremus : tota fides nostra in resurrectione hominis mortui fundata est, nimirum in resurrectione Christi... Et nihilominus quam multi credere nolunt! — Non ergo deest ex parte fidei certitudo vel claritas ; sed potius ex parte hominum, bona voluntas....

2° Iisdem verbis necessitas ostenditur credendi verbo Dei, nobis per Ecclesiam tam clare proposito. — Quam quidem fidem habebimus, si -1) instructionem sacram non negligemus ; -2) si. fuerimus humiles, ut animo docili documenta fidei audiamus, et supplici prece donum fidei a Deo flagitemus, dicentes cum Apostolis : *Domine, adauge nobis fidem.* Luc. XVII, 5.

(1) Cf. *Adjumenta oratoris sacri,* argum. 23, *de portis Inferni.*

—

SABBATO

INFRA

HEBDOMADAM SECUNDAM QUADRAGESIMÆ.

Evangelium de filio prodigo.

Luc. XV, 11-32. Dixit Jesus Pharisæis et Scribis parabolam istam : Homo quidam habuit duos filios. Et dixit adolescentior ex illis patri : Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et divisit illis substantiam. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse cœpit egere. Et abiit, et adhæsit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam ut pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant; et nemo illi dabat. In se autem reversus, dixit : Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo ! Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum, et coram te : Jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis. Et surgens venit ad patrem suum. Quum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum. Dixitque ei filius : Pater, peccavi in cœlum, et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad servos suos : Cito proferte stolam primam, et induite illum, et

date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus : et adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus et epulemur : quia hic filius meus mortuus erat, et revixit ; perierat, et inventus est. Et cœperunt epulari. Erat autem filius ejus senior in agro : et cum veniret et appropinquaret domui, audivit symphoniam, et chorum : Et vocavit unum de servis, et interrogavit quid hæc essent. Isque dixit illi : Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit. Indignatus est autem, et nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum. At ille respondens, dixit patri suo : Ecce tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum præterivi, et nunquam dedisti mihi hædum ut cum amicis meis epularer : sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. At ipse dixit illi : Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt : epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est.

—

Explicatio prima.

Ultimis mensibus anni tertii prædicationis suæ, cum Dominus esset in Bethabara trans Jordanem, ibique peccatores benigne reciperet; murmurabant Pharisæi, quod homines peccatis inquinatos a se non repelleret. Illis Dominus ut respondeat, tres proponit parabolas, quibus Dei erga peccatores misericordiam ostendat : primam de ove perdita, alteram de drachma perdita, tertiam de filio item perdito, qui *filius prodigus* vocari solet.

Tertia hæc similitudo prioribus amplior est, et non tantum indicat misericordiam Dei erga peccatores, sed etiam describit vitam perditam peccatoris, illius pœnitentiam, fa-

cilem Dei condonationem, obmurmurationem denique justorum, aut qui justi sibi videntur. — Præterea parabola filii prodigi, etsi ad eumdem finem spectans ac præcedentes, tamen eo differt, quod illæ significent quidem quanta cura Dominus requirat reversionem peccatoris; hæc vero, quanta benignitate et lætitia suscipiat revertentem : ita ut sit quasi appendix præcedentium, et explicatio illius gaudii, quod Deo totique cœlo affertur conversione peccatorum : ut sic amplius confundantur Pharisæi, qui murmurabant quod Dominus cum peccatoribus versaretur.

Summa narrationis parabolicæ est hæc. Homo quidam habuit duos filios. Minor natu patrem dereliquit et miserrimus factus est. Deinde vero culpæ pœnitens rediit ad patrem, a quo benignissime receptus est, et læto convivio recreatus. — Frater ejus major hanc lætitiæ significationem ægre tulit, quare a patre suaviter reprehensus est.

Tres parabolæ partes distingui possunt :

I. *Discessio et subsequens miseria filii.*
II. *Ejus reditus ad patrem.*
III. *Querimonia fratris.*

Homo quidam habuit duos filios.

Homo ille paterfamilias dives erat et nobilis, ita ut domum haberet mercenariis, pane, rebusque omnibus abundantem. Erat quoque bonus, filiorum amantissimus, ita ut semper cum ipsis esset eisque omnia sua bona quantum posset communicaret, sicut majori nato dixit : *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt.*

Habuit duos filios sibi dilectos. Filii quidem erant indolis diversæ, ut mox patebit; — felicissimi tamen filii, cum patrem habentes tam bonum, nulla re carere possent, quæ ad verum suum bonum conferret; — imo felices mansuri, dummodo manerent apud patrem ejusque ductum sequerentur. Verum alter ex duobus beatæ suæ sortis tædium concepit, et a patre discedere voluit.

Et dixit adolescentior ex illis patri.

Non ut debitam gratitudinem et pietatem demonstret accedit ad patrem ; sed ut consilium discedendi manifestet, atque ita paternum cor summo dolore afficiat.

Adolescentior id agit : quia solet ætas illa minus sapere, esse inconstans, avida libertatis ac voluptatis, seductioni obnoxia.

Dixit patri : non de repente patrem sic alloqui ausus fuerit, et ab eo se separare ; sed gradatim ab eo discedendo et cum extraneis conversando, eo devenisse censendus est. Scilicet, ut fieri consuevit, adolescens ille imprudenter adulatoribus ac seductoribus, potius quam patri, aurem præbuit, et inde promissionibus falsis, et vana libertatis imagine delusus, finxit sibi miras delicias alibi in remotis regionibus inveniendas. — Inde tædium paternæ domus atque auctoritatis, fastidium domesticæ suavitatis, desideria et aspirationes pravæ, quibus demum sese tradidit. Hinc filiali sensui cor clauditur et spiritu arrogantiæ, ingratitudinis ac duritatis erga patrem impletur : ita ut abeundi propositum concipiat et exsequatur.

Sic autem vult abire, ut asportet secum bona sua ; vult enim iis uti pro libitu, atque ita jucunditatibus frui quas meditatur. Quare dixit patri :

Da mihi portionem substantiæ quæ me contingit.

Sensus est : Da mihi partem *substantiæ,* id est, facultatum tuarum, seu hæreditatis, quæ ad me pertinet, quæ mihi debetur ut filio, quamque daturus mihi esses si uxorem ducerem, aut relicturus si morereris.

Quæ me contingit, Debebatur vi legis (Deut. XXI, 17) primogenito duplex pars ; itaque adolescenti obtingebat pars tertia paternarum facultatum.

Brevis hæc petitio adolescentis filii superbiam spirat quoad rem, et irreverentiam quoad modum : quasi dicat : Pater, jam ad justam ætatem perveni, jam prudens sum satis

ut ipsemet bona mea regere queam, nec opus est diutius de tua gubernatione pendere. Assigna ergo meo libero usui partem meam hæreditariam, ut libere ea utar : id jure meo postulo : *Da mihi.* — Quod insolens filius velut sibi debitum requirit, nequaquam ei jure debetur. Nulla enim lege vel consuetudine obligatur pater, ut, dum vivit, bona sua filiis suis dividat : non tamen vetatur id facere, si velit. Atque in hac parabola pater petitioni filii acquiescere dicitur, quia repræsentabat Deum, qui unicuique homini bene vel male vivendi libertatem concedit.

Et divisit illis substantiam.

Divisit scilicet bona sua inter filios, ita ut partem juniori traderet, partem vero primogeniti in suo dominio retineret. Non tamen prudens ac bonus pater id confestim fecisse censendus est. Sed, quod dubium esse nequit, prius, tum monitis, tum precibus, tum lacrymis miserum filium a malo proposito deterrere conatus est. Rogavit sane filium, cur hæreditatem postulet?.... Cur discedere velit?.... num boni quidpiam desideret?... num quid mali passus?... cur patrem sic relinquendo contristet?... quam a patre injuriam acceperit?... — Deinde ostenderit ei pater, qua fallacia juvenilis ejus ætas deludatur, quæ bona amittat, quæ mala incurrat... His autem omnibus obstinatus ille et cupidine obcæcatus, pertinaciter respondet : *Da mihi, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit.* — Itaque ingemiscens pater juveni, quæ volebat, sua bona tradidit. Quibus ille acceptis mox profectus est.

Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam.

Congregatis omnibus, id est, collectis omnibus bonis suis, quamvis copiosis, ut ea asportaret: agris nimirum et ædibus in præsentem pecuniam redactis, profectus est.

Non post multos dies, id est, paucis post diebus, et ut primum pecuniam collegit, festinavit abire. Et quidem adeo

festinavit, -1) quia fervet juventus in perficiendis omnibus conceptibus; -2) ut recederet e conspectu patris dolentis, quem sine conscientiæ stimulo videre non poterat; -3) ut quamprimum funesta sua libertate frueretur.

Profectus est, quin ullis lacrymis potuerit a patre suo retineri. Pater sane miserum filium abeuntem est prosecutus, quamdiu spem retinendi habuit; sed tandem, postquam vidit eum avertere faciem et effugere e conspectu, summopere dolens reverti compulsus est.

Profectus est autem filius *peregre in regionem longinquam*, longe sitam a domo paterna : nempe, ut quo longius abesset a patre atque ab amicis, eo liberius viveret, et ageret quæcumque intenderet et vellet. — Et revera vix eo advenit, cum satiare se delectamentis omnibus aggreditur, ut secundum spem suam sit plene beatus. At vero contrarium experietur.

Et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose.

Scilicet, mox pecuniam omnem quamvis copiosam, dissipavit *vivendo luxuriose :* nempe omnibus cupiditatibus satisfaciendo, in omni luxu conviviorum, vestium et cæterorum, quæ meretricios amores comitari solent. Certe ad hunc modum juvenes agere consueverunt, quum proprio ingenio feruntur. Nam quia, et consilii inopes, et ferventes intemperie, ad se regendos minime sunt idonei ; ubi metu aut pudore non cohibentur, projiciunt se quocumque tulerit libido, plenique dedecoris ad turpem egestatem festinant. — Adolescens ergo parabolæ, ubi semel se tradidit vitæ luxuriosæ, pergit et rapitur imprudens, donec brevi tempore dissipaverit omnia quæ in totius vitæ subsidium acceperat.

Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse cœpit egere.

Postquam omnia consumpsisset, nec haberet unde luxuriose vivere pergeret ; imo cum vix haberet unde victum sibi necessarium compararet, *facta est fames valida in regione illa*, et cibi caro pretio fuerunt emendi. Ipse ergo, vix quidquam

pecuniæ residuum habens, *cœpit egere :* id est, non modo jucunditatibus caruit, sed rebus etiam necessariis fuit privatus. — Itaque vestimenta pretiosa, et si quid aliud superfluum haberet, vendidit, ut sibi panem compararet : inedia, frigore, nuditate pressus quid faciet? ad quos amicos recurret? Postquam omnia exploravit atque tentavit frustra, coactus est herum quærere cui serviret.

Abiit, et adhæsit uni civium regionis illius.

Abiit itaque quærens mercenarii locum. Quem non statim invenit : sive nemo tempore famis mercenario indigeret, sive miser laborem petens, labori ineptus judicaretur. Demum *adhæsit uni civium regionis illius.* Non condictus fuisse dicitur, sed *adhæsisse*, seu adjunxisse se hero cuipiam; quasi ultro et supplex sese obtulerit ei, ut quovis modo inter servos ejus reciperetur, ad quodlibet officium paratus, modo fame non sineretur perire. Herus ille erat *civis regionis illius,* homo nempe peregrinus ac barbarus, qui, nesciens in quo miserum occuparet, jussit eum abire in villam ut pasceret porcos.

Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos.

Jubetur ergo abire in agrestem villam, ibique laborare inter infimos famulos; et curam suscipere, non ovium, sed immundi gregis porcorum, adeoque socius fieri et servus porcorum. Quid vilius juveni ingenuo, præsertim Judæo, cui animalia illa præcipue odiosa erant? — At necessitate coactus est obedire, adire stabulum immundum, per agros et silvas educere porcos, iisque velut servire, ut acciperet victum. Porro labore fessus, pro victu accipiebat vile alimentum porcorum, idque tam modica quantitate, ut præ fame pene moreretur. Quare partem appetebat portionis porcorum ad sedandam famem.

Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant : et nemo illi dabat.

Sicut supra humiliatio hominis est exposita, ita nunc depingitur ejus fames. — Non dicitur, *cupiebat saturari*, quia etiam qui famelici non sunt, saturari cupiunt ; sed dicitur : *Cupiebat implere ventrem suum*, quia qui admodum famelici sunt, ventrem vacuum re qualibet implere quærunt, nec fere ciborum discrimen respiciunt, dummodo rabidam famem sedent.

De siliquis quas porci manducabant. De alimento hic sermo est, quod porcis præter gramina silvarum certa hora dabatur : non a nostro prodigo, sed ab aliis, mandato præfecti, seu principis porcorum ad id deputatis, qui tum porcis, tum eorum custodi suam portionem distribuebant. — Porro *siliquæ* sunt folliculi, quibus fabæ, pisa, similiaque legumina includuntur, quique cibus est inanis, corpus potius implens quam reficiens. Vox tamen græca κεράτιον, certum fructum (1) designat, quo porci in Oriente vescuntur, sicut apud nos glandibus.

Et nemo illi dabat : id est, nemo illi dabat siliquarum quantitatem, quam ad satiandum ventrem appetebat. Non enim minus ipsi quam porcis, siliquæ certa eaque modica mensura dispensabantur, loco omnis panis et cibi. Cujus rei causa erat, tum avaritia heri, tum annonæ caritas, tum etiam conservorum erga prodigum duritas et contemptus. Miserrimus enim juvenis, qui fuerat ipse in omnes effusus ac prodigus, jam exhausta pecunia, contemptus est ab omnibus : nec invenitur quisquam, qui vel sordes loco cibi famelico subministret.

In se autem reversus dixit...

Urgente inopia et calamitate præsenti, *in se reversus est :* scilicet, ad sanam considerationem, et velut ad usum sanæ rationis est reductus, ut se suumque verum statum agnoscat. Cum enim hactenus illusionibus abreptus, extra sanam men-

(1) *Siliqua ceratonia* Linnæi.

tem, ceu extra se vagatus sit; nunc tandem, vexatione dante intellectum, tanquam expergiscens ab ebrietate vel gravi somno; et intelligens jam per experientiam discrimen vitæ domesticæ et vitæ errabundæ, recte incipit considerare ac sapere. Nimirum, 1° felicitatem prioris status cum miseria præsentis confert, suumque errorem agnoscit; 2° errorem corrigere statuit; 3° eumdem reapse et efficaciter corrigit : ita ut laudabiliter sequatur regulam rationis : Error corrigitur, ubi animadvertitur. — Itaque in se reversus dixit :

Quanti mercenarii in domo patris mei
abundant panibus : ego autem hic
fame pereo !

Opponit domum patris sui huic villæ heri barbari; se filium, mercenariis qui in domo patris sunt; demum famem ac inopiam suam, illorum saturitati atque abundantiæ

Quanti, id est, quam multi *mercenarii*, homines scilicet qui, non tantum distinguuntur a filiis, sed infimi sunt paternæ domus servi; — *abundant panibus*, id est, omni ciborum genere, aliisque rebus ad vitam necessariis copiose fruuntur, ita ut nihil ipsis desit.

Ego autem, qui non servus aut mercenarius, sed filius familias eram et habebar; — *hic*, in ista sine nomine commoratione, — *fame pereo :* id est, ego hic mercenariis longe miserior, fame, frigore, omnique labore ac miseria ita premor, ut dolores mortis sustineam, et certissime moriturus sim, nisi promptum remedium adhibeam.

Porro remedium cognoscit, et statim adhibere statuit : ut nempe redeat ad patrem, ab eoque humiliter veniam petat, et locum inter mercenarios, quorum conditionem tam bonam esse intellexit. — Hinc propositum :

Surgam et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum et coram te : jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis.

Tria facere statuit : surgere, redire, et ad pedes patris sese prosternere culpam confitendo, patrisque gratiam implorando.

1° *Surgam* igitur, inquit, ex miseria in qua jaceo; relinquam hoc servitium, quod sub principe porcorum sustineo; proficiscar ex hac regione calamitosa. — Surgam autem cito, dum vires mihi adhuc sufficiunt.

2° *Et ibo :* redibo ad patriam, quamvis longum sit iter; et ad ipsum patrem, quem misere deserui. — *Ad patrem meum*, quem clementissimum novi, quique semper *pater meus* est, et paternum cor gerit erga me, qui filii nomine indignus factus sum.

3° *Et dicam ei : Pater...* Patrem vocat, -1) ut filialem reverentiam et affectum significet, et sic ingratitudinem pristinam reparare incipiat; -2) ut hac ratione patrem ad elementiam moveat.

Peccavi : scilicet aperte culpam confiteor, nec ulla ratione excuso; — peccavi gravissime : *in cœlum*, id est, adversus Deum qui in cœlo habitat; *et coram te*, adversus te, pater mi, quem tantopere contristavi. — Notandum est, illa duo : *adversus Deum*, et *adversus te*, *pater*, quæ in parabolæ littera distinguuntur, in sensu allegorico nequaquam distingui : allegorice enim significant eumdem Deum ac Patrem nostrum, quem peccando offendimus.

Peccavi in cœlum et coram te : imo deliqui tam graviter, ut opprobrium tibi factus sim ac dedecus, indignus plane nomine filii tui.

Jam non sum dignus vocari filius tuus... Nobilitatis ac dignitatis tuæ, o pater, degener ego, excidi ex gradu filii tui : nec sum dignus a te loco filii haberi, qui tali patre indigne conversatus sum. Verumtamen, rogo te, ne a tecto tuo repellas me, hominem miserrimum, et gradu infimo inter

servos tuos me dignare : *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.*

Conceptum propositum statim exsequitur.

Et surgens venit ad patrem suum.

Impedimenta non deerant, tum ex parte principis porcorum, tum ex parte itineris conficiendi ab homine inedia fere confecto; tum ex parte ignominiæ subeundæ, cum filius familias, qui apparatu superbo abierat, oculis concivium et amicorum apparatu miserabili rediret. His vero nequaquam deterretur aut hæsitat; sed quod sapienter statuit, prompte, fortiter, integre exsequitur. Quod dictum, factum : *Et surgens venit ad patrem.*

Jam vero a patre, non tantum misericorditer, sed gaudenter excipitur; nec solum venia, sed insuper maximis beneficiis donatur.

Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.

Redeunti filio occurrit misericordia et condonatio, sicut mox humilianti se respondebit exaltatio et beneficentia. — Cum enim rediret prodigus, quamvis adhuc longe esset a paterna domo, pater ipsius, qui oculos frequenter in viam filii vertere solebat, exspectans eum, tandem *vidit illum.* Hominem videlicet seminudum, extenuatum, cui vix filii sui similitudo manebat, aspexit, et statim paterno oculo hunc esse filium suum agnovit : *Cum adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius.*

Videndo autem indigni filii vilitatem ac miseriam, non movetur contemptu, aut indignatione, aut vindictæ gaudio, ob justam quam reus patitur pœnam; sed simpliciter *misericordia motus est.* Videt enim illum *ut pater :* quæ significatio continetur verbo Domini : *Vidit illum pater ipsius.* Quare videndo filii sui miserabilem aspectum, tantopere mutatum a pristina

gratia, intimis visceribus commovetur; filiique miseriam tanquam propriam sentiens, lacrymis perfunditur.

Et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum. — En internæ misericordiæ externa significatio et effectus. Non exspectat pater donec filius accesserit, sed fertur obviam ei *currendo*, præ amoris et gaudii vehementia, quasi impatiens moræ.

Accedens autem ad filium, non abhorret ab ejus sordida paupertate, nec exprobrat fugam, nec objurgat, aut comminatur; imo vero, necdum auditis filii precibus, statim apertis brachiis, amantissimo vultu ruit in amplexum ejus : *Cecidit super collum ejus.* — *Et osculatus est eum :* en osculum amoris, signum reconciliationis, venia ultro oblata. Quibus clementiæ significationibus confirmatus, *dixit ei filius :*

Pater peccavi in cœlum et coram te : jam non sum dignus vocari filius tuus.

Non dicitur filius vicissim esse osculatus patrem, quia indignum se hoc filiali actu reputavit; sed statim ad pedes patris prostratus veniam petiit. *Pater*, inquit, *peccavi*... fideliter, prout constituerat, culpam confitens. — Hæc tamen verba : *Fac me sicut unum de mercenariis tuis*, non dicitur addidisse : sive -1) quod Evangelista id intelligendum reliquerit; sive -2) quod filius benignitate patris obrutus, id minus necessarium viderit; aut etiam suis singultibus fuerit præpeditus; sive -3) quod pater humiliantis se orationem interruperit.

Dixit autem pater ad servos suos...

Non verbis sed factis filio respondet, convertendo sermonem ad servos suos; nec ad unum dumtaxat, sed ad omnes, quasi unus non sufficiat ad filio serviendum. — Hic magis manifestatur patris benignitas, qui filium non modo recipit in gratiam; sed etiam, immemor omnium injuriarum, in pristinam dignitatem restituit. Excitatur autem hæc major benignitas ac misericordia, tum filii humiliatione, tum aspectu miseriæ ejus.

Videns enim propius filium suum, coram se humiliatum, vehementius paterna viscera amore et commiseratione moventur. Quem enim juvenem antea viderat ætate florentem, nobili vestimento ornatum; nunc intuetur squalidum, vestimentorum vix reliquiis coopertum, facie pallidum, fame languentem. Hunc autem conspectum pater ferre non potest, quin statim tantis necessitatibus medeatur, et vestes et cibos filio præstet. At vero vestes et cibos præstabit non qualescumque, sed festivos, ac tales, ut simul -1) filium in pristinum gradum instaurent, et -2) patris gaudium præclare significent.

Cito proferte stolam primam, et induite illum; et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus.

Primum jubet filium vestiri, -1) quia ipso vestitu eum velut in dignitatem filii restituet; -2) quia prius decenter et filii instar ornandus est, quam ad mensam paternam admittatur.

Aspiciens itaque filii vestem servilem, manus callosas, pedes nudos : afferri jubet vestem, annulum, calceamenta. — *Cito,* inquit, *proferte stolam primam :* id est, vel *pristinam,* quali antehac uti consueverat; vel *optimam* ac splendidissimam vestem quæ in domo sit, ex arcis vestiariis meis proferte. — Vestem petit peculiarem, nempe *stolam,* vestem videlicet longam, talarem, ac nobilem, qua filii a servis distinguebantur. — *Et date annulum in manum ejus :* annulum intellige aureum, qui similiter ornatus erat hominis liberi et locupletis. — *Et calceamenta in pedes ejus :* qui habitus similiter ad filium ingenuum pertinebat; calceamenta enim olim a solis personis liberis gestabantur.

Et adducite vitulum saginatum, et occidite; et manducemus et epulemur.

Interea dum filiali ornatu juvenem induunt, aliis servis imperat pater, ut convivium parent maxime festivum. *Adducite,* inquit, *vitulum saginatum, et occidite :* id est, illum

nunc occidite vitulum, quem saginari jussi in illud tempus, quo posset nobis occasio incidere læti epuli celebrandi, qualis nunc occurrit.

Et manducemus et epulemur : id est, celebremus convivium lautum et lætum, cum cantu et choro : gaudeamus, et communi lætitiæ nos tradamus, ego, filius meus, vos quoque servi, omnesque amici nostri. Magna enim est gaudendi causa :

Quia hic filius meus mortuus erat, et revixit : perierat, et inventus est. Et cœperunt epulari.

Sicut paulo ante effectibus, ita nunc verbis pater misericordiam ac amorem erga filium, et gaudium de ejus reditu manifestat. *Hic*, inquit, *filius meus :* hic scilicet meo sanguine natus, et quem propterea semper ut filium amavi ; hic aliquando non filius, nunc autem iterum filius meus ; hic indignum se reputans nomine filii, et propterea dignus qui a me ut genuinus filius agnoscatur et nominetur ; hic aliquando mihi causa doloris, nunc autem causa gaudii maximi factus :

Quia mortuus erat, et revixit : perierat et inventus est : aliis verbis, quia postquam mortuus fuit, revixit ; et postquam periit, inventus est. — Præ affectus vehementia causam gaudii bis enuntiat : metaphorice primum, ac dein propriis verbis. *Mortuus*, inquit, *erat :* id est, velut mortuus fuit mihi, quia longe a me separatus ; et mortuus sibi, quia vita felici privatus. *Revixit* autem mihi, quia reversus ad me ; et sibi, quia vitæ veræ ac felici restitutus est. — *Perierat* quoque sibi et mihi : perditus nempe aberrando ignotis itineribus, et languendo in miseriis extremis ; *inventus* autem *est,* nempe recuperatus ac salvatus.

Porro in eo quod dicit, *inventus est*, insinuat filium sibi esse velut thesaurum pretiosissimum, quem amissum desideravit et quæsivit ; et quo nunc invento gaudere decet.

Et cœperunt epulari : pater videlicet, totaque ejus familia, amici et vicini, cœperunt lætis epulis fili ireditum celebrare.

Erat autem filius ejus senior in agro; et cum veniret, et appropinquaret domui, audivit symphoniam et chorum...

Incipit hic tertia pars parabolæ, exhibens querimonias filii primogeniti, et in ejus persona murmurationes Scribarum et Pharisæorum adversus Christum. — Aberat ille primogenitus, dum tota domus paterna gaudiis exultaret : erat enim *in agro*, occupatus colendis arvis paternis ac suis, et servos ac mercenarios in laborando dirigens. *Et cum veniret* sub vesperam, *et appropinquaret domui, audivit symphoniam et chorum :* id est, sonitum concinentium et lætantium convivarum.

Et attonitus primum, *vocavit unum de servis, et interrogavit quid hæc essent? isque dixit illi : Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit :* scilicet, reverso fratri tuo, totique familiæ exhibet lætum convivium, quia salvum recepit quem periisse crediderat.

Indignatus est autem, et nolebat introire...

Indignatus atque invidia tactus est, et ægre tulit hæc a patre fieri in gratiam fratris. Non itaque de reconciliatione succenset vel de reditu fratris; sed de tanta ob hanc rem solemnitate : ideoque noluit introire ad convivium, ut et ipse cum gaudentibus gauderet.

Pater ergo illius, nuntio per servos accepto, ipse statim *egressus* est, et *cœpit rogare illum* atque hortari ut intraret, ac lætitiæ communis esset particeps. — Novo hic modo manifestatur optimi patris benignitas et humanitas. Cum enim posset servata dignitatis suæ gravitate, intus manere, filiumque morosum et immerito conquerentem relinquere foris; ipse benigne ad illum egreditur, rogat, laborat et in omnia se vertit, ut utrique filio satisfaciat, utriusque amantissimus.

At ille, nihil mitior factus tanta patris comitate, arroganter respondet; significatque patrem injuste secum agere, qui optime merenti ne præmiolum quidem ullum unquam sibi obtulerit : reverso autem huic pessime merito, maxima ami-

citiæ lætitiæque argumenta exhibuerit. *Respondens dixit patri suo : Ecce tot annis servio tibi*, in negotiis scilicet familiæ tuæ, et quidem fidelissime : nam *nunquam mandatum tuum præterivi; et nunquam dedisti mihi* in testimonium amoris tui, vel *hædum* de capris, *ut cum amicis meis epularer.*

Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. Indignabundi hæc verba sunt : qui miserum fratrem suum fratris nomine non vult appellare ; sed contemptim dicit, *postquam venit filius tuus hic :* egregius scilicet filius, et tuo amore sane dignus, quippe qui *devoravit* instar helluonis *substantiam suam;* idque modo turpissimo, vivendo luxuriose *cum meretricibus... illi* sic merenti, et in gratiam ejus, ad declarandum adventum ipsius tibi gratum esse, mactasti, quó nihil habes in toto grege delicatius, vitulum saginatum... Quibus verbis improperium enuntiat in patrem suum. — Ut patet, sermone maligno vitulum hædo, fratrem sibi ; et singula singulis opponit.

Quod Vulgata vertit *substantiam suam*, græco textu legimus *substantiam tuam*, portionem substantiæ quam ipsi dedisti (ὁ καταφαγών σου τὸν βίον) : quod videtur odiosius. Pejus est enim alienam substantiam prodige consumere, quam propriam. Ideo licet pater dedisset filio juniori partem ipsius, alter tamen, non fratris substantiam, sed patris dilapidatam dicit : tum quia a patre promanaverat illa substantia, tum quia pater gratis eam dederat, cum non teneretur. Ergo ut invidiam fratri prodigo excitet, *substantiam*, inquit, *tuam* devoravit, quasi diceret : Ego tota vita mea servio tibi, ut augeam facultates tuas ; ille brevi tempore consumit eas et dissipat.

At ipse dixit illi : Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt : epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit ; perierat et inventus est.

Eadem semper bonitate sibi constans pater, iniqua filii expostulatione seu querimonia non commovetur ad iram,

nec commemorando sua in eum beneficia redarguit ejus superbiam et obmurmurationem, ne magis eum exasperet; sed blandis verbis placare eum et lenire conatur : tum quod, occasione ita ferente, frater ipsius humaniter excipiatur, tum quod æquum non sit ipsum tristari ob hilaritatem ex recuperato fratre conceptam. — Contentio itaque fit pulcherrima, inter filii invidentiam et patris mansuetudinem : filius amaritudinem labiis evomit; pater nihil duri, sed blande omnia loquitur, quo utrumque filium sibi conciliet.

Admittens itaque verum esse de non exhibito ei epulo peculiari, et omissa omni objurgatione, solam rationem exponit. Fili, inquit, non est quod queraris, quasi minus tibi fecerim quam fratri tuo; causa similis gaudii non habuit in te locum : *Tu semper mecum es*, perseverans scilicet in familiaritate mea, quæ tibi instar jugis convivii esse debet; quasi diceret : Nihil in te novi accidit, nullam dedisti occasionem alicujus novæ et inusitatæ lætitiæ excitandæ. — *Et omnia mea tua sunt*, adeo ut non fuerit necesse, me tibi quidquam de novo dare ad magnificum epulum, novamque gaudii testificationem, quia omnibus in familia uti poteras.

Epulari autem et gaudere oportebat, me scilicet totamque familiam, et maxime te, fili, *quia hic frater tuus mortuus erat et revixit; perierat et inventus est :* quæ sane tibi ratio gaudendi magna, non tantum mea causa, quia ille filius meus est; sed etiam tua causa, quia *frater tuus* est, cui bonum omne velle debes ut alteri tibi, charitate urgente.

Sensus parabolæ.

Jam sensu proprio parabolæ exposito, sensum metaphoricum summatim proponamus.

1° Homo paterfamilias, Deus est ac Dominus noster Jesus Christus.

2° Duo filii, sunt homines, et quidem omnes, boni et mali.

3° Filius natu major repræsentat homines justos, tam illos, qui sua aliorumque opinione, quam qui rei veritate justi sunt.

4° Junior repræsentat peccatorem pœnitentem.

Sanctus Augustinus tamen et nonnulli alii Patres, persona primogeniti populum Judaicum, junioris vero Gentes significari putant : quod quidem sensu secundario, non vero primario, quem Dominus adversus Pharisæos intendit, admitti potest.

5° Recessio adolescentis in longinquam terram, est recessio hominis a Deo per peccatum.

6° Ejus miseria, est exitialis effectus peccati et miseria peccatoris.

7° Reversio ad patrem, sincera conversio peccatoris.

8° Receptio a patre jucundissima, misericordiam Dei, ejusque gaudium ob pœnitentiam peccatoris demonstrat.

9° Indignatio filii primogeniti, appendicis instar adjecta, notat Pharisæorum, qui sibi justi videbantur, iniquitatem, eo quod vituperarent Domini erga peccatores misericordiam.

—

Explicatio secunda.

Præter illud quod immediate Dominus contra Pharisæos docere intendit, conversionem videlicet peccatoris esse Deo gratissimam; alia complura tradit in historia *prodigi* documenta. Non enim tantum hic elucet Dei erga peccatores misericordia, sed etiam ejus erga justos amor ac bonitas; — et ex altera parte, justorum in divino servitio felicitas, peccatoris culpa et miseria; — deinde ostenditur qualis esse debeat peccatoris pœnitentia, quæ post receptam veniam fidelitas; — qualis justorum de fratribus aberrantibus dolor, de conversis lætitia.

Hæc autem generatim spectata, sic vario ordine proponi possunt.

1° Historia prodigi ostendit abyssum duplicem : abyssum miseriæ, et abyssum misericordiæ; seu, -1) quanta sit miseria peccatoris, et -2) quanta misericordia Dei.

2° —1) Quam sit conditio justi beata, -2) quam misera conditio peccatoris, donec resipiscat; seu : -1) quam beati simus

in divino servitio ; -2) quam miseri efficiamur per peccatum ; -3) quomodo e peccato surgere debeamus.

3° —1) Quam vilis sit abjectio delinquentis, -2) quam laudabilis generositas pœnitentis.

4° —1) Quanta sit peccatoris erga Deum ingratitudo ; -2) quanta ejus insania erga se ipsum.

5° —1) Quam indigne se gerat peccator erga Deum et erga se ipsum ; -2) quam misericorditer Deus erga peccatorem.

6° —1) Quomodo peccator a Deo discedat ; -2) quemnam in terminum deveniat ; -3) quomodo debeat reverti.

7° —1) Quomodo a mundi illusionibus cavere ; -2) erga peccatores misericordiam exercere ; -3) de conversione ac bono proximi gaudere debeamus.

8° Infortunia prodigi ostendunt illusiones mundi ac deceptiones peccati : seu -1) quid homo peccando quærat ; -2) quid vero inveniat.

9° In parabola de prodigo, Christus non tantum depingit semetipsum, nempe in persona patris ; sed etiam unumquemque nostrum in persona filii. Omnes enim sumus prodigi filii : *Omnes nos tanquam oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit* (Isai. LIII, 6). Quapropter memetipsum debeo in hac verissima imagine agnoscere, et considerare : -1) quomodo sicut prodigus erraverim ; -2) quomodo sicut prodigus e peccato surgere debeam ; -3) quomodo deinceps sicut prodigus patri suo, ita ego debeam Deo fideliter adhærere.

10° Pater prodigi imaginem verissimam, etsi imperfectam, exhibet divinæ misericordiæ : ostendens -1) quid Deus faciat ante peccatoris discessum ; -2) in ipsis ejus aberrationibus ; -3) post ejus reditum : — seu quid faciat, -1) ne filii sui a se discedant ; -2) ut digressi revertantur ; -3) ut reversi fideles perseverent.

11° Filius prodigus perfectum exhibet exemplum pœnitentiæ : ostendens -1) quid peccator facere debeat ante reconciliationem ; -2) quid, in ipsa reconciliatione ; -3) quid, post reconciliationis gratiam receptam.

Quod si textum parabolæ in particulari consideremus, luculentius, tum quæ modo indicata sunt, tum etiam alia perspiciemus.

Homo quidam habuit duos filios.

1° Familia ista parabolica veram humani generis conditionem repræsentat. Etenim humanum genus universum familiam quamdam grandem constituit, cujus Deus pater est et omnes homines filii : *Unus Deus et pater omnium.* Eph. IV, 6.

Est autem Deus, -1) pater verus, nempe titulo creationis, titulo redemptionis per sanguinem filii sui unigeniti, titulo adoptionis in Baptismo : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater)* (Rom. VIII, 15). —2) Est pater bonus, omnia paterna officia, amoris, disciplinæ, provisionis hereditariæ perfecte adimplens.... -3) Est pater nobilis ac dives, omnia possidens quæ ad plenam filiorum felicitatem conducere possint....

Filii dicuntur duo : quia duæ sunt hominum classes, boni et mali, justi et peccatores. -1) Justi sunt illi, qui debita officia reverentiæ, obedientiæ et amoris erga Patrem implendo dignos se suo genere efficiunt, patrique simillimos : *Carissimi, nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus* (I Joan. III, 2). —2) Peccatores, sunt inobedientes, rebelles ac ingrati filii. *Peccaverunt ei, et non filii ejus in sordibus* (Deut. XXXII, 5). Hos quamdiu vita manet, etsi aberrantes, tanquam filios suos diligit et revocat... post mortem vero, nisi fuerint conversi, non amplius eos ut filios agnoscit, sed ut degeneres, ac filios diaboli, abjicit in æternum....

Sic bifariam humana familia hominesque universi dividuntur; et necesse cuique est, ut ad alterutram classem pertineat.

Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit.

Sensus est quasi diceret : Pater, nolo amplius sub obedientia tua vivere; sed volo libere, ac independenter a te, frui bonis meis : sic enim beatus ero.

1° Hujusmodi petitio est patri injuriosa ac dolorosa, adeoque ex parte filii magnam ingratitudinem continet : ostenditque culpam et ingratitudinem peccatoris erga Deum. Peccator enim cor paternum contristat Dei sui, qui propterea sic conqueritur : *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Isai. I, 2.

2° Eadem petitio ostendit duplicem causam peccati : amorem falsæ libertatis, et illusionem mundi. —1) Falsa libertas est licentia illa, qua homo vult sese a lege Dei subtrahere, quasi volens nolens ligatus et obligatus non esset. Hæc falsa libertas ducit ad servitutem passionum ac diaboli : *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (Joan. VIII, 34); estque opposita veræ libertati, quæ in obedientia legi Dei consistit, et in edomatione passionum. Ista est libertas filiorum Dei, *qua libertate Christus nos liberavit* (Gal. IV, 31). —2) Illusio mundi, est illa fallacia, qua mundus hominum phantasiæ, præsertim juniorum, ostentat gaudia, voluptates, delicias apparentes, quas semper promittit et nunquam largitur. Sic diabolus Christo ostendebat *omnia regna mundi et gloriam eorum, et dixit ei : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Matth. IV, 9.

3° Eadem petitio indicat periculum mali consiliarii, malive socii. Juvenis enim prodigus non eo usque devenisse censendus est, ut patrem derelinquere voluerit, nisi quia pravos adivit socios, et seductoribus aurem præbuit, qui ei de regione longinqua ac fortunata sunt fabulati....

Peregre profectus est in regionem longinquam.

1° Discessio prodigi repræsentat discessionem hominis a Deo per peccatum. Sicut enim per amorem et obedientiam anima cum Deo conjungitur; ita per peccatum, quod amori et obedientiæ contrarium est, a Deo, summo ac unico bono discedit et separatur. Hæc autem discessio gradatim effici

solet. Est enim -1) *inchoata*, quando homo incipit tepescere, exercitia pietatis negligere, periculis sese exponere : *Qui spernit modica, paulatim decidet* (Eccli. XIX, 1). —2) *Completa*, quando labitur in peccatum mortale, quo fit separatio. -3) *Longinqua*, quando in peccato remanet, et peccata multiplicando, pravosque habitus contrahendo, magis magisque a Deo ac salute remotus efficitur....

2° Unde discedit? — A domo paterna, ubi bonis omnibus fruebatur : *Quia melior est dies una in atriis tuis, super millia... in tabernaculis peccatorum.* Ps. LXXXIII.

3° Quo devenit? *In regionem longinquam*, quæ vitam peccaminosam significat. Illic peccator longe est a Deo, ac proin longe a lumine veritatis, longe ab auxilio Dei, longe a conversatione cum Deo, longe a pace... Deus autem non est longe a peccatore : sed prope est, ut ejus peccata videat, ut eum corripiat, ut revocet, ut puniat...

Dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose.

1° En fructus falsæ libertatis, dissipatio patrimonii : id est, perditio omnium bonorum quæ a Patre nostro cœlesti accepimus. Utinam filius imprudens sub paterna obedientia ac tutela mansisset, suaque bona in Patris manibus reliquisset! Non utique sese misere omnibus privatum videret.... Quare propheta dicit : *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Ps. XV.

2° Dissipavit autem substantiam *vivendo luxuriose*. Luxuriæ vitium notat Dominus, ut illud fugiamus. — Innuuntur autem, tum luxuriæ causa, tum pessimi ejus effectus. -1) Causa luxuriosæ vitæ illius prodigi est, quod recesserit a paterna domo : ut discamus, castitatem mox periclitari, si quis recesserit a domo Dei : id est, si orationem neglexerit, et mundi periculis se objecerit. —2) Effectus luxuriæ est, dissipatio omnium hominis bonorum. Perdit enim luxuriosus gratiam sanctificantem, animam innumeris peccatis mortalibus coinquinando ; — perdit pacem et quietem ; — perdit honorem ac famam ; — perdit omnem dignitatem, et vilissimis animalibus similis efficitur....

Quæ damna ut vitentur, omni cura atque cautela castitas custodienda est. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate!* Sap: IV, 1.

Facta est fames valida in regione illa.

1° En imago verissima status peccatoris : *fames valida* et insatiabilis, qua devoratur in hac vita ; et, nisi resipiscat, qua in æternum devorabitur. — Est autem fames illa desiderium bonorum sensibilium, voluptatum nempe et honorum hujus mundi, eorumque appetitus vehemens, qui, similis igni, *nunquam dicit sufficit* (Prov. XXX, 16). Ipsi homines ditissimi hac fame torquentur : *Divites eguerunt et esurierunt* (Ps. XXXIII). Scilicet hæc fames libidinum expleri nequit, neque cor hominis potest sensibilibus bonis satiari, quia homo ad altiora factus est ; et quamvis quoad corpus abundare videatur, interius tamen in anima sua, vacuus est et egenus.

Quapropter aperire cor suum debet homo desiderio meliori, appetitui bonorum quæ ipsi destinata sunt a Deo ; et tunc satiabitur. Hæc est fames sancta, quam Dominus commendat, dicens : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam : quoniam ipsi saturabuntur* (Matth. V, 6). Saturabitur utique suavissime totus homo, in intellectu, in voluntate, imo in ipso corpore quod aliquando glorificabitur. *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Ps. CII.

2° Fames valida occurrens prodigo, imaginem exhibet deceptionum peccatoris. — Videmus delusum juvenem aliud prorsus invenire quam id quod quæsivit. -1) Quid enim quæsivit et sibi pollicitus est, nisi gaudia, libertatem, gloriam ac jactantiam divitiarum, omniumque bonorum abundantiam?... -2) Quid vero invenit, nisi famem, nuditatem, tristitiam animique perturbationes, ignominiam, servitutem turpissimam?....

Et adhæsit uni civium regionis illius : et misit illum in villam suam ut pasceret porcos.

Servitus prodigi repræsentat servitutem peccatoris sub potestate diaboli.

1° Illa servitus qualis est? — 1) Est servitus profunda : sicut enim prodigus ab hero subjicitur inferioribus ministris, qui in villa sunt; ita peccator passionibus suis internis, et respectui humano, pravisque factionibus, tanquam totidem tyrannis externis subjacet. — 2) Est servitus vilis ac turpissima : *Ut pasceret porcos.* Abjecta sane conditio, qua nobilis ille juvenis inter animalia vilissima versatur, tanquam eis similis effectus. *Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (Ps. XLVIII). — 3) Est servitus dura ac misera : *Cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant; et nemo illi dabat.* Miserabilis sane status, et quidem illius, qui in paterna domo omnibus abundaverat... Quam misere a pristino statu delapsus! *Filii Sion inclyti, et amicti auro primo : quomodo reputati sunt in vasa testea?... Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis; qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.... Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores : denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis; adhæsit cutis eorum ossibus, aruit et facta est quasi lignum..... Quomodo obscuratum est aurum?...* Thren. IV, 1 seqq.

2° Servitutem istam quinam incurrunt? — Quotquot cum prodigo derelinquunt Patrem suum, ejusque obedientiam deserunt. Ergo eligendum est inter obsequium Dei vel servitutem diaboli : *Duobus* enim *dominis servire nemo potest.* Matth. VI, 24.

In se autem reversus, dixit...

1° Illusionibus dissipatis, in miseria ac solitudine positus, juvenis rerum veritatem considerat : hæc est consideratio ac meditatio sancta, principium conversionis omnisque boni,

et cujus neglectus origo fit omnis mali : *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.* Jerem. XII, 11.

2° Salutarem hujusmodi considerationem adducit miseria et humiliatio, quam Deus misericorditer peccatori infligit ut resipiscat. *Vexatio intellectum dabit* (Isai. XXVIII, 19). — *Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine* (Ps. LXXXII). — *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* Ps. CXVIII.

Surgam, et ibo ad patrem meum ..

1° Sanctum istud est ac generosum verbum, quod eo intuitu Christus Dominus ore prodigi profert, ut a nobis omnibus repetatur. Unusquisque enim dicere debet : Surgam ex mea negligentia, ex tepiditate, — ex peccatis, — ex servitute passionum, — ex pravis habitibus vitiorum, — ex sordibus superbiæ, luxuriæ....

2° *Surgam, et ibo ad patrem.* En exemplum conversionis. Est autem conversio prodigi vera, honorabilis et beata. — 1) Conversio vera, cujus duæ sunt partes : propositum et executio. -*a*) Propositum concipit ille generosum et efficax, humile et fiduciale. *Surgam,* inquit, *et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum et coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis.* —*b*) Executionem perficit promptam, fortem, integram : *Et surgens venit ad patrem suum... dixitque ei filius : Pater, peccavi in cœlum et coram te : jam non sum dignus vocari filius tuus.*

-2) Conversio est honorabilis : generosi enim ac nobilis animi est errorem agnoscere, et agnitum corrigere ; — semetipsum vincere ; — obstacula quæ bono operi obsistunt superare....

-3) Conversio est beata, quia prodigum ad felicissimam cum patre reconciliationem reducit, — cum ab omni sua abjectione ac miseria liberat, — et in pristinum statum restituit....

Quum adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est.

Sicut in filio prodigo ostendit nobis Dominus exemplum pœnitentiæ, ita in patre prodigi imaginem exhibet suæ erga pœnitentem misericordiæ. — Imago autem tenuis est ac imperfecta, et nequaquam plene ineffabilem illam bonitatem Dei refert, qua peccatores in ipsis eorum errationibus sua gratia prosequitur.

1° Revertentem vidit eum pater ipsius, *et misericordia motus est :* en effectus pœnitentiæ : Deum statim ad misericordiam movet, quamvis indignus sit peccator. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Ps. CII.

2° Magnitudo misericordiæ effectibus manifestatur. Nam -1) sub vili habitu custodis porcorum, quia videt pœnitentem, filium agnoscit....

-2) Non objurgat ingratum ac indignum juvenem : quia hic ultro culpam agnoscit.

-3) Non respicit ejus pauperiem nisi ad commiserandum.

-4) Quia filius confitetur peccata, ei pater condonat omnia; — quia sese humiliat, eum pater erigit et amplectitur. Pater, inquit ille, non sum dignus amplexu tuo, peccavi enim nimis... — Peccasti, fili; sed quia te pœnitet, ego condono, teque amplector ut filium, peccatorum tuorum jam oblitus. Sic enim per prophetam locutus sum : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis... omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor.* Ezech. XVIII, 21, 22.

-5) Quia ille indignum se confitetur nomine filii, ideo pater eum filii nomine iterum appellat, et in dignitatem pristinam restituit. Statimque stolam splendidam, annulum, calceamenta ei afferri jubet, et dapes optimas parari : stolam scilicet gratiæ et charitatis; annulum in manu, symbolum libertatis filiorum, et fidelitatis, qua posthac opera manuum suarum patri consecrabit; calceamenta in pedibus, ut constanter deinceps in via virtutis, absque deflexione perseveret.... — Dapes autem paratæ, sunt mensa Eucharistica,

omniaque spiritualia alimenta, quibus animæ sanctæ jam in hac vita reficiuntur....

Hic quæri potest, quomodo filius prodigus tantæ patris clementiæ responderit? aut quomodo in posterum vixerit? Quod etsi Evangelium non dicit, cogitatione et corde possumus facile supplere. Amore scilicet et gratitudine perenni repletus est, -1) in corde, ut nunquam obliviscatur, nec suæ miseriæ, nec patris misericordiæ... -2) in opere, ut nunquam amplius a paterna domo discedat, sed patri constanter adhæreat, et in omnibus servire studeat ac placere....

Quia hic filius meus mortuus erat,
et revixit.

His verbis indicat Dominus, quid sit status peccati mortalis, et quid status gratiæ. — Status peccati mortalis est vera mors animæ. Quamdiu homo in hoc misero statu manet, ***mortuus est***, quia vita animæ, id est, gratia sanctificante privatus. Quare oculis Dei est cadaver putridum, sine visu, sine auditu, sine sensibus quibus cœlestia bona percipere valeat; et si in illo statu moriatur, sepeliendus in inferno....

E contra, status gratiæ est vita, et conversio peccatoris resurrectio, qua anima reviviscit. Justus hac vita vivens, habet oculos spirituales, et aures aliosque sensus, quibus frui bonis cœlestibus possit, et idoneus fiat ad habitandum in domo Dei, Patris sui : nunc quidem per fidem... postea vero per visionem ac speciem....

Fili, tu semper mecum es, et omnia mea
tua sunt.

1° Hac responsione Pater misericordiarum felicitatem ostendit, jam in præsenti vita concessam justis, qui illi serio deserviunt. Consistit autem felicitas illa in conjunctione atque commercio cum Deo, et in participatione bonorum ejus.

-1) Conjunctio, convictus, conversatio cum Domino, tanquam cum patre amantissimo : ***Fili***, inquit, ***tu semper mecum***

es. Quæ major in hac vita felicitas desiderari possit? Quidve jucundius animæ contingere possit, quam semper esse cum Deo suo, in domo Dei, in obedientia ejus, sub gubernatione et protectione ejus... ejusque alloquio indesinenter frui?...

-1) Participatio bonorum Dei : *Et omnia mea*, inquit, *tua sunt*, quasi diceret : Tua est gratia mea, tua sunt dona mea, auxilia, sacramenta... tuum cœlum, tuus est Filius meus unigenitus, Salvator... tuus sum ego ipse, ego cum omni mea potentia et sapientia, ego Deus tuus et omnia... — Sic Deus servis suis centuplum, et velut paradisum tribuit jam in hac vita.

2° Quod si tanta est felicitas justorum in vita præsenti, quanta erit in futura? Si in hoc exilio, et sub nube fidei versantes, jam cum Domino suo habitant, ejusque bonis fruuntur; postea in patria, luce gloriæ illustrati, quanto felicius cum Deo suo erunt! quanto plenius ejus bona possidebunt!... *Inebriabuntur ab ubertate domus Dei.* Ps. LXXXV.

3° Multi autem, similes filio primogenito parabolæ, quem pater optimus alloquitur, sua bona non satis cognoscunt: imo quandoque conquerendi causam sibi esse existimant, quasi a Deo longe abessent, ejusque auxiliis destituti... Cujus rei ratio est, quod fide vivida carent, qua Deum intueantur sibi præsentem; et fervore charitatis, quo dona ejus copiosius recipere mereantur.... Quapropter ferventer et ex animo sese tradant obsequio Dei, officiisque charitatis in proximum: et mox, fide vividiore illustrati, audient in corde suo atque intelligent hanc suavissimam Patris sui vocem : *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt.*

FERIA SEXTA

INFRA

HEBDOMADAM TERTIAM QUADRAGESIMÆ.

Evangelium de muliere Samaritana.

Joan. IV, 5-42. Venit Jesus in civitatem Samariæ quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob Joseph filio suo. Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus : da mihi bibere. (Discipuli enim ejus abierant in civitatem ut cibos emerent.) Dicit ergo ei mulier illa Samaritana. Quomodo tu, Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis. Respondit Jesus et dixit ei : Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere : tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. Dicit ei mulier : Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est : unde ergo habes aquam vivam? Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et pecora ejus? Respondit Jesus, et dixit ei : Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum : sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Dicit ad eum mulier : Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire. Dicit ei Jesus : Vade, voca virum tuum, et veni

huc. Respondit mulier et dixit : Non habeo virum. Dicit ei Jesus : Bene dixisti quia non habeo virum. Quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes, non est tuus vir : hoc vere dixisti. Dicit ei mulier : Domine, video quia Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet. Dicit ei Jesus : Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis : nos adoramus quod scimus : quia salus ex Judæis est. Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus : et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. Dicit ei mulier : Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus) ; cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. Dicit ei Jesus : Ego sum, qui loquor tecum. Et continuo venerunt discipuli ejus et mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit : Quid quæris, aut quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit in civitatem, et dicit illis hominibus : Venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci : numquid ipse est Christus? Exierunt ergo de civitate, et veniebant ad eum. Interea rogabant eum discipuli, dicentes : Rabbi, manduca. Ille autem dicit eis : Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Dicebant erga discipuli ad invicem : Numquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Jesus : Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis : Levate oculos vestros et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam : ut et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit. In hoc enim est verbum

verum : quia alius est qui seminat, et alius est qui metit. Ego misi vos metere. quod vos non laborastis : alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis. Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem ejus. Et mulieri dicebant: Quia jam non propter tuam loquelam credimus : ipsi enim audivimus, et scimus quia hic est vere Salvator mundi.

—

Explicatio prima.

Refert Evangelista conversionem mulieris Samaritanæ, in qua narratione tres partes distinguuntur.

I. *Quomodo Christus mulierem convertat.*
II. *Quomodo mulier conversa concives ad Christum adducat.*
III. *Quomodo interim Christus discipulos doceat.*

In illo tempore, venit Jesus in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo.

Anno dominicæ prædicationis primo, postquam Dominus octo circiter menses in Judæa commoratus fuisset, mense scilicêt Januario, quum reverteretur in Galilæam, oportebat inquit Joannes, *eum transire per Samariam*, provinciam Palæstinæ, non a Judæis sed a Samaritanis incolis occupatam. Nam licet potuisset quidem iter instituere per regionem trans Jordanem, consueta tamen et brevior via erat per Samariam. Jam vero ex occasione, ex itinere, non ex professo, *venit in civitatem Samariæ*, id est, ut mox clare indicabitur, in

agrum seu territorium civitatis, nec longe a portis ejusdem. — Erat *civitas Samariæ*, id est oppidum samaritanæ regionis, quod tunc temporis dicebatur *Sichar*. Est autem Sichar idem quod olim vocabatur *Sichem* vel *Sichima* (1), in cujus viciniis Jacob, reversus ex Mesopotamia, primum habitavit (Gen. XXXIII. 18), et cujus incolas sævissime trucidarunt filii Jacob, ad ulciscendam injuriam illatam sorori suæ Dinæ (Gen. XXXIV).

Porro oppidum Sichar situm erat in valle, media inter montes Garizim et Hebal, juxta prædium seu agrum Jacob, qui ad portam australem Sichar porrigebatur.

Dicitur *prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo :* id est, quod ei testamento legavit. Jacob enim, ut dicitur in Genesi (XXXIII, 19) *emit partem agri, in quo fixerat tabernacula, a filiis Henor* (qui erat rex Sichem), *centum agnis.* Postea vero Jacob in Ægypto, cum esset moriturus, filio suo Joseph illum agrum dedit, in quo postmodum ossa Joseph, ex Ægypto allata, sepulta sunt. (Gen. XLVIII, 22 ; Jos. XXIV, 32.)

Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta.

Ibi, in eodem illo agro, *erat fons Jacob*, quem illic Jacob in suum ac familiæ usum foderat, prout testabatur antiqua traditio. *Fons* ille infra vocatur *puteus*, quia profundus erat. Ubicumque enim aqua de terra manat, fons est; quod si non in superficie terræ scaturiat, sed in profundo, non tantum fons, sed etiam puteus appellatur. Jam vero puteus iste seu fons Jacob, qui adhuc hodiedum permanet (2), situs erat ad australem partem Sichar, juxta viam ipsam, qua Jesus ex Judæa redibat.

Illuc itaque advenit *Jesus, fatigatus ex itinere.* Nullis enim jumentis aut vehiculis usus, iter pedestre dimidii diei peregerat ; et, permittens naturam humanam secundam conditionem suam pati, lassitudinem incurrerat.

(1) Hodie *Naplouse.*

(2) Distans uno circiter leucæ quadrante a Napolosa, altus duodecim metris usque ad aquæ superficiem.

Fatigatus ergo *sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta*. Hæc hora respondet horæ nostræ duodecimæ, ita ut esset meridies, quo tempore æstus diei est maximus, et corpus aliqua quiete, cibo potuque refici solet. Quapropter decrevit Dominus cum discipulis suis eo in loco refectionem sumere, fonte potum suppeditaturo una cum refrigerio. Cibos autem in proximo oppido empturi abierant discipuli. Interim Dominus exspectans eorum reditum *sedebat sic*, ut erat fatigatus, more et habitu fatigati viatoris, *supra fontem*, id est juxta fontem, et probabiliter super ipsam fontis marginem seu peripheriam : hujusmodi enim munimine credibile est circumdatum fuisse puteum profundum, ne quis ex improviso in eum decideret.

Lassitudo itaque et exspectatio discipulorum rationes erant, cur sic sederet illic Dominus ; at præter rationes illas externas, alia erat interna et altior, ut nempe mulierem illic, et per eam Samaritanos multos converteret.

Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus : Da mihi bibere. (Discipuli enim ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent.)

Mulier de Samaria, id est, non ex civitate Samaria, quæ longe aberat; sed de Samariæ regione ac gente oriunda, et habitans in Sichar. — *Venit haurire aquam :* venit quidem ex parte sua ut hauriret aquam, ex parte vero suavissimæ Providentiæ, ut fontem vitæ Christum inveniret. Cum igitur hausisset aquam mulier, nec hominem alienum alloqui cogitaret, eam prævenit Dominus, et ex circumstantiis obviis argumentum sumens colloquii, dicit ei : *Da mihi bibere;* scilicet ex hydria tua.

Discipuli enim, inquit Evangelista, *abierant*, quasi dicat : Erat enim Jesus solus. Quod addit ad significandum, -1) quod Jesus, si discipuli adfuissent, secundum consuetudinem ab eis potum sicut cibum accepisset, nec a muliere petiisset; -2) ad insinuandum, opportunum fuisse momentum, ut mulier libere cum Jesu solo de rebus animæ suæ loqueretur.

Discipuli enim, qui Dominum comitabantur, quique adhuc pauci erant, abierant omnes : sive quod ex amore vellent omnes Domino illa in re servire; sive quod omnes missi fuissent a Domino, solitudinem captante, ut consuleret mulieris pudori, possetque liberius ejus delictum notare.

Jam vero petenti Domino potum respondit mulier, sicut mulierem Samaritanam homini Judæo respondere pronum erat.

Dicit ergo ei mulier illa Samaritana : Quomodo tu, Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis.

Respiciens Jesum mulier, cum ex habitu et sermone agnovisset hominem esse Judæum, admirans, et per modum corripientis, respondit quasi diceret : An tibi Judæo fas est potum petere a me, quæ ut mulier Samaritana vobis Judæis tanquam profana sum? Quæ interrogatio non tam admirationem, quam exprobrationem, cum indignatione et tacita negatione conjunctam, continet.

Non enim coutuntur Judæi Samaritanis. Docent quidam hæc Evangelistæ verba esse; alii probabilius, mulieris, quæ Domino exprobrat transgressionem suæ legis, quasi prohibentis ne Judæi cum Samaritanis ita communicarent, ut ex eadem mensa cibum, vel ex eadem hydria potum sumerent. Non coutuntur, inquit, *Judæi Samaritanis*, non vero, *Samaritani Judæis;* ut insinuet causam odii, quatenus injusti, esse ex parte Judæorum.

Scilicet Judæi et Samaritani erant sibi invicem infensi. Nam oriundi Samaritani, partim ex Israelitis, partim ex gentilibus, perperam se veros Israelitas esse dictitabant, gloriantes patre suo Jacob, ut ex verbis mulieris infra patet. Erant autem schismatici et hæretici, non admittentes nisi quinque libros Moysis, et sacrificia sua offerentes in monte Garizim, non vero in Jerusalem, prout mandaverat Deus. Præter hanc doctrinæ corruptionem, aliæ erant odii mutui causæ : præsertim quod olim, cum Judæi reædificarent tem-

plum, Samaritani non admissi ab eis ad ædificium, omni vi conati sunt illud opus impedire (1). — Hinc illa mulieris indecora responsio ; qua tamen nihil offensus Dominus, benignissime dixit ei :

Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi : Da mihi bibere : tu forsitan petiisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.

Sensus est : O mulier, si scires quantum tibi Deus hoc momento offerat beneficium : nempe si scires quis te alloquatur, non tantum statim potum dares, sed utique tu ipsa peteres ab eo, etsi Judæo, aquam longe præstantiorem, quam tibi libenter concederet.

Tali modo respondet Dominus, ut ostendat, se potius colloquendi causa de rebus spiritualibus, quam ut sitim restinguat, aquam petiisse. Nam, tanquam sitis et lassitudinis oblitus, quasi suppetat otium et commoditas colloquendi, anagogen, ac veluti gradum sumit, ut ab aqua visibili ad spiritalem ascendat, et mulierem, a qua sibi potus negatur, vitam æternam doceat.

Nihil igitur respondet ad objectum odium Judæorum adversus Samaritanos, ut cœlestem thesaurum exponere festinet. *Si scires*, inquit, *donum Dei...* quæ verba eo tendunt, ut menti mulieris statim affulgeat bonum quoddam eximium, *donum Dei;* quod magis explicat Dominus indicando, bonum illud esse in manu hominis quem mulier videt nec cognoscit; et consistere in re quadam spirituali, quam ipse aquam vivam appellat. Qui loquendi modus ut patet, non modo cœlestem quamdam spirat dignitatem, sed etiam, curiositatem stimulat.

Aqua viva proprie dicitur ea, quæ perpetuo scaturit ac fluit, adeoque omnis aqua fontis. Hanc autem vocem Dominus adhibet metaphorice, pro aqua, non qualis ex illo puteo hauriri potest; sed longe præstantiore, quæ recte dicitur *viva*, quia est animæ vita, fere sicut ipsa anima est vita corporis.

(1) Lib. I Esdr. cap. IV. Cf. Toletum in hunc locum.

Seposita metaphora, nomine *aquæ vivæ* significatur -1) divina gratia et charitas, quæ per Spiritum sanctum in cordibus diffunditur (Rom. V, 5) ; imo -2) ipse Spiritus sanctus, auctor ac fons gratiæ, prout alibi explicat Evangelista, scribens : *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Joan. VII, 39.

Porro, -1) gratia dicitur *aqua*, eo quod in animabus sitim extinguit terrenorum bonorum, aliasque aquæ proprietates producit ; dicitur autem aqua *viva*, quia animabus vitam æternam tribuit.

-2) Similiter Spiritus sanctus dicitur *aqua*, quia spiritualiter effectus aquæ in animabus producit ; dicitur autem aqua *viva*, tum quia in se ipso in æternum vivit, tum quia vitam æternam nobis per gratiam communicat.

Hanc itaque aquam vivam ac vivificam Jesus mulieri, quæ haustum frigidæ denegat, polliceri dignatur. Respondit illa :

Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est ; unde ergo habes aquam vivam ? Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et pecora ejus?

Non intellexit mulier sensum verborum Domini, existimavitque eum offerre sibi aquam vivam communem. Quod quidem quomodo revera præstari possit, quamvis non videat, non tamen irridet, nec plane impossibile judicat homini illi, quem jam revereri et suspicere incipit. Quare suspendens judicium, inquirit, undenam aquam illam habere possit.

Domine, inquit, *nec in quo haurias habes, et puteus altus est, unde ergo habes aquam vivam?* — Illud *in quo haurias*, instrumentum designat (ἄντλημα), nimirum vas, quo suspenso de fune aqua e puteo trahitur, cum *puteus altus est*, nec manu attingi aqua potest. Imo, etiamsi attingi posset, adhuc vase opus foret, quo hauriretur. Sensus itaque mulieris est quasi dicat : Domine, si loqueris de aqua viva hujus fontis, non

video quomodo eam habere possis : non enim habes instrumentum hic necessarium. Quod si loqueris de aqua alterius fontis, præsertim melioris, adhuc minus rem intelligo. Non enim Jacob, quem Deus in omnibus adjuvabat, meliorem fontem in hac regione invenit, quo ipsemet uteretur et nos suos posteros donaret. *Numquid tu, Domine, major es patre nostro Jacob?*

Hæc responsio jam non contemptum spirat, ut præcedens, sed inchoativam reverentiam. Quem enim prius contemptim Judæum vocaverat, mox admirata responsionis ejus mansuetudinem, contemplataque personæ maturitatem ac dignitatem, consueto honoris titulo *Dominum* vocat. — Illa quoque dubitantis interrogatio : *Numquid tu major es patre nostro Jacob?* indicat, mulierem motam esse illis Jesu verbis: *Si scires, quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere;* adeo ut jam confuse suspicari videatur id, quod mox clare videbit et profitebitur, dicens : *Domine, video, quia Propheta es tu.*

Respondit Jesus et dixit ei : Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum : qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

Non ad omnia mulierculæ verba respondet Dominus, sed ad id, quod ad propositum faciebat. Inter alia enim extulerat mulier aquam fontis Jacob, quasi melior aqua nulla dari posset; et hoc solum Jesus eligit, cui directe respondeat. Quapropter exponit suam superiorem sententiam de aqua ; et differentiam dat inter aquam Jacob et eam, quam ipse promittit, talem, ut intelligere possit mulier sermonem esse de aqua spirituali et mystica, de aqua interiori nempe, et ad vitam æternam pertinenti, quæ omni aqua corporali sit præstantior. Quo implicite et latenter quoque significat, se majorem esse patriarcha Jacob, qui non nisi aquam communem dare potuit. *Omnis*, inquit, *qui bibit ex aqua hac*, fontis Jacob, vel simili,

sitiet iterum; qui autem biberit ea aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.

Dicendo : *Non sitiet in æternum*, ita excellentiam spiritalis aquæ explicat, ut illius desiderium in muliere excitet; quare mox illa cupide petet: *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam.*

Dominus autem figurate loquitur, id est, non de siti corporali, sed de siti spirituali, quæ in desideriis cordis consistit; et sensus verborum ejus est hujusmodi : Aqua corporalis quælibet sitim extinguit corporis tantum, et quidem ad breve tempus; aqua vero mea spiritualis extinguit sitim animæ, et quidem in æternum: scilicet, explebit omnia cordis desideria, imperfecte quidem in hac vita, perfecte vero in futura. — Hujus autem effectus rationem dat, addendo: *sed,* id est, quia, *aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam;* seu aliis verbis : fiet, erit, in interioribus ejus, in corde, in anima ejus, tanquam fons perpetuo emittens aquam vivam, altissime salientem, nempe ad Deum usque ac vitam æternam.

Illa verba : *aqua, quam ego dabo ei*, repetit Dominus majoris assertionis causa, ut affirmet se omnino eam dare posse.

Ille *fons aquæ salientis* in anima, metaphora est a fontibus sumpta alte aquam ejaculantibus; et quidem tam alte quam exstat principium scaturiginis. Hujus autem spiritualis fontis principium est Spiritus sanctus, qui Deus est, et cœlos habitat, ubi nobis vita æterna proponitur; quare aqua ab eo effusa ac descendens, in eamdem altitudinem ascendere dicitur ac salire : *Fons aquæ salientis in vitam æternam.* In vitam autem æternam ac in cœlum aqua salire intelligenda est, non in se solum, quasi e cœlo deflua, divino quodam impetu cœlum repetat ; sed in anima ipsa, quam impellit et salire facit in cœlum ac vitam gloriamque æternam.

Ut clare sensus verborum intelligatur, animadvertendum est, *aquam* sumi posse pro ipso *fonte :* tunc est ipse Spiritus sanctus; vel pro *unda*, quæ manat e fonte : et tunc est Spiritus sancti gratia et cum ea conjunctæ virtutes, præsertim fides, spes et charitas, aliaque dona, quæ Spiritus sanctus

in animas effundit. Hinc sensus verborum Domini sic enuntiari potest: Aqua, quam ego dabo, est ipse Spiritus sanctus, qui gratiam in animam effundet tanto impetu, ut eam extollat supra naturæ infirmitatem, et per bona opera perducat in vitam æternam.

Dicit ad eum mulier : Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.

Mulier, ut erat mente sensualis, non percepit spiritualem sensum Domini, quamvis perspicuum, de aqua spirituali; sed intellexit aquam corporalem, miraculosam tamen, quæ sitim radicitus auferret, et consequenter levaret laborem aquam longe petendi. Hanc autem credit a Jesu, quem magis magisque veneratur, sibi dari posse; et, uti fuerat invitata ejus verbis : *Petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam*, ita jam petit aquam illam mirabilem, dicens : *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.*

Dicit ei Jesus : Vade, voca virum tuum et veni huc.

Sensus est : Voca virum tuum, et veni cum ipso, ut ambo simul petitum accipiatis : congruit enim, ut tuus conjux doni tam singularis sit particeps.

Petenti mulieri aquam vivam, quam ipsemet promisit, etsi non statim concedat, non sane denegabit Dominus, dummodo illa accipiendi sit capax. Ut autem capax sit, duo requiruntur : fides in Christum, et pœnitentia de peccatis. Atqui, ut in illa anima, gradatim bene disposita, illa duo excitet, aptissime sermonem ad aliud divertit, dicens : *Voca virum tuum.* Id enim postulando, suaviter occasionem adducit, 1° aperiendi scientiam suam supernaturalem; et 2° movendi mulierem ad agnoscenda et dolenda peccata.

Dicens : *Voca virum tuum*, loquitur tanquam virum habenti legitimum; quamvis non ignoret, virum ejus esse concubinarium: ut sic nempe sensim et non abrupte vulnus attingat. Potuisset quidem dicere : Nisi pœnitentiam egeris prius de peccato scortationis, cui obnoxia es, ego hanc aquam non dabo tibi, quam nec percipere posses; — sed ma-

luit suavi artificio uti, quo peccatricis verecundiæ ita consuleret, ut tamen necessariam peccati confessionem eliceret.

Respondit mulier et dixit : Non habeo virum. Dicit ei Jesus : Vere dixisti, quia non habeo virum. Quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes, non est tuus vir : hoc vere dixisti.

Mulier, etsi non declarat occultum suum concubinatum, candide tamen respondet, *se virum non habere.* Hæc est inchoata confessio, necdum integra; quam tamen Dominus laudat, ut tanquam bonus confessarius pœnitentem confirmet et adjuvet : *Bene*, inquit, id est, recte *dixisti, quia non habeo virum.*

Approbato itaque confessionis initio, supplet id, quod illa, putans se merum hominem alloqui, studiose reticebat. Occultum autem manifestat comiter admodum, laudando eam, quod suo responso nihil fuerit mentita. *Quinque enim*, inquit, *viros habuisti*, legitimo matrimonio tibi successive copulatos; *et nunc quem habes, non est tuus vir* ac legitimus conjux; *hoc vere dixisti;* id est, hoc sensu vere dixisti, te non habere virum.— Hoc utique sensu tantum id vere dixerat; nam si alio sensu id voluisset dicere, quali B. Virgo dicebat : *Virum non cognosco;* non verum dixisset, sed falsum prorsus. Repetit ergo et inculcat Jesus, quo sensu verum dixerit mulier, ut clare intelligat illa, Jesum, hominem extraneum, conscium esse totius ipsius vitæ, et nominatim præsentis, quamvis latenter impudicæ ; utque proinde discat nosse quis sit, qui secreta et absentia perspiciat, qui se peccatricem pœnitentiæ ineundæ admoneat, ut pœnitentem aqua viva vitæ æternæ donare possit.— Reipsa Dominum cognoscere incipit mulier et respondet :

Domine, video quia Propheta es tu.

Responsio mulieris tria continet : Æquanimitatem in accipienda correptione, confessionem sui peccati, agnitionem excellentiæ Jesu. — Correptionem enim non ægre fert, sed

accipit; non succenset Domino, sed magis miratur; non abit, sed perstat; nec diffitetur peccatum, nec excusat, sed candide confitetur.

Dicendo Jesum prophetam esse, non male judicat, tametsi ille plus sit etiam quam propheta; videt enim mulier lumen ex parte, mox magis aperientur oculi mentis ejus, ac disponentur verbis Domini ut plene videat.

Jam vero ubi animadvertit mulier, præsentem se habere prophetam, proponit quæstionem propheta dignam, quæ quidem ad religionem pertinens et multum controversa, ore prophetæ solvenda videbatur.

Patres nostri in monte hoc adoraverunt : et vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet.

Non urget jam donum aquæ vivæ; sed opportuna prophetæ præsentia uti festinat ad quæstionem dilucidandam, inter Judæos et Samaritanos controversam, quæque passim in populo agitata, ejus animum maxime stimulabat : de loco scilicet adorationis.

Ostendens itaque montem vicinum Garizim, dicit Domino : *Patres nostri in monte hoc adoraverunt :* id est, Jacob et filii ejus, Samaritanorum et Judæorum communes patres, sanctique viri, religionis cultum, sacrificia nempe et orationes solemnes, Deo persolverunt in monte hoc; *vos* autem Judæi, nullo priscorum patrum exemplo nixi sed propria opinione ducti, *dicitis,* locum sacrificii ac publici cultus esse Jerosolymis; ac proinde illic templum exstruxistis.

Mulier, ut patet, suorum doctrinis imbuta, quæstionem proponit suo modo, et ita ut Samaritanis faveat. — Veritas autem erat hæc. Jacob quidem, postquam emit agrum juxta Sichem, *erecto ibi*, et fortassis in ipso monte Garizim *altari, invocavit super illud fortissimum Deum Israel* (Gen. XXXIII, 20); sed nequaquam, ut mulier insinuat, ex illa origine per legitimam continuationem manavit Samaritanorum consuetudo. Nam illi solummodo tempore Nehemiæ ædificaverunt sibi templum in monte Garizim; quod quum deinde post du-

centos annos a Machabæo, Joanne Hyrcano, eversum esset, in eodem loco sacrificare perrexerunt : contendentes, ibi ex præcepto Dei, nequaquam Jerosolymis, sacrificia legis esse offerenda. Constabat enim, quod et utrique, Judæi et Samaritani, admittebant, non nisi uno in loco sacrificandum esse, juxta illud Deuteronomii (XII, 13, 14) : *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in eo, quem elegerit Dominus in una tribuum tuarum, offeres hostias.*

Jam vero Judæi, contra Samaritanos dicebant, et merito, locum a Deo electum esse templum Jerosolymitanum, de quo Salomoni dixerat : *Sanctificavi domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum; et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus* (III. Reg. IX, 3. — Cf. II, Paralip. VI, 6). — At vero, hujusmodi testimonium Samaritani rejiciebant, utpote non desumptum ex Pentateucho Moysis, quam solam Scripturæ partem ipsi admittebant.

Mulier ergo per modum interrogationis indirectæ, exponit Domino quid doceant Samaritani, et quid Judæi ; ita ut ex mente ejus supplendum sit : *Ex qua parte stat veritas?*

Dicit ei Jesus : Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis, quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est. Sed venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate; nam et Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.

Dominus omissa solutione directa controversiæ, indirecte eam solvit dicendo, inutile esse, ut quis deinceps ea de re contendat aut sollicitus sit; instare quippe tempus *adorationis in spiritu et veritate*, id est, cultus religiosi prorsus novi, qui nulli loco erit affixus, nec ritibus Mosaicis impeditus, sed universalis et spiritualis : cultus nempe perfectus, a Messia constituendus.

Mulier, inquit, *crede mihi :* ut sic confirmet et insinuet magnam doctrinam, quam enuntiaturus est. Fidem exigit, inquit Chrysostomus, sine qua nullam magnarum rerum doctrinam percipere quisquam potest.

Quia venit hora: id est, instat, brevi aderit tempus, tempus Legis novæ, quum tu mulier, omnesque recte Deum colentes, quovis loco, et longe melius adorare poteritis Patrem. — Deum vocat Patrem, 1° sensu *essentiali*, ut significet, Deum fore communem omnium patrem, ita ut sine locorum et gentium discrimine ab omnibus adoretur ut pater : quod proprium est novæ Legis. 2° Dicit Patrem, etiam sensu *notionali* (1), ut insinuet, se esse genuinum Filium Dei.

Vos adoratis quod nescitis : nos adoramus quod scimus : quia salus ex Judæis est. — Cum Dominus nec Judæorum nec Samaritanorum ritum condemnaret, concludere potuisset mulier, ex ipsius sententia utrumque esse legitimum ; quam conclusionem ut divinus Magister præcludat, clare ostendit, Samaritanos in ignorantia atque in errore versari, Judæos vero possidere depositum veritatis.

Vos, inquit, *adoratis*, *quod nescitis :* id est, vos cultum religiosum præstatis, quin objectum, vel locum, ac modum cultus rite cognoscatis ; seu vos nescitis quid colatis, in cultu vestro cæcorum atque errantium instar versamini.

Nos vero Judæi adoramus quod scimus, legitimum Dei cultum certo cognoscimus et exhibemus. Ideo autem Providentia effecit, ut Judæis certa Dei cognitio et legitimus cultus constaret, *quia salus ex Judæis est :* salus nempe mundi, ac salutis auctor Christus, juxta promissiones notissimas, oriturus est ex Judæis. Non enim decuisset illos, ex quibus oriturus erat salutis auctor, Dei cognitione destitutos esse, sine qua nemini potest salus obtingere.

Interjecto, quasi in parenthesi, discrimine inter Judæorum ac Samaritanorum cultum, rediens ad cœptam sententiam : *Neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis :—sed*, inquit, *venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* Tempus scilicet novi cultus instat, et

(1) Cf. *Elementa theol. dogmat.* tract. 6, *De SS. Trinitate*, n. 161 et 178.

jamjam incipit. — Vere incipiebat tempus, siquidem Christus jam præsens, cultum evangelicum docebat. Id autem addidit Dominus, ut mulierem ad inquirendum magis accenderet.

Quando veri adoratores : distincti a Judæis et Samaritanis, nempe Christiani, qui veri, id est, digni ac perfecti cultores Dei erunt, *adorabunt Patrem, in spiritu et veritate.*

Adoratio *in spiritu et veritate* opponitur adorationi, quæ fiebat in monte isto et Jerosolymis, ita ut sensus sit : Tempus instat, quando cessabit cultus mosaicus, eique succedet adoratio *in spiritu et veritate.* – Jam vero cultus mosaicus particularis erat ac localis, fere prorsus externus et corporalis, ac demum institutus ad tempus : partim ut Judæos ab idololatria custodiret, partim ut *futurorum bonorum umbra* (Hebr. X, 1) ac figura esset; nunc autem, tempore impleto, cultus corporeus locum cedet cultui magis spirituali, et umbra veritati.

Hinc adorare Deum *in spiritu*, quatenus opponitur cultui cæremoniali Judæorum, significat Deum colere in corde, internis ac spiritualibus actibus, per fidem, spem, gratitudinem et charitatem : quæ obsequia interna manifestantur extrinsecus fideli observatione mandatorum. — Hic autem innuitur cultus catholicus, qui fundatur in sacrificio Eucharistico : quod quidem, etsi extrinsecus totum apparet corporeum, prorsus tamen spirituale est, nec aliunde quam a spiritu æstimatur : *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Joan. VI, 64.

Hujusmodi adoratio *in spiritu* est etiam adoratio *in veritate.* Illud enim adorare *in veritate* significat, -1) Deum recte colere, secundum veram cultus ideam, et prout Deus ipse intelligit se colendum esse. — Significat -2) præstare cultum undequaque veritate fulgentem : id est, neque immixtum erroribus ac superstitionibus Samaritanorum, neque involutum figuris Judæorum, sed evangelica luce ac virtute perfectum.

Prædicit itaque Dominus cultum catholicum, quo Deus per orbem coletur interna mente, quæ divina veritate per rectam fidem illustrata, spiritales Deo offerat hostias. Hujusmodi cultus perfectus est et Deo acceptus : *Nam et Pater tales*

quærit, qui adorent eum. Quod declaratur addita ratione : *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Deus ideo vult adorari in spiritu et veritate, quia ipse natura sua spiritus est, (subaudi) et veritas ; seu, quia ipsa ejus natura talem adorationem requirit. *Deus spiritus est*, natura sua scilicet incorporeus, intellectualis, intellectu vivens et voluntate ; *et veritas est*, adeoque puram ac solam veritatem amans, proinde solis spiritualibus actibus intellectus et cordis digne colitur : *In spiritu et veritate oportet adorare.* — His tamen verbis cultus externus nequaquam excluditur. Si enim adoratio debet esse consentanea naturæ Dei, qui spiritualis est, debet etiam consentanea esse naturæ hominis, qui non mere spiritualis sed simul corporeus est ; et sicut utrumque, anima hominis nempe et corpus, a Deo est creatum, ita utrumque debet Deo servire. Nimirum hæc duo tam arcte conjuncta sunt, ut unum absque altero nihil, etiam maxime spirituale, in hac vita operari possit.

Hinc satis intelligitur, Christum commendando atque præscribendo cultum spiritualem, nequaquam reprobare aut excludere cultum externum ; sed tantum significare, 1° cultus partem præcipuam esse internam, sicut pars præcipua hominis est anima spiritualis ; 2° nullas actiones externas aut cæremonias corporales per se placere Deo, sed solummodo quatenus vel ex interiori spiritus pietate proficiscuntur, vel ad interiorem pietatem faciunt : hujusmodi autem sunt omnes ritus ac cæremoniæ Ecclesiæ catholicæ, quæ cum veritate christianæ fidei, et cum spiritu divinitatis ejus sunt conjunctæ.

Dicit ei mulier : Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus) ; cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.

Sensus est : Cognovi ex publica fama, Messiam, ad quem tu alludere videris, adventare, et mox affuturum esse : ille plene docebit nos, et controversiam nostram dirimet. — Mulier verba Domini reverenter quidem, ut verba prophetæ audivit ; non tamen satis intellexisse, nec, quatenus Judæos præfer-

rent Samaritanis, probasse videtur; quare cum ex ipso sermone Domini, adventantis Messiæ recordetur, ad illius irrecusabilem doctrinam provocat.

Quod autem dicit, *se scire*, et tanquam exploratam veritatem tenere, quæ ad Messiam pertinerent : cognovit, tum ex testimonio Joannis Baptistæ, aliisque rebus in Judæa gestis, quarum fama popularis erat; tum ex Pentateucho, quem Samaritani admittebant (Deut. XVIII, 15-18; Gen. XLIX, 10).

Illud, *qui dicitur Christus*, verbum est Evangelistæ, qui nomen hebraicum *Messias* in gratiam lectorum vertit nomine græco *Christus*.

Dicit ei Jesus : Ego sum, qui loquor tecum.

Quod hactenus tacuit Dominus, se Messiam esse, hic demum aperit opportunissime : 1° quia mulierem variis modis jam ad fidem præparavit, et quidem ad fidem in se; 2° quia ipsamet Messiam appellat, parata eum agnoscere ejusque doctrinam amplecti. Quam aptissime ergo Dominus verbis mulieris respondet in hunc sensum : Messiam exspectas, qui te doceat, ecce adest et docet te : *Ego sum, qui loquor tecum.* Quæ itaque ex me audivisti, tanquam Messiæ doctrinam amplectere.

Et continuo venerunt discipuli ejus, et mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit : Quid quæris, aut quid loqueris cum ea?

Adventus discipulorum colloquio finem attulit, et quidem, ut Chrysostomus ait, *tempestive, cum jam nihil amplius ad dicendum relinqueretur.* Sicut prius opportune discipuli abfuerunt, ut mulier commodius minorique cum verecundia instrueretur; ita nunc opportune redeunt, ut simul ac Jesus se Christum esse fassus est, colloquium abrumpatur, et mulier apud se meditari possit quæ audivit.

Discipuli mirabantur, quia cum muliere loquebatur.

Non miratione sinistra, quasi tale colloquium quomodocumque vel specietenus reprehensibile ipsis videretur; sed quia erat Domino insolitum et præter morem ejus.

Nam 1° non consueverat mulieribus privatim loqui etiam patenti loco, sed tantum in turba; exceptis familiaribus et sanguine junctis. — 2° Non consueverat loqui nisi de rebus gravibus et ad regnum Dei pertinentibus, quibus mulier hæc, Samaritana et plebeia, minus apta videbatur.

Quamvis mirentur discipuli, præ reverentia tamen, et eo quod sciant colloquium Magistri non esse inutile, aut vacuum, aut sine consilio et justissima causa institutum, nihil interrogant, neque quid ex muliere quærat, aut qua de re loquatur cum ea : *Nemo tamen dixit : Quid quæris, aut quid loqueris cum ea?*

Reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit in civitatem, et dicit illis hominibus : Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia quæ feci : numquid ipse est Christus? Exierunt ergo de civitate et veniebant ad eum.

Ergo, interrupto colloquio, et quia intellexit mulier ac vere credit, se in personam Messiæ incidisse; statim, quin verbum respondeat, properat ad civitatem, ut concivibus suis lætum nuntium afferat, eosque ad Christum deducat.

Nihil respondit, nimirum stupefacta præ admiratione rei omnino maximæ.

Reliquit hydriam suam, ad puteum : tum quia cogitabat se mox reversuram, tum quia sine impedimento properare volebat; tum quia præ gaudio vix curabat illud, cujus gratia venerat.

Regressa itaque ad suos : *Venite*, inquit, *et videte hominem, qui dixit mihi omnia quæ feci.* Non dicit *ite*, sed *venite*, quia

ad Christum ipsa redire eosque deducere volebat. — Venite et *videte*, id est, experientia cognoscite *hominem*.... non dicit *Christum*, ne contemptum ac incredulitatem provocet, si de re tanta præjudicare imperita mulier videatur. Non itaque dicit, *videte Christum*, sed *videte hominem* mirabilem, *qui dixit mihi omnia, quæ feci :* id est, peccata mea occulta, ita ut intelligerem totam vitam meam ipsi esse cognitam. Hoc miraculo narrato, invitat eos ut de hoc homine judicent, videantque, utrum forte non sit ipse Christus : *Numquid ipse est Christus?* insinuans, istud propter illam secreti revelationem non esse improbabile. Sic autem loquitur, non quia ipsa adhuc dubitat ; sed ut melius civibus rem persuadeat.

Animadvertite, inquit Chrysostomus, *immensam mulieris sapientiam*. Et re quidem vera, omnia ejus verba esse prudentissima, facile intelligitur. Quamvis enim rem certo teneret, non temere affirmat, adesse Messiam ; sed prius factum refert mirabile, quo animos curiositate excitet, et ad fidem præparet ; deinde invitat ut ipsi videant, an forte ille propheta non sit promissus Messias. *Intelligebat enim*, ut Chrysostomus addit, *modo fontem illum adirent et gustarent, eadem de eo quæ et ipsa sensuros.*

Prudenti ergo sermone inducti homines, magno numero exierunt de civitate, et venerunt ad eum, ut viderent, audirent et judicarent.

Interea rogabant eum discipuli dicentes : Rabbi, manduca.

Interea discipuli, cum appositum cibum sponte non sumeret Dominus, sed quasi in alia re, quæ sibi magis curæ esset, defixus hæreret meditabundus ; invitabant eum ad manducandum. Quod quidem fecerunt ex pia cura erga magistrum, et simul etiam propter seipsos. Dominus enim uti fessus ex itinere, ita jejunus adhuc erat, abeunte meridie ; et ipsi esurientes, cupiebant ut, Domino cibum prægustante, refectionem sumere possent.

Ille autem dicit eis : Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Dicebant ergo discipuli ad invicem : Numquid aliquis attulit ei manducare ?

Invitantibus ad manducandum respondet Dominus : *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis;* quasi dicat : Nulla jam me movet appetentia cibi vestri : adest enim mihi longe aliud genus alimenti, incognitum vobis, quo me velim reficere. — Non negat se esurire ; sed significat, cibum alium esse quem præferat : ut per allegoriam anagogicam discipulos ad spirituale documentum capiendum disponat ; semper occasionem captans, a corporalibus rebus ad spiritualia animos erigendi. — *Quem vos nescitis :* id est, qualis sit ille cibus meus vos non novistis adhuc, donec ex me didiceritis. Nesciebant enim, -1) instare Samaritanorum conversionem, et -2) illi conversioni incumbere, esse Jesu loco cibi.

Interim, videtur Jesus his verbis permittere discipulis ut manducent, quamvis ipse abstineat ; quasi dicat : Vos sine me manducate, mihi aliud cibi genus suppetit.

Nescientes itaque de quo cibo loqueretur, nec alium cibum nisi corporalem cognoscentes, discipuli inter se submissa voce disquirebant, num quispiam, ut forte illa mulier, dum abfuissent, cibos attulisset Domino : *Numquid aliquis attulit ei manducare?* — Audiens autem Dominus, non quidem vocem, sed ut Augustinus ait, *cogitationes eorum*, id quod non intelligebant explicavit, dicens :

Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.

Longe clarius aperit discipulis mysterium spiritualis cibi, quam supra mulieri explicavit obscurum de aqua sermonem : *Illis enim datum fuerat nosse mysteria regni cœlorum.* Matth. XIII, 11.

Meus, inquit, *cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me :* id est, ut faciam id ad quod in mundum me misit

Pater; — prout aliis terminis explicat addendo : *Ut perficiam opus ejus*, scilicet opus, negotium, quod ille mihi injunxit et commisit.

Porro illud opus erat salus hominum, seu homines ad vitam æternam adducere; prout sequentibus versibus satis indicatur, et alibi diserte dicitur : *Misit Deus Filium suum in mundum, ut salvetur mundus per ipsum* Joan. III, 17). — Hoc opus Christus perficere debebat duobus modis : prædicatione et expiatione; seu doctrina et morte. Hic autem ad doctrinam maxime respicere videtur, nempe ad institutionem Samaritanorum.

Opus itaque adducendi homines ad salutem, cibum suum esse dicit. Non quod corporis alimento non indigeat, sed quod hoc opus quovis cibo ipsi sit potius; quod idem velut famelicus appetat, et ita quidem, ut præ illo omnem corporis cibum facile fastidiat atque negligat : quemadmodum hic, quamvis lassus et esuriens, cibi potusque obliviscitur.

Cur autem appetibilis adeo et suavis ipsi esset hominum salus, duplicem insinuat rationem : quod et voluntas esset Patris, et hominum summa felicitas.

Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis : levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem. Et qui metit mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam; ut et qui seminat simul gaudeat, et qui metit. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, et alius qui metit. Ego misi vos metere, quod vos non laborastis : alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.

Postquam aperuit discipulis, quem intellexerit cibum, jam declarat, quam præsens et paratus sit ille cibus, tum sibi, tum etiam discipulis; transit tamen ab allegoria cibi ad allegoriam messis, quæ ultimam operam repræsentat, qua homines, prævie jam dispositi, per operarios apostolicos convertantur.

Sermonis Domini sensus est quasi dicat : Opus animarum, de quo loquor, offertur copiosissime : ecce populi velut campi sunt, maturi ad messem salutis ; vos itaque mecum hanc messem colligite. Non laborabitis inaniter, sed mercedem accipietis duplicem : nimirum 1° vitam æternam, seu salutem propriarum animarum ; et 2° gaudium ob salutem aliis procuratam. Quæ merces vobis Apostolis communis erit cum Prophetis. Vos estis messores, Prophetæ fuere satores ; vobis potiores laboris partes obtingunt, merces tamen eadem satoribus et messoribus erit.

Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? Id est, de messe æstiva si interrogavero vos, recte dicetis, eam adhuc quatuor mensibus abesse : de messe autem spirituali animarum ego dico vobis, eam esse maturam. — Cum messis in Palæstina incideret inter Pascha et Pentecosten, id est in mensem Majum (in Pentecoste enim jam offerebantur panes primitiarum, Levit. XXIII, 17) ; sequitur, hæc Dominum dixisse mense Januario, cum segetes adhuc essent virides. Hinc ansam capit, ut ostendat aliam messem longe differentem, dicens :

Ecce dico vobis, levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem. Facie et manu indicat Dominus campos obsitos Samaritanis, magno numero e civitate Sichar ad ipsum accurrentibus, optimeque paratis, ut tanquam maturæ fruges demetantur : id est, ut per fidem in Ecclesiam Christi inferantur. Jubet discipulos levare oculos, non tantum corporis, sed præsertim mentis. Nam, ut Cyrillus scribit, *sata intellectualia sunt prophetarum, et spicæ spirituales, qui voce culti, ad fidem Christi perveniunt : quæ seges albescit tunc, cum jam maturus, id est promptus ad suscipiendam fidem Christi et veram religionem animus est. Messoria vero falx est Apostolorum splendida prædicatio, quæ ad aream, id est Ecclesiam Dei transponit.*

Ostendendo discipulis messem, tacite Dominus eos hortatur, ut sibi sint auxiliatores. Nam, quemadmodum ubi maturuit seges, messis ferre moram non potest, ne grana excidant et pereant ; ideoque properant agricolæ omnes, et studiose satagunt messem colligere, omnibus admoventibus

manum : ita dum testatur Christus, maturam esse frugem spiritualem animarum, monet discipulos, ut secum laborent, ne damnosa sit cessatio. Clarius autem eos hortatur ad laborem, et efficacius, proposita mercede.

Et qui metit mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam. — Effectus laboris indicatur duplex : nam 1° messor accipit *mercedem*, subaudi e proximo membro, *in vitam æternam*, id est, accipit a Domino messis, mercedem vitæ æternæ. — 2° *Et congregat fructum in vitam æternam :* id est, animas multas Christo lucrifacit, et velut animarum segetes adducit, non in horreum terrenum, ubi aliquando consumantur et pereant ; sed in vitam æternam. Unde duplex operario evangelico gaudium nascitur: quod et ipse fruatur vita æterna, et illi etiam quos sua opera Christo lucrifecit : illud est essentiale gaudium beatitudinis, hoc accidentale. — Addit porro, mercedem hanc Apostolis fore communem cum Prophetis, quos seminatores vocat.

Ut et qui seminat simul gaudeat et qui metit. Quoniam scilicet Dominus messis non minorem dabit mercedem satoribus quam messoribus, sequitur fore, ut utrique in vita æterna una cum fructu se mutuo reperiant et complectantur : gaudentes pariter de animarum salute, ad quam utrique cooperati sunt. — Satores intelliguntur Abraham et Patriarchæ, Moyses et Prophetæ cum Joanne Baptista : qui sudore et labore magno jactarunt semina fidei, docendo rudem populum cultum unius Dei, præcepta Dei et venturum Christum Salvatorem. — Ideo autem illorum mentionem facere Dominus videtur, 1° ut clarius exponat naturam et excellentiam, imo facilitatem laboris apostolici, qui complementum est laboris Prophetarum ; 2° ut sic Apostolos exstimulet, ostenso Prophetarum exemplo.

Dicendo seminantis et metentis gaudium hic commune fore, insinuat, hoc differre messem æternalem a temporali, quod sæpe contingat, eum qui seminaverit, mortuum esse tempore messis ; adeoque laboris sui fructu privari, qui tantum ab hærede colligitur : unde proverbium, *alium esse qui seminat, et alium qui metit.* Quod quidem proverbium citat Dominus, sed peculiari sensu, dicens :

In hoc enim est verbum verum, quia alius est qui seminat, et alius qui metit : id est, hoc sensu hic applicari potest pervulgatum proverbium, quod serentium et metentium personæ sunt diversæ, licet neutri fructu laboris frustrentur. — Explicat autem aperte, quomodo proverbium Apostolis applicetur, subjungens :

Ego misi vos metere, quod non laborastis : alii laboraverunt, et vos in eorum laborem introistis. — Dicit se misisse Apostolos, quia eos elegit mittendos, imo jam mittere et tanquam cooperatores adhibere cœpit : prophetico scilicet more, tanquam jam factum exhibet, quod certo fiet. — Illud metere *quod non laborastis* indicat, messoris operam esse minime laboriosam; præsertim si comparetur cum seminatione et cultura, qui labor gravis est, molestia et tristitia plenus. Quod quidem his Psalmista significavit : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Ps. CXXV.

Vos, inquit, non laborastis; sed *alii laboraverunt*, scilicet qui ante vos vixerunt Messiæ præparatores : qui similes agricolis, terram duram arantibus, irrigantibus, omnique modo colentibus, plurimum in erudiendo ac disponendo populo rudi et intractabili desudarunt.

Et vos in labores eorum introistis : id est, vos ejusdem operis continuatores, labores eorum perficitis; et populum per Messiæ exspectationem ac veteris Legis figuras dispositum, facile jam ad Ecclesiam Christi traducere potestis. — Loquitur, ut patet, de gente Judaica, in qua Samaritanos etiam comprehendit.

Conclusio sermonis Domini respectu discipulorum, hæc insinuatur, ut evangelicum laborem gnaviter suscipiant: tum propter amplissimam mercedem, — tum propter negotii facilitatem, quod hominum animi antea per Prophetas et legis doctores culti atque instructi, jam prompti ac parati essent ad Christum ejusque Evangelium recipiendum.

Hinc revertens Evangelista ad Samaritanos narrationem absolvit, dicens :

Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcumque feci.
Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret, et mansit ibi duos dies.

Multi crediderunt in eum, id est, crediderunt eum esse Messiam. Motivum credendi, quod additur, est testimonium mulieris, *quia dixit mihi omnia quæcumque feci.*

Mulier quoque insinuaverat, Jesum probabiliter esse Messiam; imo vix dubium est, quin tandem aperuerit, ipsum sese Messiam fassum esse : ratio tamen principalis cur credant, est testimonium seu constans affirmatio mulieris, *quia dixit mihi omnia quæcumque feci.* Cujus argumenti efficacitas sita erat in duobus : 1° quod mulier evidenter verum diceret, cum in re testanda ne proprio quidem parceret honori; 2° quod res testificata denotaret in Jesu cognitionem ac spiritum propheticum. Ex quibus, juvante gratia, concluserunt Samaritani, Jesum esse Prophetam, imo magnum Prophetam promissum ac tunc exspectatum, Messiam.

Lumen hic Samaritanis concessum, modicum fuit, miraculum leve, si comparetur cum signis, quæ Dominus in Judæa operabatur; cum autem nihilominus Samaritani credant, optime sane dispositi censendi sunt; adeo ut merito tanquam matura messis fuerint a Domino exhibiti. — Illi ergo credentes exierunt cum muliere et venerunt ad Jesum.

Cum venissent ergo ad illum Samaritani, eumque vidissent et audivissent de rebus divinis disserentem, non minuit opinionem ac fidem præsentia ejus, sed auxit. Quapropter *rogaverunt eum ut ibi maneret*, id est, ut urbem ingressus, amplius ipsos de Messia ejusque regno instrueret, imo perpetuo ibi habitaret.

Tam sanctam petitionem non rejicit Dominus, sed pro humanitate ac zelo, quoad potest, exaudit : *Et mansit ibi duos dies.* Biduum dumtaxat concedit Samaritanis, 1° quia missus

erat ad domum Israel, id est ad Judæos; nec aliis nisi a longe et velut in transitu subvenire poterat. — 2° Ne, si diutius moratus esset, ansam dedisset Judæis ipsum calumniandi, quasi non esset Christus promissus domui Juda, quia alienigenis adhæreret.

Mansit ergo in Sichar duos dies, quos docendo impendit, et forte etiam credentibus baptizandis, puta per discipulos. Prædicationis autem ejus effectus fuit uberrimus.

Et multo plures crediderunt in eum, propter sermonem ejus. Et mulieri dicebant : Quia jam non propter tuam loquelam credimus : ipsi enim audivimus, et scimus, quia hic est vere Salvator mundi.

Multo plures crediderunt propter sermonem ejus, quam crediderant propter verbum mulieris. — Mirabilis sane fuit ille sermo Domini, plenus auctoritatis virtutisque divinæ. Et quamvis Evangelista verba ejus non enarret, verisimile tamen est, quæstionem de loco adorationis iterum a civibus propositam fuisse, eaque occasione multa Dominum de lege, de templo, de colendo Deo, deque Evangelio disseruisse, adeoque se Christum professum esse ; et singula tum Scripturis sacris, tum claris rationibus confirmasse : quo factum est, ut tot homines tam brevi tempore fidem receperint.— *Propter sermonem ejus :* miraculorum non meminit Evangelista ; nec enim opus fuit miraculis, ubi facilis fides.

Illi autem, qui antea propter mulieris testimonium crediderant, mulieri dicebant : *Quia jam non propter tuam loquelam credimus :* id est, non tuis solis verbis persuasi credimus eum esse Messiam, sed ipsius potius convicti evidentissima doctrina. — Quod quidem non ideo dicunt, ut contemnant verba mulieris ; sed potius, ut ea quæ ex ipso Christo audierunt, extollant supra testimonium mulieris : sole præsente, clarius se fatentur illuminari.

Ipsi, inquiunt, *audivimus, et scimus :* ex ore scilicet ejus audivimus, et ex mirabili sermone ejus veritatem intellexi-mus et scimus. — Dominus enim sicut antea mulieri, ita nunc

omnibus Samaritanis declaravit, se esse Messiam. Sic autem declaravit, ut firmissimis id rationibus ex sacra Scriptura petitis, aliisque modis comprobaverit.

Quia hic est vere Salvator mundi : scilicet, hic est Messias seu Christus, qui per periphrasim appellatur Salvator mundi. — Dicitur 1° *Salvator*, et quidem cum articulo, ὁ σωτὴρ, *salvator ille* : ut significetur magnus ille olim patribus promissus Salvator, qui veram ac perfectam salutem afferat. — Dicitur 2° *Salvator mundi*, non salvator Israel, quia salus a Christo afferenda, non Israeli propria, sed toti mundo communis esse debebat. Id sane eo impensius Samaritanis Jesus testatus est, quo melius illi intelligerent, salutem ac regnum Dei ad se quoque pertinere. Quod ergo clare ex ore Domini audierant, id cum gaudio confitentur dicentes : *Quia hic est vere Salvator mundi.*

—

Explicatio secunda.

Conversio mulieris samaritanæ salutare nobis exhibet exemplum illius docilitatis, qua divinæ gratiæ respondendum est. Non solum autem exemplo mulieris docemur, sed etiam exemplo et doctrina Christi, eam convertentis. Dum enim miseram peccatricem, tanquam ovem perditam ad ovile salutis adducit Dominus, non modo misericordiam suam manifestat, sed simul præclara nobis tradit documenta, tum verbis, tum sanctissima ac prorsus divina ratione agendi.

Jesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta.

1° Fatigari voluit Dominus propter nos et propter salutem nostram. Fatigatus venit illuc, quærens oviculam perditam, ut intelligam, quanto labore et amore me quæsierit : *Quærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus, tantus labor non sit cassus.*

2° Fatigatus est prolixo itinere, quod, quamvis incommodum, pedibus conficere voluit, absque solamine, etiam in ipso meridie: ut exemplo nos doceat fatigationem non aspernari in via vitæ; et laborem generose tolerare, ex amore ipsius Domini et salutis animarum.

3° Sedebat ad fontem donec redirent discipuli cibum afferentes, ut illic refectionem sumerent, ubi aquam ad bibendum haberent. En frugalitas Salvatoris : -1) potus ejus est aqua, cibus vero censendus hujusmodi potui similis, nempe panis, fortassis hordeaceus, quali eum alibi usum videmus (Joan. VI, 9).—2) Nec tantum victus ejus tenuis est, sed eo parcissime utitur. Etsi enim ad horam usque meridianam iter fecit, adhuc jejunus est; imo refectionem tam necessariam differet, ut novo labori incumbat ad salutem animarum. Quasi ex ipso zelo corpus accipiat alimentum et vires : *Meus*, ait, *cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.* — Alibi dixerat : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei* (Matth. IV, 4). — Non ergo Dominus quanto plus laboris, tanto plus cibi corporalis assumendum existimat.

4° *Sedens sic supra fontem* in via, Dominus typum exhibet gratiæ quam unicuique mortalium offert. -1) Sedet juxta viam, quia unicuique in via vitæ sese ostendit, ut ad salutem, si velint, pervenire possint. *Qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* (I Tim. II, 4). —2) Sedet supra fontem, qui repræsentat hujus vitæ temporalia bona, ut ostendat nobis fontem meliorem, scilicet æterna bona, quæ nobis pro temporalibus dare paratus est.

5° Sedet fatigatus, non tam quærens corporis sui quietem, quam exspectans animam salvandam. Nunquam enim passus est præterire occasionem animabus benefaciendi : sive eum ultro quærerent, sicut Magdalena; sive eum nequaquam quærere cogitarent, sicut hæc Samaritana : ubique exemplum nobis præbens zeli animarum. — In præsenti autem casu zelum nobis ostendit perfectissimum, zelum nempe purum, quo solas animas quærit, zelum ardentem ac indefessum, quo suimet obliviscitur, zelum prudentem, quo omnibus

omnia factus, suaviter animas allicit; prout practice in sequentibus videbimus.

Venit mulier de Samaria...

Venit peccatrix, rediit pœnitens, et thesaurum Christi feliciter consecuta : exemplum exhibens perfectæ conversionis et diligentiæ, qua gratiæ respondere debemus.

1° Erat illa mulier a via salutis valde remota : vitiis enim immersa, de conversione ac salute minime cogitabat. Imo salutis ac vitæ spiritualis erat ignara, nihil præter res externas et quæ ad vitam sensualem pertinent, sciens aut intelligens. Christum sibi loquentem non tantum non cognoscit, sed ut alienum et quasi adversarium aspicit. Quare aquam ipsi petenti denegat....

2° A Deo revocata, primum gratiæ resistit. Nam aquæ petitio ex parte Domini, gratia est peccatrici concessa. Offertur enim ipsi occasio operis misericordiæ, quod si fecisset, et Domino potum obtulisset, procul dubio pro calice aquæ frigidæ statim mercedem accepisset Christo dignam, nempe aquam vivam gratiæ. — At vero non solum aquam Christo denegat, sed eum etiam reprehendit, quod aquam ab ipsa poscat, ipsamque alloquatur : *Quomodo tu, Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana?*.... In quo depicta nobis proponitur parcitas et turpis agendi ratio hominum erga Deum, cui negant quod ille petit : sive petat per secretam inspirationem, sive per pauperes petentes eleemosynam.... Neque unquam illis desunt excusationes et prætextus, ad denegandum quod petitur ; imo reprehendunt oblique et conqueruntur, quod multa et gravia ab ipsis petantur ; et moleste ferunt ipsum colloquium et familiaritatem cum Deo.... Hoc totum provenit ex eo, quod, sicut Samaritana, non noverunt, quis iste sit magnus Dominus, qui illa petit, nec eum æstimant, ut par est, quia pene extinctam fidem habent : *Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi*....

3° Incipit audire verbum Dei. Negato enim, quem Dominus petebat haustu aquæ, et sic rejecta prima gratia, mulier a divina misericordia non derelinquitur ; sed iterum sollicita-

tur a Domino, proponente illi donum Dei : *Si scires donum Dei*... Hunc de Deo sermonem non contemnit, sed uti decet, audit, et cum non intelligat, reverenter Dominum interrogat ut doceatur : en principium conversionis : auditio verbi Dei, et consideratio....

4° Incipit orare : *Domine*, inquit, *da mihi hanc aquam*. Audiendo verbum Dei, desiderium concepit doni Dei, quod ei Dominus proponit. Istud quidem etsi non plene intelligit, tamen valde desiderabile esse sentit, ideoque desiderat et petit. Petitio seu oratio imperfecta valde est, sed tamen grata Domino et efficacissima. Petit enim implicite, et quasi nescia, donum salutis, spiritum bonum : Dominus autem, uti ipsemet dixit, *non denegat spiritum bonum petentibus se* (Luc. XI, 13). — Statim itaque ac petivit mysticam illam aquam, seu donum Dei, Dominus se paratum ostendit eam dare, dicens : *Vade, voca virum tuum et veni huc :* scilicet, ut tibi et ipsi quod petis tribuam. Sic Dominus loquitur, ut magis conversionem inceptam promoveat, et peccatrici detestationem de peccatis insinuet.

5° Agnoscit interne se esse peccatricem; dicit enim : *Non habeo virum*. Qua quidem responsione non declarat extrinsecus, se peccatricem esse, sed neque mentitur ut se probam fingat; imo interne fatetur, se virum habere non legitimum, adeoque se male vivere. Quæ agnitio culpæ, utut imperfecta, Domino gratissima est. Ideoque mulierem laudat his verbis : *Bene dixisti, quia non habeo virum*. Simulque eam ad plenius culpam confitendam juvat, addendo : *Quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes non est tuus vir*.

6° Confitetur humiliter peccata sua, dicens : *Domine, video quia propheta es tu;* quasi diceret : Domine, fateor me peccatricem esse sicut dicis; peccata mea abscondita lumine prophetico manifesta tibi sunt, sicut ipsi Deo.

7° Peccata detestatur, et amplectitur legem Christi. Statim enim ac via salutis sibi ostensa est in Christo, eam ingreditur, viam peccati relinquendo et Salvatori ejusque legi adhærendo. Et quidem tam ferventer novam vitam incipit, ut non tantum ipsa Christi discipula fiat; sed alios etiam verbis et exemplis ad Dominum, fontem vitæ, adducat.

Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus : Da mihi bibere.

Christus Dominus in conversione hujus mulieris, exemplo prorsus divino ostendit nobis praxim et exercitium zeli.

1° Tanquam pastor bonus, ultro quærit ovem perditam, venitque ad Sichar, ut illic inveniat animam, a qua nequaquam ipse quæritur, secundum illud : *Inventus sum a non quærentibus me : palam apparui iis qui me non interrogabant.* Rom. X, 20; Isai. LXV, 1.

2° Ut mulierem alloquatur, eligit tempus et locum opportunum, quum ipsa egressa e civitate sola invenitur.

3° Accommodat se conditioni ejus et captui : sedet ad fontem, quia illuc erat ventura; petit aquæ potum, quia mulier aquam hauriebat; ut eam doceat utitur symbolo aquæ, quia hujusmodi symbolum erat captui ejus maxime proportionatum. Ita Dominus Apostolis exemplo prælucens suo, *factus est infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaceret; omnibus omnia factus est, ut omnes faceret salvos.* I Cor. IX, 22.

4° Quamvis mulieris peccata omnia cognoscat, non tamen ab initio ei pœnitentiam proponit de peccatis agendam; neque amare eam corripit : sed potius amice alloquitur, imo humiliter, quasi ejus ope indigens. Petit autem ab ea opus bonum, opus misericordiæ, sed facillimum, quodque libenter passim præstari solet, ut haustum aquæ præbeat viatori : *Da mihi bibere.*

5° Neganti mulieri, imo inconcinne, indecore, et contumeliose respondenti, opponit mansuetudinem miram : qua non modo nullam animi commotionem manifestat, sed benignissime dona ostendit, quæ possit ipse conferre, quæque libenter conferet mulieri, si velit. Per hanc mansuetudinem, cum cœlesti quadam dignitate ac bonitate conjunctam, mulieris reverentiam excitat et fiduciam, quo fit ut eam erudire possit de re salutis. Hanc autem sub figura aquæ vivæ ita explicat, ut excitet desiderium sanctum, quo mulier oblatum bonum petit, dicens : *Domine, da mihi hanc aquam.*

6° Videns pium mulieris desiderium, suaviter et fortiter procedit ad tollendum obstaculum dono gratiæ oppositum, nempe peccatum. Quare primum benignitate quadam ingeniosa eam inducit ad considerandum statum animæ suæ, dicendo : *Vade, voca virum tuum.* — Ubi autem illa cœpit agnoscere suam miseriam, fatendo se non habere virum, Dominus eam laudat, confirmat, simulque corripit in spiritu lenitatis : non minus fortiter scilicet quam suaviter ei peccata sua præ oculis ponens. Quod quidem ita facit, ut mulier sentiat eum loqui, non ut hominem, sed ut Dei ministrum ac prophetam : ideoque humiliter correptionem ejus quasi correptionem Dei accipit, peccataque sua confitetur, dicens : *Domine, video quia propheta es tu.*

7° Conversionem inchoatam perficit, traducendo peccatricem ex via prava ad viam justitiæ. Agnitus enim ut propheta, libere mulierem docet, eique legem Dei ex animo servandam proponit, dicens : *In spiritu et veritate oportet adorare;* simulque omnem justitiam, puramque sanctitatis viam in sua persona aperit, subjungens : *Ego sum, qui loquor tecum.*

Da mihi bibere.

1° Sitis, quam Dominus passus est et nobis manifestavit, erat in hoc loco, sicut postea in cruce, -1) sitis corporalis. Hanc ut levaret, rogabat haustum aquæ, quem a creaturis suis non accepit : ut doceat nos aliquam pro ipso et pro proximo penuriam pati... -2) Erat sitis spiritualis, qua desiderabat nostram salutem ac perfectionem....

2° Non sane opus habebat Dominus aquam petere, quum potuisset quovis modo sibi providere; petere tamen propter ipsam mulierem voluit. Dicendo enim mulieri : *Da mihi bibere*, magnum ei favorem præstat, quamvis ignoranti, ut nempe possit Domino ac Deo suo potum dare. Et quidem tantus fuit ille favor, ut si concederetur nobis Christo sitienti servire, felicissimos nos æstimaremus. Atqui conceditur : Christus enim unicuique nostrum dicit : *Da mihi bibere.* Quod quidem loquitur, -1) in persona pauperum, ignorantium, peccatorum, omniumque sive corporaliter sive spiri-

tualiter miserabilium, quibus opitulari possumus. Ipsorum ore loquitur Christus, nobis dicens : *Da mihi.* —2) In propria persona, dum per vocem gratiæ suæ rogat nos, ut id præstemus, quod tam ardenter sitit : nimirum ut eum amemus, eique præbeamus cor nostrum, et per obedientiam, humilitatem, pietatem nostram, etc. gratissimum ipsi levamen afferamus.

3° Petit haustum aquæ, rem facillimam,... rem nullius pretii in se : pro qua tamen mercedem divinam daturus est. *Quicumque dederit potum uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum, in nomine discipuli : amen dico vobis, non perdet mercedem suam* (Matth. X, 42). — *Momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* II. Cor. IV, 17.

4° Petit ab omnibus, dicens : *Da mihi bibere;* nequaquam vero ab omnibus accipit. Alii enim Domino ac Deo suo quod postulat denegant, imo reponunt injurias. Istis in die judicii dicet : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum* (Matth. XXV, 42). — Alii vero, sive parcius, sive copiosius, Domini petitioni ac desiderio respondent. His dicet : *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere.* Matth. XXV, 35.

Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi : Da mihi bibere...

1° Hic apparet infinita Christi charitas et liberalitas erga hominem. Nam loco ultionis a nobis sumendæ propter rejectam gratiam ; solet nos denuo et sæpius invitare, ut ea bona quæ nobis desunt, consideremus, desideremus et ab ipso petamus....

2° Quod Samaritanæ dixit, dicit nobis : *Si scires donum Dei...* quasi his uteretur verbis : Si scires, quem præsentem habeas ; quique alius non est, quam unigenitus Dei Filius, datus mundo ut Spiritum sanctum, omniaque gratiæ dona ei

communicet; et si scires, qualis occasio tuæ salutis nunc tibi offeratur ab illo... tu sane ardenter peteres dona ejus. Ipse autem adeo liberalis est, ut nihil tibi quamvis indigno et erga ipsum avaro, negaret : et quamvis tu negaveris ipsi aquam mortuam, ipse tibi largiretur aquam vivam....

3° Dicendo : *Si scires donum Dei,* significat excellentiam bonorum spiritualium, quasi diceret : Si scires, quam pretiosa sit fides, humilitas, pœnitentia de peccatis, charitas, patientia christiana, aliaque interna dona gratiæ; ea profecto spretis omnibus appeteres : sicut ille homo negotiator, qui *inventa una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam.* Matth. XIII, 46.

4° Dicendo : *Si scires, quis est, qui dicit tibi...* significat, nos sæpe Dominum ac Deum non agnoscere cum loquitur nobis, aut opus bonum quodlibet petit a nobis... Quod si sciremus ipsum esse Deum ac Dominum, Salvatorem nostrum amantissimum, tam dignum nostra gratitudine, tamque liberalem in retribuendo; non modo non negaremus quæ petit, sed ultro omni ejus desiderio studeremus occurrere.

5° Dicendo : *Si scires,* innuit, principium nostræ segnitiæ et fastidii nostri circa res salutis, esse ignorantiam. Quæ autem est hujus ignorantiæ causa? Cur nescimus ea quæ tantopere refert cognoscere? Quia sicut mulier Samaritana in peccato vivimus, et unice in rebus temporalibus occupamur.... *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.* I Cor. II, 14.

Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

Quænam est aqua spiritualis, quam Dominus promittit? Cur vocatur aqua? Cur dicitur in anima fieri aquæ fons?

1° Aqua viva est gratia divina (1), quæ essentialiter est donum Dei ac Domini nostri Jesu Christi. Hæc autem gratia est vel actualis, vel habitualis seu sanctificans. — Gratia actualis est lumen et auxilium ad peccata fugienda, bona opera facienda, et justificationem ac gratiam sanctificantem conse-

(1) Cf. *Adjumenta orat. sacri,* Argum. 34, *de Gratia.*

quendam. — Gratia habitualis seu sanctificans, est spiritualis animæ vita, vita filiorum Dei, ac semen gloriæ, filiis Dei post vitam hanc mortalem reservatæ : adeo ut gratia hujus vitæ immutetur in gloriam vitæ futuræ....

Quoniam autem fides, fiducia, et generatim omnia dona supernaturalia in gratia continentur, dici quoque potest, aquam vivam gratiæ omnia universim bona cœlestia repræsentare; sicut aqua fontis terreni, in præsenti Domini sermone, bona terrena repræsentat.

2° Gratia vocatur *aqua*, quia proprietates aquæ spiritualiter in anima producit. Nam -1) sitim sedat terrenorum bonorum; imo ita animam satiat, ut nihil amplius desideret in hoc mundo. -2) Concupiscentiæ æstum temperat. -3) Ariditatem mentis pietatis sensu humectat et emollit. -4) Animæ maculas abluit. -5) Animam irrigat redditque virtutibus fecundam....

3° Aqua gratiæ differt ab aqua putei terreni, eo quod -1) hæc aqua, symbolum bonorum hujus mundi, sitim humani cordis, seu desiderium nostrum non expleat; imo sicut oleum igni injectum, facit ut acrius exardescat... -2) Animam non abluit, sed maculat peccatis, et tenebris obvolvit. -3) Animam non irrigat, sed vastat, et sterilem reddit cœlo....

4° Dicitur aqua gratiæ fieri *fons :* quia gratia actualis ubi corde docili suscipitur, animam perducit ad gratiam sanctificantem; hæc autem ubi animæ infunditur, simul Spiritus sanctus, ipse fons atque auctor gratiæ, in eam descendit, ut mansionem ibi faciat.

3° Dicitur *fons aquæ salientis in vitam æternam :* quia -1) Spiritus sanctus, in animam justi semel ingressus, dona uberrima diffundit... -2) Quia per hæc sua dona, lumina, desideria sancta, virtutes christianas, humilitatis, orationis, etc., efficit, ut anima opera producat vitæ æternæ meritoria, utque ad illam vitam æternam tandem feliciter perveniat.

6° Dicitur *aqua quam ego dabo :* -1) quia Spiritus sancti gratia a Christo datur, qui eam passione ac morte meruit. Ipse enim est illa petra deserti, quæ virga Moysis percussa, effudit aquas uberrimas filiis Israel. *Percussit petram, et*

fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt (Ps. LXXVII). —2) Quia eam opponit aquæ, quam mundus dat, quæque non ducit ad vitam æternam, sed potius ad æternam mortem animæ.

Domine, da mihi hanc aquam.

1° Hæc debet esse aspiratio et petitio animæ christianæ continua : *Domine, da mihi hanc aquam* vitæ æternæ. Bona quælibet externa aliis libenter cedo, et si quæ habeo, ea libenter depono ac sacrifico ; bona vero interna, aquam vivam charitatis, humilitatis, orationis... *hanc aquam* quæso *da mihi*, nam hæc mihi sufficit.

2° Multi vero non hanc aquam a Domino sibi oblatam, sed aquas turbidas quærunt hujus mundi. Quapropter sic Dominus apud Jeremiam conqueritur : *Obstupescite, cœli, super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas... Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te. Scito et vide, quia malum et amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem meum apud te, dicit Dominus Deus exercituum* (Jerem. II, 12, seqq.) — Quin potius accedant ad fontem apertum in medio Jerusalem, ad Salvatorem dicentem : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Joan. VII, 37.

Domine, video, quia propheta es tu.

1° Quia videt ac sentit hominem illum esse prophetam, id est, Dei legatum ac ministrum, Deique nomine loquentem, ideo reverentia magna movetur, impletur fiducia, peccata confitetur, doctrinam salutis audit et inquirit... Quo intelligimus, necesse esse ad fructum animarum, ut sacerdotes a fidelibus oculo fidei aspiciantur, tanquam Dei ministri ac legati : *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi* (I Cor. IV, 1). — *Pro Christo legatione fungimur.* II Cor. V, 20.

2° Ex quibusnam indiciis intelligit mulier, Christum esse prophetam? — R. Ex verbis ejus, ex benignitate, dignitate ac modestia, totoque externo habitu, qui talis est, qualis hominem Dei decet. Omnia verba ejus de Deo sunt et de rebus divinis; tota ejus agendi ratio, omnes affectus ac motus animi quos manifestat, mansuetudinem, patientiam, charitatem, ac sapientiam spirant. — Hinc vir apostolicus, ita sese gerere discat, ut de eo dicant homines : *Video, quia propheta es tu.* Quo spectant hæc Spiritus sancti monita: *Si quis loquitur, quasi sermones Dei* (I Pet. IV, 11).—*In omnibus exhibeamus nos quasi Dei ministros, in multa patientia,.... in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei.* II Cor. VI, 4 seqq.

3° Dicendo : *Domine, video quia propheta es tu*, mulier exemplum præbet humilitatis et docilitatis. Nam peccata sua a Domino sibi indicari audivit, et correptionem hanc atque admonitionem accipit moderate : nec veritatem negat, nec indignatur, aut injuriæ verba contra Christum dicit, quod probro illam afficiat; sed potius illum venerata, Dominum appellat et prophetam, culpam suam confitetur, magisque ab eo instrui desiderat...

In spiritu et veritate oportet adorare.

Hic docet nos Christus Dominus modum, quo a suis fidelibus velit in lege evangelica adorari et coli.

1° Cultus debet esse *universalis*, id est, -1) qui per orbem terrarum Deo offeratur, ab universo humano genere, Deum quasi uno ore laudante, id quod in Ecclesia catholica fieri videmus. —2) Cultus universalis, id est etiam, talis qui non tantum in templo, sed ubique locorum fieri possit et fiat: cultus nempe, quem quisque solus et seorsim Deo exhibet. Nam etsi templa sint ad Missæ sacrificium et orationem publicam destinata, adorare tamen Deum in privatis domibus et in quovis loco debemus, sicut Apostolus scribit: *Volo*, inquiens, *viros orare in omni loco, levantes puras manus ad Deum.* I Tim. II, 8.

2° Cultus debet fieri *in spiritu* : id est, -1) non mere externis verbis vel cæremoniis, absque interna attentione, reverentia ac devotione : quod Deus condemnat, dicens : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (Matth. XV, 8; Isai. XXIX, 13). —2) *In spiritu*, id est, intra ipsum spiritum nostrum, qui templum est spirituale Dei, et cubiculum orationi destinatum, de quo dixit Christus : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito* (Matth. VI, 6), Patrem scilicet Deum, *qui videt in abscondito* cordis, quomodo ipsum adoremus. —3) *In spiritu,* id est, per actus spirituales intelligentiæ et voluntatis, qui cultui externo subesse debent. Non ergo cultus externi apparatu, quamvis laudabili, contentus esse possum, quia illud esset corpus sine spiritu, et umbra sine veritate; sed præcipue procurare debeo internos virtutum actus, qui illi dent vitam. Tales sunt : fides, qua Dei magnitudinem meamque abjectionem humiliter agnosco; spes, qua divinas promissiones fidenter exspecto, appeto, et oratione expostulo; charitas, qua Deum ita diligo, ut mandatis ejus ac sanctissimæ voluntati obedienter me subjiciam, etc.

3° Cultus debet fieri *in veritate*, id est, ita ut vita nostra cum cultu atque adoratione concordet; utque orationem nostram falsam esse operatio non demonstret. Quapropter si non tantum credimus peccatum esse fugiendum, sed illud revera fugimus; nec tantum orando dicimus : *Fiat voluntas tua... dimitte nobis, sicut dimittimus;* sed etiam reipsa dimittimus ex animo, et Dei voluntatem in omnibus implere studemus : tunc adoramus Deum in veritate, sicut ipse desiderat ut adoretur : *Nam et Pater tales quærit qui adorent eum.*

Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis... meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.

1° Sicut supra de spirituali potu, ita nunc de cibo spirituali loquitur. Etenim *non in solo pane vivit homo*, et præter cibum corporeum, datur et spiritualis, longe præstantior.

Qui quidem spiritualis cibus varius nobis in Evangelio proponitur, nimirum : gratia, oratio, Eucharistia, verbum Dei, gloria futura... — Hic autem Dominus cibum *suum* spiritualem nobis ostendit, adeoque genus quoddam spiritualis alimoniæ excellentissimum, quo ipse vescitur, quoque nos pariter vesci debemus...

2° Cibus Christi est *ut faciat voluntatem ejus, qui misit eum, ut perficiat opus ejus;* nimirum -1) obedientia et conformitas divinæ voluntati, studium implendi in omnibus divinum beneplacitum.., -2) Labor studiosus ac impensus in procurando bono animarum. Ex quo intelligimus nostrum similiter cibum esse debere, ut missionem nostram in hoc mundo secundum voluntatem Creatoris impleamus et perficiamus : *Ut perficiam opus ejus.*

3° Dicit Dominus, cibum suum a discipulis non cognosci : *Quem vos nescitis;* quia nemo illum cibum cognoscere potest, nisi a Domino doceatur, et quia multi sunt, qui eum ignorant neque gustare norunt. Est enim illud manna omne delectamentum in se habens, sed absconditum, quod non cognoscitur, nisi gustetur. *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.* Ps. XXXIII.

4° Cur illud manna nescitur a multis? —1) Quia abstinere, nolunt a mundi oblectationibus, quæ veluti cibi sunt palatum hebetantes... -2) Quia voluntati divinæ præferunt voluntatem propriam, quam expugnare ac vincere deberent. *Vincenti dabo manna absconditum.* Apoc. II, 17.

Ipsi audivimus, et scimus, quia hic est vere Salvator mundi.

Exemplum fidei docilis et vividissimæ. — 1° Fides est docilis, quia nullo exspectato Domini miraculo, sed audito tantum mulieris testimonio ac Divino Domini sermone, sufficienti hoc lumine contenti, ex animo credere non dubitant. Quam diversi a Pharisæis, qui videntes Lazari resurrectionem credere noluerunt?...

2° Fides est vividissima, qua invisibilia oculis spectantur quasi sensibus subjecta essent; qua res spirituales veluti manu tanguntur; qua Salvator cum omnibus bonis suis præsens possidetur.... Quare illi homines dicunt: *Ipsi audivimus, et scimus, quia hic est vere Salvator mundi.*

FERIA SEXTA

INFRA

HEBDOMADAM QUARTAM QUADRAGESIMÆ.

—

Evangelium de resurrectione Lazari.

Joan. XI, 4-54. Erat quidam languens, Lazarus, a Bethania, de castello Mariæ et Marthæ sororis ejus. (Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis : cujus frater Lazarus infirmabatur.) Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes : Domine, ecce quem amas infirmatur. Audiens autem Jesus, dixit eis : Infirmitas hæc non est ad mortem ; sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. (Diligebat autem Jesus Martham et sororem ejus Mariam et Lazarum.)

Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Deinde post hæc dixit discipulis suis : Eamus in Judæam iterum. Dicunt ei discipuli : Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, et iterum vadis illuc. Respondit Jesus : Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt. Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. Hæc ait, et post hæc dixit eis : Lazarus amicus noster dormit : sed vado, ut a somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli ejus : Domine, si dormit, salvus erit. Dixerat autem Jesus de morte ejus : illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo Jesus dixit eis manifeste : Lazarus mortuus est : Et gaudeo propter vos, ut creda-

tis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus ad condiscipulos : Eamus et nos, ut moriamur cum eo.

Venit itaque Jesus et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. (Erat autem Bethania juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim.) Multi autem ex Judæis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi : Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Jesum : Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed et nunc scio, quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. Dicit ei Jesus : Resurget frater tuus. Dicit ei Martha : Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die. Dixit ei Jesus : Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet. Et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi. Utique Domine, ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

Et cum hæc dixisset abiit, et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens : Magister adest et vocat te. Illa ut audivit, surgit cito et venit ad eum. Nondum enim venerat Jesus in castellum : sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. Judæi ergo qui erant cum ea in domo, et consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia cito surrexit et exiit, secuti sunt eam, dicentes : Quia vadit ad monumentum ut ploret ibi. Maria ergo cum venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, et dicit ei : Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Jesus ergo ut vidit eam plorantem, et Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, et turbavit se ipsum, et dixit : Ubi posuistis eum? Dicunt ei : Veni et vide. Et lacrymatus est Jesus. Dixerunt ergo Judæi : Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt : Non poterat hic, qui aperuit

oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur? Jesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum.

Erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei. Ait Jesus : tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat : Domine, jam fœtet, quatriduanus est enim. Dicit ei Jesus : Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem. Jesus autem elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis ; sed propter populum qui circumstat, dixi : ut credant, quia tu me misisti. Hæc quum dixisset, voce magna clamavit : Lazare, veni foras. Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis, et facies ejus sudario erat ligata. Dixit eis Jesus : Solvite eum, et sinite abire.

Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam et Martham, et viderant, quæ fecit Jesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, et dixerunt eis quæ fecit Jesus. Collegerunt ergo Pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum : et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem. Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis : Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit : sed quum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente. Et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum. Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem, quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis.

Explicatio prima.

Suscitatio Lazari, quæ hoc Evangelio narratur, ineunte Martio contigit anni ultimi prædicationis Domini, paucis nempe ante passionem hebdomadis. Describit Evangelista exactissime omnes hujus miraculi circumstantias, quippe omnium præcipui, quo nullum fuerit magis stupendum inter ea, quæ Christus ante suam passionem edidit.

Tres in hac historia partes distingui possunt :

I. *Promissio suscitationis Lazari, facta in Bethabara.*
II. *Promissio altera facta sororibus in Bethania.*
III. *Ipsum suscitationis miraculum, ejusque effectus.*

Erat quidam languens, Lazarus, a Bethania, de castello Mariæ et Marthæ sororis ejus. (Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento et extersit pedes ejus capillis suis; cujus frater Lazarus infirmabatur.)

Descriptio personæ, in qua miraculum resurrectionis fiet. Lazarus describitur per locum habitationis et per sorores suas Martham et Mariam.

Erat, inquit, *quidam languens*, id est ægrotus, *Lazarus* nomine, *a Bethania*, scilicet civis Bethaniæ, qui pagus erat seu castellum in clivo montis Oliveti situm, ad semileucam circiter a Jerosolyma. Erat autem Lazarus inter suos vir nobilis ac præclarus, ut infra ex luctu mortis ejus palam fit.

Quod addit explicationis causa, *de castello Mariæ et Marthæ*, alludit ad Luc. X, 38 : *Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam : et huic erat soror nomine Maria.*

Maria et Martha peculiare ratione nominantur, 1° quia per eas, utpote ex prioribus Evangelistis in Ecclesia celeberrimas, facilius Lazarus innotescet; 2° quia ipsæ in historia hic narranda magnam partem sunt habituræ.

Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis. Actionem Maria omnino singularem addit, ut ab aliis ejusdem nominis mulieribus secernatur; quasi diceret : Erat Maria illa notissima, quæ unxit aliquoties Dominum unguento, nimirum semel pœnitentiæ causa, et semel sepulturæ (1). — Quod sequitur, *et extersit capillis*, methatesis est : prius enim extersit, quam unxit (Luc. VII. 38).

Cujus frater Lazarus infirmabatur : id est, ægrotabat morbo gravi, et incurabili; ideoque sorores, artis medicæ inefficaciam expertæ, supernaturalem virtutem Jesu, qua sanabat omnes, implorare statuerunt.

Miserunt ergo sorores ejus ad eum,
dicentes : Domine, ecce quem amas infirmatur.
Audiens autem Jesus dixit eis : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei,
ut Filius Dei glorificetur per eam.
(Diligebat autem Jesus Martham et sororem ejus Mariam et Lazarum.)

Sensus est : Miserunt sorores nuntium ad Jesum, in Bethabara, itinere octo horarum, qui ipsarum nomine, Dominum de periculo amici moneret. Dominus eis per nuntium responderi jussit, morbum non esse allaturum mortem Lazaro, sed gloriam Deo, efficiendo, ut agnoscatur Filius Dei.

Miserunt sorores nuntium, et ipsæ non iverunt, utpote prohibitæ, tum sexus infirmitate, tum luctu curaque fratris. *Miserunt dicentes*, id est, mandantes nuntio, ut sua ex parte Domino diceret verba hæc :

(1) Joan. XII, 3, et Luc. VII, 38. Opinionem, ut patet, sequimur quæ tenet, Mariam, sororem Lazari, eamdem esse ac Mariam Magdalenam : prout ipsa Liturgia in festo S. Magdalenæ supponit.

Domine, ecce quem amas infirmatur. Verba pauca, sed modestiæ, reverentiæ, ac fiduciæ plena. — 1° Non dicunt: *Lazarus*, aut *frater noster*, ipsius aut sua merita, v. g. hospitalitatis præferendo; sed, *quem amas*, solum Jesu erga Lazarum amorem invocando, ut periclitanti succurrat. — 2° Non addunt aperte: *Veni, et sana eum;* sed tantum desiderium et preces suas insinuant: -1) ratione reverentiæ: decere existimantes, rem simpliciter expositam sapientiæ ejus relinquere. -2) Ratione fiduciæ: sufficere putantes de morbo amici monuisse Jesum, qui, pro mirifica sua humanitate, quosvis facile juvare consueverit. Non dubiæ ergo de Jesu pietate, confisæ autem de bonitate, nihil quidem ei præscribunt; sed sperant, ubi intellexerit rem, adventurum et sanaturum. Quæ piissima quidem agendi ratio est, imperfectionem tamen fidei denotat duplicem: *a*) quod morbum fratris nuntiandum putent Jesu tanquam ignoranti; *b*) quod judicent Jesu præsentiam, ut ægrotus sanetur, necessariam: hoc enim clare patet ex iis quæ postea dicent: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Infra, versib. 21 et 32.

Auditis ex ore nuntii verbis sororum, per eumdem nuntium *Jesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem...* id est, non morietur ex hac infirmitate Lazarus. Quibus verbis -1) significat, nihil sibi nuntiari, quod ignoret, sed novisse se, et Lazarum ægrotum, et quo morbo laboret, et quæ morbi conditio. -2) Insinuat sororibus consolationem, quasi addat: Vos ergo nolite timere, neque tristari. -3) Affirmat Lazarum non moriturum. At vero nonne Lazarus vere mortuus est? Utique mortuus est; sed non ea morte quam Dominus negavit obventuram: scilicet non morte finali et diuturna, qua finiretur vita; verum morte momentanea, qua tantum diebus quatuor interrumperetur vita ejus. —4) Illud *non est ad mortem, sed ut....* innuit etiam, Providentiam, hunc morbum infligendo, non intendere mortem Lazari; sed finem longe alium, nempe gloriam Dei.

Sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam: id est, ut procuretur gloria Dei, occasione sic facta ut Filius Dei, qui ego sum, agnoscatur, celebretur, credatur esse Patri æqualis potentia, et unus cum eo Deus, vitæ ac mortis Domi-

nus. Prædicit itaque etsi minus explicite Lazari resurrectionem.

Hujusmodi responsum misit per internuntium piis sororibus, ea intentione ut eas consolaretur. Quæ Domini intentio omnino intelligitur ex sequenti versiculo, per parenthesin adjecto.

(*Diligebat autem Jesus Martham, et sororem ejus Mariam et Lazarum.*) Quænam fuit Jesu dilectio? et quare eam expresse Evangelista memorat? — 1° Diligebat eos Jesus, et ut Deus, et ut homo. Ut Deus, dilectione æterna, tanquam creaturas suas, imo tanquam salvandas. — Ut homo, diligebat eos -1) amore naturali, tanquam amicos, et solitos ipsum hospitio excipere; -2) amore morali, tanquam virtutis studiosos; -3) amore charitatis, ut quos ad Deum, summum bonum, vellet adductos. — Videtur tamen Evangelista præcipue loqui de amore morali atque naturali.

2° Voluit autem hanc Jesu dilectionem enixe commemorare, -1) ut verum esse testaretur id quod sorores dici jusserant : *Ecce quem amas....* -2) quia omnia quæ sequuntur, singularem Jesu erga illos amorem demonstrant; -3) ut nemo tribueret animi neglectui, quod Dominus non statim properaverit ad Lazarum juvandum. *Frequenter autem*, inquit Chrysostomus, *memoratur Jesu amor erga Lazarum et sorores ejus, ut doceamur non ægre ferendum, si boni viri et Dei amici aliquo morbo laborent.*

Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.

Auditis verbis nuntii, redditoque responso, dimisit Dominus nuntium solum, ipse autem ibidem mansit. — Abiit nuntius persuasus lætum se referre responsum. Sed reversus domum invenit Lazarum mortuum recenterque sepultum, et sorores lugentes. Mortuus enim erat eo ipso die, quo nuntius venerat ad Jesum. Cum ergo redux ille explicaret quid responsi referret, turbatæ quidem nonnihil animo fuerint sorores, quod audirent, *morbum non esse ad mortem*, qui jam mortem intulerat; tamen, quia adjunxerat Jesus, *infirmita-*

tem fore ad gloriam Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam, persuaserunt sibi, verborum sensum esse hunc aut similem : quod morbus fratris non esset ad mortem animæ, sed ad vitam ipsius æternam ac salutem, pro gloria Dei. Itaque nihil *scandalizatæ*, ut ait Chrysostomus, rem totam divinæ providentiæ reliquerunt.

Dominus *mansit in eodem loco*, trans Jordanem, *duobus diebus* integris, gerens se coram discipulis qui nuntium audiverant, quasi non opus esset proficisci ad Lazarum juvandum. Sed revera ideo mansit, ut elaberetur tantum temporis a morte Lazari, quantum necesse esset, ut ipse adveniens Bethaniam, inveniret Lazarum non modo mortuum, sed et quatriduo sepultum, ac fœtidum ; idque volebat eo consilio, ut Deus et Filius Dei glorificaretur, gloria eo majore, quo miraculum resuscitationis foret majus, certius, atque illustrius. *Qua gratia*, quærit Chrysostomus, *mansit in eodem loco duos dies? Ut expiraret*, ait, *et sepeliretur ; ne quis posset dicere, quod nondum mortuum suscitarit, quod sopitus esset, quod dissolutus, quod abalienatus, non mortuus : ideo tamdiu moratus est, ut diceret jam fœtere.*

Deinde post hæc dixit discipulis suis : Eamus in Judæam iterum. Dicunt ei discipuli : Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare et iterum vadis illuc? Respondit Jesus : Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt. Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.

Post hæc, id est, transactis duobus diebus, proponit Dominus discipulis reditum in Judæam ; illis autem mortis periculum ei opponentibus, similitudine adhibita, significat nondum advenisse tempus mortis suæ, ac proin nullam adhuc esse causam timoris.

Dixit discipulis : Eamus in Judæam iterum. — 1° Dicit, eamus *iterum*, quia non multo ante reliquerat Judæam ob persecutiones Judæorum (Joan. X, 39, 40). — 2° Discipulis suaviter annuntiat, quod meditatur iter, quia scit eos illud

formidare: quare velut invitando præmonet, ne re abrupte proposita turbentur et ægre sequantur. — 3° Vult discipulos comites, licet solus proficisci posset; quia oportet eos imprimis edendi miraculi oculatos testes esse.

Discipuli, scientes quam atrox esset Judæorum in Jesum odium, certissimam ei mortem præ oculis ponunt : *Rabbi,* inquiunt, *nunc quærebant te Judæi lapidare.* Mortem scilicet tibi inferre attentarunt, *nunc,* id est paulo ante, in festo encæniorum (Joan. X, 22, 31); et nihilominus, iisdem Judæis adhuc furentibus, teque ad necem exspectantibus, *iterum vadis illuc?* — His verbis eum ab itinere deterrere volebant, -1) propter ipsum Magistrum, quem amabant; -2) propter seipsos, quia sibi periculum metuebant. — Hic autem errabant dupliciter, -1) eo quod ignorarent Domino moriendum esse, ut impleret missionem Salvatoris; -2) quod putarent eum interfici posse præter exspectationem et voluntatem ipsius; quamvis de utroque aliquoties et quidem nuperrime admoniti (Joan. X, 18).

Respondit Jesus : Nonne duodecim sunt horæ diei? Sensus est : Sicut duratio diei, ab ortu usque ad occasum solis, duodecim horas continet nec plus, nec minus; ita tempus vitæ meæ certis numeris ac mensuris est definitum. Et sicut homines, donec dies est, quamvis jam declinans, ambulare possunt securi ac sine timore offendiculi; ita ego, quamdiu perdurant horæ mihi statutæ, securus possum ire quocumque me Patris opus vocaverit. — At vero, sicut qui ambulat de nocte, facile impingit et cadit; sic ego, ubi venerit hora noctis meæ, id est, tempus passionis ac mortis, impingam in lapidem offensionis a Judæis mihi positum, et cadam in manus eorum.

Lux hujus mundi de qua loquitur, est lux diei, lux solis, mundum corporeum illuminans. — Parabolice loquitur, ut assuefaciat discipulos supra res sensibiles mente ascendere, et ad sensus morales ac spirituales sese attollere. — Similitudine adhibita non obscure insinuat, noctem suæ mortis, etsi nondum advenit, tamen non esse remotam, quasi dicat : Illa nox mea non longe quidem abest; non aderit tamen hoc nostro itinere, quare nihil adhuc periculi est.

Hæc ait, et post hæc dixit eis : Lazarus amicus noster dormit ; sed vado, ut a somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli ejus : Domine, si dormit, salvus erit. Dixerat autem Jesus de morte ejus ; illi autem putaverunt, quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo Jesus dixit eis manifeste : Lazarus mortuus est : et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos : Eamus et nos, ut moriamur cum eo.

Postquam discipulis affirmavit, nondum tempus suæ passionis adesse, nec quidquam timendum in hoc itinere ; annuntiat eis mortem Lazari, ejusque resurrectionem ab ipso operandam. Quod quidem dixit bis : primum figurate, et dein diserte : simulque discipulos ut statim secum proficiscantur hortatur. Tunc Thomas dicit ad condiscipulos : *Eamus et nos, ut moriamur cum eo.*

Lazarus, inquit, *amicus noster dormit ; sed vado ut a somno excitem eum :* id est, Lazarus mortuus est, sed vado ut eum a morte resuscitem. — Quæ verba -1) manifestant scientiam Domini, qua omnia novit ; -2) continent prophetiam futuri miraculi.

Non dicit *Lazarus* simplicitur ; sed, *Lazarus amicus noster :* ut significet, se amici officium erga eum implere velle. — Dicit amicus *noster*, -1) quia Lazarus communis amicus erat Christi et Apostolorum, qui simul ejus hospitalitate usi sunt ; -2) ut insinuet, ipsos amicorum officio teneri, propter quod Lazarum libenter adire debent.

Dormit. Mortem vocat dormitionem, -1) quia hæc metaphora vulgo recepta, aptius mortis naturam exprimit, indicando respectum ad resurrectionem futuram. Sic etiam lingua christiana adhibentur voces *migratio*, *transitus*, *nativitas*, potius quam *obitus, interitus*, *exitus*, *extinctio*, quibus gentiles utebantur. -2) Quia mors Lazari peculiariter velut somnus erat brevissimus, ex quo mox expergefieret.

Sed vado ut a somno excitem eum. -1) Quamvis supra dixerit, *eamus in Jerusalem*, hic loquitur in singulari numero : *Vado ut excitem;* quia discipulos comites et spectatores habere voluit; at socios in miraculo edendo, non item.

-2) Non dicit : Vado ut ipsi vitam restituam; sed figurate, *ut eum expergefaciam*, triplicem ob rationem : -*a*) modestiæ gratia, ne arrogantius loqui videretur si diceret, se ad resuscitandum mortuum ire; -*b*) quia ipsi non minus facile erat, Lazarum excitare a morte, quam expergefacere e somno; -*c*) ut plurimis sermonibus faceret discipulos ad miraculum attentiores.

Discipuli enim non recte intelligentes, dicunt : *Domine, si dormit, salvus erit :* id est, si dormit, convalescet, et jam periculum evasit. Solet enim, inquit Augustinus, somnus ægrotantium esse salutis indicium; intellige, plerumque, quoties nempe somnus quietus est et vere benignus. — Ut patet, insinuant discipuli, non opus esse Lazarum adire; et quo argumento eos Jesus fuerat exhortatus ad iter, idem retorquent in Jesum, ut ab itinere eum revocent : tanto metu tenebantur adeundi Judæam. — Cur autem adhuc timent? et quomodo verba Domini potuerunt non intelligere?

1° Discipuli adhuc timent, quamvis Dominus periculum abesse significaverit: vel quia sensum verborum Domini non sunt assecuti, vel defectu fidei.

2° Quod non intellexerunt Dominum loqui de somno mortis, magna fuit eorum ruditas : -1) nam satis aperte significaverat Jesus, dormitionem Lazari non esse communem ac beneficam, secus non voluisset eum excitare; -2) dixerat, se profecturum in Judæam ad excitandum eum : quis autem conficiat iter unius diei aut amplius, ut alium a somno excitet?

Ignorantibus ergo Dominus manifeste et absque metaphora dixit : *Lazarus mortuus est.* Porro non addit : Sed vado, ut a morte excitem eum : tum vitandæ jactantiæ gratia, tum quia id jam clarum fiebat ex eo quod dixerat : *Vado ut a somno excitem eum.*

Addit autem : *Et gaudeo.* Non utique gaudet ob mortem amici, cujus causa etiam lacrymas fundet; sed Apostolorum

causa, *propter vos, ut credatis :* quia scilicet illius mortis occasione magnum incrementum fidei accipient. Hæc est Christo causa principalis et mediata gaudendi; illud autem : *Quoniam non eram ibi,* est causa gaudendi immediata et subordinata; ita ut proprius ordo verborum Domini sit : *Et gaudeo, quoniam non eram ibi,* et quidem sic gaudeo *propter vos, ut credatis.*

Quoniam non eram ibi. Quomodo absentia Christi a Bethania conferre potuit ad Apostolorum fidem ? — Resp. Modo quodam negativo et indirecto : nimirum permittendo ut Lazarus moreretur, ut ejus mors fieret manifesta, utque insigni miraculo resuscitaretur. Etenim si fuisset illic Jesus, compellente amicitia debuisset vel sanare ægrotum, vel recens mortuum necdum sepultum suscitare; quod miraculum minus insigne, non ita multum fecisset ad promovendam discipulorum fidem, et præterea suspicioni illusionis fuisset obnoxium. Dum autem absens fuit, absque ulla læsione decori ac gratiæ Domini, Lazarus mortuus est atque sepultus. Quando igitur advenit Jesus, et invenit quatriduo sepultum, maxima cum gratia ac decoro, summaque omnium admiratione, revocavit eum in vitam, nulla relicta doli suspicione. — Hinc factum est, ut discipuli, videntes non tantum omnipotentiam Dei, sed etiam ejus omniscientiam, qua absentia et occulta tam clare novisset quam præsentia, plenius crediderint eum esse Filium Dei unigenitum, Patri æqualem, qui *quos vult vivificat, sicut Pater suscitat mortuos et vivificat.* Joan. V, 21.

Quoniam ergo omnia jam parata sunt, ut fiat miraculum Apostolis tam proficuum, absque ulteriori mora proficiscendum est : *Sed eamus ad eum.* Quamvis Lazarus mortuus sit, dicit : *Eamus ad eum,* tanquam ad viventem; *etenim,* inquit Theophylactus, *Lazarus vivebat Christo ut Deo,* cui omnia vivunt.

Quod Thomas (1) exclamat : *Eamus et nos, et moriamur cum eo;* condiscipulos, ut videtur adhuc hæsitantes, excitat

(1) *Qui dicitur Didymus :* scilicet vocabatur a Christianis græcis nomine græco *Didymus,* id est, *geminus,* quæ significatio est vocis arameæ *Thoma.*

ut generose ac fortiter Dominum sequantur; quasi dicat : Quandoquidem ipsi decretum est redire in Judæam, non obstante mortis periculo, animose eamus et nos, ut, si ita res ferat, moriamur cum eo. — Quæ sane oratio est viri fortis, et discipuli amantissimi; sed peccat in eo, quod non congruat cum promissione Domini, nimirum hoc iter fore sine offendiculo : quæ verba Thomas vel non intellexit, vel minus credidit.

Venit itaque Jesus, et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem.

Cum venisset itaque Jesus cum discipulis Bethaniam, *invenit*, id est, cognovit, intellexit ex incolis Bethaniæ obviis, Lazarum esse mortuum et a quatriduo sepultum. Hæc enim etsi non ignorabat, communi modo cognoscere voluit propter discipulos : -1) ut agnoscerent, quam vere dixisset Dominus : *Lazarus mortuus est.* -2) Ut præpararentur ad spectandum ingens miraculum, suscitationem mortui quatriduo sepulti.

Quatuor dies in monumento. — Quatuor dies sepulturæ sic videntur numerandi : Lazarus, mortuus quo die nuntius ad Jesum venit, sepultus est postridie : ita ut primus dies sepulturæ sit prior illius bidui, quo Dominus distulit proficisci; secundus dies sepulturæ, alter dies ejusdem bidui; tertius, dies quo Jesus iter ingressus est; quartus demum, ille quo pervenit Bethaniam.

Iter quidem Domini non erat nisi octo leucarum, vel unius diei, respectu communis viatoris; viro autem, qualis erat Christus, qui a multis comitaretur, a multis interpellaretur in via, ¡facileque subsisteret benefaciendi studio, longius erat quam unius diei iter; præsertim hieme ante æquinoctium vernum. Quare duobus diebus illud confecisse videtur Jesus, ita ut Bethaniam pervenerit quinto die a morte Lazari, sub meridiem, quarto a sepultura.

Eo scilicet tempore iisque in adjunctis advenire voluit, ut maxime certum ac illustre esset miraculum, quod meditabatur. Et, ut spectemus tantum certitudinem mortis Lazari,

quæ res præcipua erat, nullum de ea jam moveri dubium poterat. Nam si quis dixisset Lazarum, occulti alicujus morbi vi a sensibus alienatum, dumtaxat mortuo similem apparere; quoniam a quatuor diebus sepultus et jam putrescens fuisse perhibetur, hujusmodi suspicionem rei evidentia dissipasset.

Erat autem Bethania juxta Jerosolymam, quasi stadiis quindecim. Multi autem ex Judæis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.

Præter circumstantiam temporis, indicantur circonstantiæ loci, nec non personarum quæ testes erunt miraculi.

Dicit Bethaniam fuisse vicinam Jerosolymæ, ut rationem reddat præsentiæ multitudinis Judæorum. Castellum seu pagus, ubi erant ædes Marthæ et Mariæ, distabat Jerosolyma tantum stadiis quindecim, id est, paulo plus semileuca, cum stadia viginti quatuor unam ferme leucam conficiant. — Nec tantum locus propinquus erat, sed et deambulatio amœna, per montem olivarum, cultissimum illum et fertilissimum.

Multi ex Judæis venerant, præsertim cognati et familiares, alii boni, et sicut familia Lazari, Jesu faventes; alii Domino inimici. Quorum præsentiæ meminit Evangelista, ut multos miraculi testes fuisse doceat; nec tantum domesticos, sed etiam ex civibus Jerosolymitanis.

Nam quod dicit *venerant*, significat Judæos venisse Jerosolyma, viciniæ occasione, officii causa : *Ut consolarentur eas de fratre suo*, prout moris erat. Quæ quidem consolatorum visitationes durare consueverant per dies septem; ut non mirum sit, illos etiamnum quinto a morte Lazari die adfuisse.

Hinc intelligitur, 1° domum istam funebrem fuisse honorificam ac plenam dignitatis; et Lazarum ejusque sorores non vulgares fuisse personas, sed nobiles et divites, cum tanta ad eos affluueret amicorum frequentia. Intelligitur 2° ambas sorores propter virtutem multis charas fuisse; 3° item, mortem Lazari divulgatam fuisse Jerosolymis diu ante miraculum, ne quis postea calumniator negare posset, Lazarum fuisse mortuum.

Martha ergo, ut audivit, quia Jesus venit, occurrit illi : Maria autem domi sedebat.

Antequam Dominus ingrederetur in pagum, cum adhuc esset in agro vicino, præcurrens fama adventus ejus primum venit ad aures Marthæ : quæ sollicita de re familiari (Luc. X, 40), domi obambulabat, aut extra domum forte occupata quodpiam negotium agebat. *Martha ergo, ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi*, nempe honoris causa, tanquam hospiti et tanquam Domino. — Occurrit statim, præ gaudio et spe melioris consolationis a Jesu accipiendæ, quam a Judæis. — Occurrit sola, nec præmonita sorore ; quia hæc non aderat ibidem, sed *domi sedebat*, indulgens lugentium mori, et excipiens consolationes Judæorum, quos non expediebat certiores fieri de adventu Jesu, ut qui parum ipsis gratus fuisset. Occurrens ergo Martha, ubi ad Dominum pervenit, dixit ei :

Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.
Sed et nunc scio, quia quæcumque poposceris a Deo,
dabit tibi Deus.
Dicit illi Jesus : Resurget frater tuus. Dicit ei Martha :
Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.
Dicit ei Jesus : Ego sum resurrectio et vita.
Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet : et omnis
qui vivit et credit in me, non morietur in æternum.
Credis hoc? Ait illi :
Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus
Filius Dei vivi, qui in hunc mundum
venisti (1).

Dicenti Marthæ, fratrem suum non fuisse mortuum si Jesus adfuisset, respondet Dominus : Resurget frater tuus per potentiam meam. Nam ego sum resurrectio et vita iis qui credunt in me : resurrectio mortuis, vita viventibus.

(1) Explicationem hujus loci pleniorem vide supra, *in missis pro Defunctis, Evangelium II.* Pag. 331.

Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Verba Marthæ spirant -1) fidem, etsi imperfectam ; -2) fiduciam ; -3) amorem fraternum ; -4) tristitiam ac veluti querelam de Christi absentia.

Quod addit : *Sed et nunc scio, quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus :* -1) alludendo ad responsionem Christi per nuntium acceptam, mitigat querelam suam, quasi dicat : Sed etiamsi absentia tua occasio mortis fratris mei fuerit, non ideo tamen minus credo verum esse id, quod per nuntium nobis referri jussisti, infirmitatem non esse ad mortem, sed pro gloria Dei. -2) Significat, Dominum posse Lazarum suscitare si velit ; at vix audet sperare aut petere, ut tantum miraculum patrare velit. Majorem fidem manifestat, quam supra, cum confiteatur, Christum posse suscitare mortuum : deficit autem eo quod supponat, id Christum non sua potestate posse, sed tantum vi orationis.

Dicente Domino : *Resurget frater tuus*, prout exoptas et ego promisi, Martha vix audens, ut dictum est, sperare miraculum resurrectionis præsentis, verba Domini intelligit de resurrectione futura, quasi Dominus per modum consolationis hanc resurrectionem ipsi præ oculis ponat ; quare respondet : *Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.*

Non ita sane locuta esset, si cognovisset, Auctorem resurrectionis universalis sibi adstare præsentem, eumque esse omnis vitæ principium, adeoque ipsam vitam. Quapropter hanc veritatem ei proponit divinus Magister, dicens : *Ego sum resurrectio et vita...* id est, causa resurrectionis et vitæ sum ego. Quibus verbis docet, se esse causam atque auctorem omnis vitæ, sive naturæ, sive gratiæ, sive gloriæ, et quidem respectu omnium, tam mortuorum quam viventium. — Conditionem autem, ut quis vitam gratiæ et gloriæ a se recipiat, subjungit, nimirum fidem : intellige fidem efficacem, quæ per charitatem operatur. *Qui credit*, inquit, *in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet : et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum.*

Dicendo se esse resurrectionem, seu auctorem omnis resurrectionis, corrigit Marthæ responsum, et non obscure significat, se locutum esse de resurrectione præsenti.

Dicendo et repetendo, *qui credit in me*, ac demum interrogando, *credis hoc?* allicit Martham ad credendum perfectius : id est, ad credendum ipsum esse auctorem vitæ, seu Deum. — Hic fortassis addidit Jesus id, quod infra se dixisse testatur : *Si credideris, videbis gloriam Dei.* Editurus enim miraculum suscitationis mortui, fidem exigit a sorore ejus; sicut alias (Marc. IX, 22) exegit fidem a patre, antequam sanaret filium.

Interroganti : *Credis hoc?* non respondet Martha directe dicendo : Utique, Domine, *hoc* credo; sed generaliter testatur se credere quæcumque dicit Magister, quia ipse est Christus. Tali autem modo loquitur mulier, quia doctrinam Christi non intellexit, necdum novit, eum esse vere unigenitum Filium Dei, consubstantialem Patri. Ergo eum profitetur esse Messiam seu Christum, cui titulus competit *Filii Dei vivi;* ita tamen, ut hujus tituli vim ac verum sensum non assequatur. *Quia tu es*, inquit, *Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.*

Et quum hæc dixisset, abiit, et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens : Magister adest, et vocat te. Illa ut audivit, surgit cito, et venit ad eum. Nondum enim venerat Jesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, et consolabantur eam, quum vidissent Mariam, quia cito surrexit, et exiit, secuti sunt eam dicentes : Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.

Postquam fidem suam professa est Martha, *abiit et vocavit Mariam sororem suam,* prout scilicet a Jesu fuerat jussa : id enim brevitatis causa relinquit Evangelista intelligendum ex iis, quæ proxime subjungit. Cæteroquin indecore Martha Domino se subtraxisset, priusquam eum duxisset in domum suam, aut quo ipsi ire placeret.

Cur autem Dominus ipsemet in domum non introivit, sed illic remansit?—R. 1) Quia nolebat requiem capere, antequam perfecisset opus Dei propter quod venerat; -2) quia miraculum sic statim ab adventu ejus patratum, ab omni suspicione foret alienius; -3) quia domi erant Judæi, quibus parum gratus fuisset adventus ipsius; -4) quia locus, ubi morabatur, forte propinquior erat monumento Lazari. Solebant enim monumenta extra oppida, in hortis seu agris exstrui. -5) Ut Mariam egredientem versus monumentum sequerentur Judæi, et fierent testes miraculi, etiam inviti. -6) Ut Domini mansio extra pagum congregaret turbam testium, quam revera adfuisse infra videmus.

Vocavit Mariam silentio, id est, clam in aurem, ne præsentes Judæi cognoscerent. Sic autem serviebat Providentiæ, quæ volebat rem a Judæis ignorari; si enim cognovissent, quod Maria occursura esset Christo, abiissent, et resurrectio Lazari iis testibus caruisset.

Dicit, *Magister adest :* quia ipsa et soror sunt discipulæ Jesu, quem uti solum Doctorem ac Magistrum sequuntur. Non dicit, *Christus adest*, etsi novit Magistrum esse Christum; quia nondum volebat Jesus eo nomine a discipulis appellari. Matth. XVI, 20.

Illud : *Magister adest et vocat te*, suavissimus fuit Mariæ nuntius; quare *illa ut audivit, surgit cito, et venit ad eum.* His verbis egregie significatur promptitudo, qua Maria ad Jesum festinat. Statim enim surrexit, nihil cur surgeret præfata ad amicos et consolatores, quamvis viros honoratos in sæculo; oblita scilicet urbanitatis, oblita luctus.

Judæi itaque admirati Mariam sic inopinato egressam, existimarunt eam vehementi quodam impetu doloris actam, cucurrisse ad sepulcrum, ut illic fletibus indulgeret; mos enim Judæis erat ad cognatorum sepulcra lugere.

Quapropter, ut consolatores decebat, *secuti sunt eam, dicentes : Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.* Quod dicitur, *secuti sunt eam*, indicat, eos non perinde secutos esse Martham: tum quia illa non fuerat intus cum eis, tum quia solebat ad obeunda familiæ negotia circuire.

Maria ergo, cum venisset, ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus et dicit ei : Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.

Maria properans, mox, et quidem ante alios, ad Jesum pervenit; quem statim ac vidit, *cecidit ad pedes ejus*, plena reverentia, absque respectu aut timore Judæorum sequentium, ad quos pedes antea peccatorum remissionem obtinuerat.

Et dicit ei : Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Eadem verborum querimonia utitur, et eamdem fidei imperfectionem prodit, quam soror supra. Quod quidem non obscure indicat, sorores has, antequam Dominus advenisset, sæpius hujusmodi inter se querelas contulisse : Si Dominus adfuisset, non essemus in hoc luctu, frater noster adhuc viveret.

Cæterum Maria breviter locuta conticuit, plorans, simulque Judæi, humanitatis et compassionis affectu, una plorabant; quos fletus ut vidit Jesus, non absque animi commotione stetit.

Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, et Judæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, et turbavit seipsum.

Plorantibus omnibus, et ipse Dominus motus est duplici affectu : indignatione et tristitia. — *Infremuit spiritu :* en indignatio, interna quidem, ut indicatur voce *spiritu;* sed simul etiam externe manifestata, quod intelligitur voce *infremuit :* est enim fremitus sonus indignantis.

Indignatus est autem, non adversus aliquem adstantium; sed adversus eos qui causa mortis Lazari, et lacrymarum Mariæ ejusque amicorum erant : nempe incredulos Judæos, diabolum et ipsam mortem. Porro indignatus est ut vindex, injurias amicorum vindicaturus.

Et turbavit se ipsum : en dolor ac tristitia. Scilicet excitavit etiam in se passionem tristitiæ, et viscera sua ad condolen-

tiam commovit, quæ mutatione vultus, vocis, habitusque appareret. Sicut fremitus erat indignantis, ita turbatio commiserantis et condolentis. Solent enim homines, quando amicum vident injuria alterius afflictum, prius indignari adversus injuriantem, ac deinde amico afflicto condolere.

Evangelista non dicit, *turbatus est*, sed, *turbavit se ipsum :* quia affectus istos non passus est invitus aut involuntarie; sed sponte assumpsit. *In illius potestate* erat, inquit Augustinus, *sic vel sic affici, vel non affici.* — Videns itaque Dominus adstantium lacrymas, ratione imperavit ut appetitus sensitivus tristitiam pateretur, qua eis et intus condoleret, et exterius collacrymaret : incongruum judicans, amicis lugentibus ac flentibus vultu plane rigido adstare.

Hinc nihil respondit Mariæ, neque eam docuit sicut Martham : -1) ratione luctus sui et aliorum; -2) quia aderant Judæi; -3) quia tempus erat miraculum operandi.

Et dixit : Ubi posuistis eum? Dicunt ei : Domine, veni et vide.

Vultu itaque mœsto profert verbum unum : *Ubi posuistis eum?* Alloquitur adstantes omnes, quorum plerique Lazari funus celebrarant et sepulturæ adfuerant.

Cur autem id rogat? Non utique quod ignoret, sed quia gerit se humano more, tanquam ignorantem, ut ordinate ad perpetrandum miraculum accedat; nec locus suspicioni fraudis relinquatur, si ultro tanquam ad locum jam antea sibi notum iret.

Dicunt ei adstantes *: Domine, veni et vide.* Non ad verba respondent, sed ad mentem : arbitrati scilicet, eum velle sepulcrum amici adire, lugendi causa. *Quia adhuc*, inquit Theophylactus, *nulla conjectura resurrectionis Lazari ostensa erat, neque illuc putabatur venisse ut resuscitaturus eum, sed ut deploraturus, dicunt ei : Veni et vide.*

Et lacrymatus est Jesus.

Postquam dixit : *Ubi posuistis eum?* permisit passionibus indignationis ac tristitiæ ut in lacrymas solverentur. Lacry-

mari autem voluit, -1) quia benignitatis est lugere cum lugentibus, flere cum flentibus. -2) Ut doceret, non illicitum esse, si quis super amicum mortuum modicum ploret, quemadmodum Sapiens monuit : *Supra mortuum plora : defecit enim lux ejus* (Eccli. XXII, 10). Diximus *modicum :* nam, ut Theophylactus scribit, *absque compassione et lacrymis esse, bestiarum est; multum lacrymari mulierum.* -3) Ut, magnum divinitatis suæ signum editurus, humanitatis quoque argumentum ostenderet, atque sic Deus et homo esse crederetur : homo, qui lacrymari; Deus, qui suscitare mortuos valeret.

Deflevit igitur Jesus mortem Lazari, sicut postea excidium Jerosolymæ. Interim autem ibat sepulcrum versus, quibusdam inter comitantes loquentibus submissa voce.

Dixerunt ergo Judæi : Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt : Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur?

Judæi hic in duas velut classes dividuntur : 1° plerique videntes lacrymas Jesu, viri adeo gravis et constantis, dicunt : *Ecce quomodo*, quam sincere *amabat eum;* significantes, Jesum esse virum humanum ac benevolum, non durum atque odio dignum, qualem adversarii calumniabantur.

2° Altera classis pauciorum est : *Quidam autem*, minus bene erga Jesum affecti, tristitiam Domini sinistre interpretantur, velut argumentum impotentiæ. *Non poterat hic,* inquiunt, *qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur?* Quibus verbis, -1) malevolentiam produnt ipso loquendi tono, Dominum parum decore designantes pronomine *hic*. -2) Fatentur Lazarum esse vere mortuum. -3) Ex tristitia Jesu temere concludere nituntur, eum non potuisse amicum ægrotum sanare. -4) Inde ulterius insinuant, miraculum cæci nati non fuisse tam certum, quam vulgo creditum est ac dictitatum. Non quidem directe factum illud tam manifestum negant; sed oblique in dubium vocant, et sic implicite omnia Domini miracula reddunt suspecta. — Porro malignæ eorum quæstioni facilis est responsio : potuit utique Jesus facere ut

Lazarus non moreretur; sed noluit, ob majus bonum, utque eo efficacius expugnaret incredulitatem Judæorum; noluit facere minus, ut faceret majus : noluit sanare ægrotum, ut suscitaret mortuum.

Inimicorum dicteriis Dominus non respondet verbo; sed mox opponet factum, quod contradictoribus eo mirabilius erit, quo minus exspectatum.

Jesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei.

Mox igitur ut ad monumentum ductus est, illudque sibi ostensum vidit, iterum sicut antea indignationem manifestavit: *Rursum fremens in semetipso.* Illud *in semetipso* significat, -1) *intus*, in gutture, nempe anhelitu, seu *spiritu*, ut dicitur supra; -2) id innuit, quod non adversus adstantium aliquem indignari videbatur; sed adversus eos, quos in *semetipso* cognoscebat esse causam tam luctuosi funeris.

Aspectu monumenti fremit, -1) quia tunc recrudescit dolor sororum; -2) quia velut athleta accingit se ad liberandum Lazarum e tyrannide mortis.

Monumentum seu sepulcrum Lazari *erat spelunca* sive antrum, ex rupe, ut passim existimatur excisum; *et lapis superpositus erat ei :* nempe lapis ingens positus erat super ore speluncæ, claustri loco, ita ut non facilis esset ad cadaver accessus : quod conferebat ad excludendam omnem suspicionem doli. — Porro dicitur lapis *superpositus*, non *advolutus*, ut ad ostium monumenti Dominici (Matth. XXVII, 60); et infra dicitur *auferri* non *revolvi :* quia monumentum Lazari non erat sicut sepulcrum Domini in montis latere apertum, sed spelunca foveæ similis, cujus os æquale esset solo terræ calcabili.

Ait Jesus : Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat : Domine, jam fœtet, quatriduanus est enim.

Tollite, inquit Dominus, *lapidem*, circumstantes alloquendo et quidem plures ; quia cum ingens esset lapis, opus erat opera plurium.

Jussit scilicet auferri lapidem ab ostio monumenti, ut exitus pateret resuscitando.

Quæritur autem, 1° cur Lazarum non suscitaverit Dominus, sicut ipsemet resurrexit, e sepulcro clauso ? — Resp. -1) Quia ipse Dominus resurrexit corpore glorioso, quod subtilitatis dote pollebat ; Lazarus vero non item : qui nec potuisset relicto lapide exire, nisi per novum miraculum. -2) Quia id non expediebat : ne Lazarus egressus clauso ostio, spectrum potius, et magica incantatione evocatus crederetur ab adstantibus, quam verus homo. -3) Ut mors Lazari esset omnibus manifestior.

Q. 2° Cur non ipse Dominus miraculosa potentia lapidem removit, potius quam ab aliis removendum voluit? — Resp. -1) Quia non conveniebat, ut vel suis manibus, vel miraculo faceret, quæ commode fieri ab aliis poterant. -2) Quia volebat ut adstantes operam præstando, certissimi testes fierent miraculi ; dum ipsi primi suis oculis viderent cadaver jacens mortuum, ejusque gravem odorem suis naribus exciperent.

Mandato Domini statim Martha, humanitatis causa, opponit maximum incommodum : *Domine*, inquit, *jam fœtet, quatriduanus est enim ;* quasi diceret : Domine, ne jubeas aperiri sepulcrum, cum jam putrefactum sit cadaver : non enim solent cadavera per dies quatuor absque corruptione et fœtore servari. — Hoc dicit Martha, *soror*, inquit Evangelista, *ejus qui mortuus fuerat*, quia nulla alia persona magis idonea testis erat mortis quatriduanæ.

Cur autem Martha obstat huic velut præparationi miraculi? — Resp. -1) Quia non sperabat præsentem fratris resurrectionem; illud enim : *Resurget frater tuus*, aliaque Domini verba, non rite intellexerat ; et aliunde putridum jam cadaver

posse reviviscere non cogitabat. -2) Ut serviret Providentiæ, quæ manifestare volebat, nullam fuisse inter Jesum et sorores secretam collusionem.

Dicit ei Jesus : Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?

Martham Dominus suaviter reprehendit, tanquam debilem in credendo ac sperando, quasi dicat : Nonne speras resurrectionem fratris tui, licet quatriduo mortui? Nonne dixi tibi, quod *si credideris* me esse resurrectionem et vitam, *videbis gloriam Dei?*

Dicendo *si credideris*, fidem tanquam conditionem ponit, quam requirere solet ex nostra parte, ut ejus beneficia recipiamus. Fides enim velut viam sternit potentiæ ac bonitati divinæ; incredulitas e contra obstruit accessum Deo, ejusque manus quasi clausas tenet.

Videbis gloriam Dei : id est, videbis glorificationem Dei, seu opus quo Deus glorificetur, et ex quo ego agnoscar ut unigenitus Filius Dei. — Insinuat hoc opus fore resurrectionem Lazari, et sic Martham cum cæteris auditoribus, in fidem ac spem futuri miraculi erigit. — De sua tamen divinitate non loquitur hic explicite, propter Judæos adstantes.

Tulerunt ergo lapidem. Jesus autem, elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis; sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti.

Domini verbis, spem resurrectionis vel saltem rei novæ exspectationem ingerentibus, obediunt : *Tulerunt ergo lapidem;* ita ut, aperto sepulcro, cadaveris odorem omnes exceperint, et interiorem speluncam singuli inspicere, mortuumque jacentem videre potuerint, idque per aliquantulum temporis intervallum, Domino interim orante.

Aperto namque monumento adstans Jesus, orare incipit, et quidem orat *elevatis sursum oculis*, scilicet in cœlum, ad Deum Patrem suum : -1) quia alloquitur hunc Patrem suum cœlestem. Talis est enim habitus alloquentis Deum; qualis noster, qui oculos defigere solemus in eos quos alloquimur. -2) Ut significet, se omnia sua Deo referre accepta. -3) Ut elevatio oculorum signum sit elevationis cordis, qua Dominus orat, et qua nos similiter orare debemus.

Pater, inquit, *gratias ago tibi*... Sensus est : Pater, gratias tibi ago, quod mihi concedas miraculum facere quod intendo, adeoque quod audiveris desiderium meum. Hoc dico, et gratias tibi ago quod nunc me audieris, non quasi aliquando me non audias; scio enim me semper a te audiri, omnesque meas voluntates a te impleri; sed dico propter populum, ut videant meam potestatem a te manare, ideoque credant me esse missum a te, Christum Salvatorem.

Dicit *Pater*, qua Filius unigenitus Dei; auditur autem et gratias agit, qua homo.

Gratias ago, inquit, *quoniam audisti me*. Nihil hactenus precatus, jam exauditum se dicit : ut ostendat se non egere precibus, sed omnia a Patre recipere quæ velit et desideret. Deus enim audire dicitur, non solum orantem; sed etiam illum, cujus desiderio paratus est satisfacere, etsi non rogatus. Sic legimus Ps. IX : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* — Non dicit qua in re sit exauditus; intelligit autem miraculum quod operaturus est. Quod cum sit beneficium in humanam Jesu naturam a Deo collatum, merito pro eo gratias agit Dominus ut homo. Quod autem gratias agit de re nondum effecta, docet, tam certum se esse de Patris voluntate, quam si res ipsa perfecta esset; adeoque jam nunc se compotem esse potestatis edendi hujus miraculi, a Patre acceptæ.

Explicat autem cur gratias Patri agat, idque publice, subjungens : *Ego autem sciebam quia semper me audis :* id est, jam inde a primo initio quo homo factus sum, cognovi, semper a te mihi concedi quæcumque volo facere. Quibus verbis -1) removet errorem, quo quis putare posset eum aliquando a Patre non audiri; -2) significat, tantum sibi esse

cum Patre consensum, ut quidquid velit, id etiam velit Pater : adeoque divinam suam filiationem innuit, in qua consensus ille indivisus fundatur.

Sed propter populum qui circumstat, dixi... En ratio positiva : dixit scilicet se auditum esse, et gratias egit Deo Patri, ut homo, propter imbecillitatem circumstantium, ut crederent in ipsum, tanquam in Dei legatum. Nisi enim opus hoc resuscitati Lazari Jesus Deo acceptum tulisset, illi facile, exemplo Pharisæorum, magicis artibus ac dæmonum operæ id attribuissent. Nunc autem evidenter digitum Dei videbunt : nam recta ratio dictat, Deum non patrare miracula in ejus favorem, qui sese falso Dei legatum testetur.

Ut credant quia tu me misisti. Hoc enim credent, dum videbunt Lazarum mortuum resuscitari a Christo ex voluntate ac virtute Dei, cui tam insigne miraculum antequam fieret adscriptum est. — Itaque humilia se locutum ait de se ipso, propter infirmitatem populi, ut crederent saltem Jesum esse a Deo missum, in omnibus veracem, Deoque consentientem; cum adhuc ignorarent Patrem et Filium unum esse Deum.

Hæc cum dixisset, voce magna clamavit : Lazare, veni foras.

Voce sua, non tacita voluntate resurrectionem efficere voluit, ut constaret se miraculi auctorem esse, utque ita glorificaretur Filius Dei.

Voce itaque, et quidem voce *magna clamavit*, alta scilicet ac vehementi voce, quæ longe posset audiri et ab omnibus intelligi : -1) ne quis, si verba non audirentur, superstitiosa susurra aut incantationes magicas adhiberi suspicaretur. -2) Solemnitatis causa, quo magis sentiretur operis magnitudo, utque vox magna magnæ esset virtutis indicium. -3) Quia id rei naturæ consentaneum erat : suscitabat enim mortuum velut dormientem, ac somno gravi oppressum; atque sic implebat quod dixerat discipulis : *Vado ut a somno excitem eum.* -4) Ut imaginem exhiberet novissimæ vocis ac tubæ, quæ canet in fine mundi, quando *omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei* (Joan. V, 28). — Quænam autem clamando verba pronuntiat?

Lazare, veni foras... -1) Mortuum appellat tanquam vivum, quia apud Deum etiam mortui vivunt. -2) Non dicit : *Tu, qui in sepulcro jaces;* sed nominatim appellat *Lazarum :* ut constet de intentione ejus ; fortassis enim alii mortui in spelunca eadem quiescebant. -3) Non tantum dicit : *Surge;* sed : *Veni foras,* quasi diceret : Non solum surge a morte, sed etiam prodi ex antro sepulcri, et omnibus conspicuum te præbe.— Sic autem agit Dominus, ut miraculum esset insignius, cum mortuus non tantum se erigeret, sed repente e profundo sepulcro, sicut illic ligatus jacebat, omnibus spectabilis exiret: quod sine novo miraculo fieri non poterat.—4) Non dicit : *In nomine Patris mei, veni foras,* sed proprio nomine ac auctoritate mortuo imperat : quia, etsi dixerat coram populo, se hanc potestatem accepisse a Patre, ut populo monstraret se esse hominem Deo consentientem ; hic præterea vult ostendere, se esse Filium Dei ac verum Deum, mortis vitæque Dominum. Etenim per utramque naturam hujus miraculi causa efficiens fuit : per naturam humanam, causa efficiens instrumentalis, voce tanquam instrumento utens ; per divinam, causa principalis, una cum Patre et Spiritu sancto. -5) Verbis utitur paucis, adinstar imperantis, atque Creatoris Dei, qui *dixit, et facta sunt : mandavit et creata sunt.* Ps. CXLVIII.

Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus et pedes institis, et facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Jesus : Solvite eum et sinite abire.

Effectus respondet imperio : foras prodiit mortuus, et quidem *statim*, id est, sine mora ; nec paulatim, sed de repente, *in momento, in ictu oculi* (I Cor. XV, 52), sicut resurgent mortui in novissimo die.

Statim prodiit qui fuerat mortuus: id est, Lazarus, qui jam non erat mortuus, sed redivivus, venit foras in conspectu omnium, prout ei fuerat imperatum.—Non ergo prævie palpitavit, nec vitæ redeuntis specimen dedit, ut aliis accidit ;

sed subito, qui putrefactus fœtebat, et a vermibus rodebatur, vitam recepit, et e speluncæ cavis exsilivit.

Prodiit autem *ligatus manus et pedes institis, et facies illius sudario erat ligata :* id est, prodiit subito, quamvis esset impeditus, nimirum manibus et pedibus constrictus fasciis seu vinculis, facieque atque oculis obvolutus linteo. — Insuper, corpus sindone erat involutum atque insutum, haud dubie, *sicut mos est Judæis sepelire,* quod ex historia Dominicæ sepulturæ intelligitur (Joan. XIX, 40). — Quamvis ergo manibus, pedibus atque oculis impeditus; tamen, quod miraculum addebat miraculo, ex profundo sepulcri, nullius hominis ope adjutus, subito, ac citius quam quivis homo solutus ac liber possit, evasit.

Cur ita surrexit, et non potius sicut ipse Christus, qui relictis sepulturæ linteis e monumento exivit? — R. Præscindendo a mysticis documentis, quæ nunquam excludimus, sequentes assignari possunt rationes : -1) Ut magis appareret potentia Domini, cui nulla mortis vincula resistere possent. -2) Ut evidentius pateret, prodeuntem non esse alium quam quatriduo sepultum Lazarum, cum adhuc mortis ornatu esset indutus, et quidem sic prorsus ut eum adstantes amici sepeliverant. -3) Ut propius videretur, imo ut palparetur a spectatoribus, cum eum vinculis solverent. Atque ideo Dominus eum suis manibus non solvit, sed circumstantium ministerio utitur, ut ipsimet certissimi testes essent resurrectionis non fictæ. Dixit ergo :

Solvite eum et sinite abire. Sensus est : Dissolvite sepulcrales ligaturas omnes. Auferte sudarium a capite, ut oculis videat, ore respiret, cæterisque sensibus utatur; auferte institas a manibus, ut libere eas extendere, et a pedibus ut ambulare possit; denique dissuite sindonem, ut corpus pressura liberetur.

Effectus mandati hujus Evangelista non explicat; sed intelligendum relinquit, -1) quomodo Lazarus, ornatu mortis detracto, et pristinis mox vestimentis indutus, vivus ac sanus omnibus apparuerit; -2) quomodo singulari gaudio repletus, Jesum, auctorem vitæ sibi restitutæ recognoscens, pronus adoraverit; -3) quomodo inde ad sorores amplectendas, et ad

cæteros amicos se converterit, omnibus stupefactis mirabilis... -4) quomodo demum abierit domum cum sororibus et amicis. — Sorores procul dubio nunc intelligentes responsum illud Domini : *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam*, fratri retulerunt ; amici vero qui venerant ut deflerent mortuum, eumdem redivivum exultantes domum deduxerunt, et cum eo tandem cibum potumque sumpserunt : ita ut resurrectionis veritas modis omnibus confirmata permanserit.

Ipse Dominus, ut Chrysostomus existimat, non progressus est cum Lazaro domum, sed alio potius divertit : -1) ne hominem a se resuscitatum velut in triumphum ducere videretur, et applausu populi delectari ; -2) ut, Christo absente, personam Lazari totamque rem gestam liberius et perfectius scrutentur quicumque voluerint.

Miraculum istud a se edendum prædixerat Jesus ante duos annos, cum occasione paralytici ad probaticam piscinam sanati, Judæos redarguens dixit : *Amen, amen dico vobis, quia venit hora et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent* (Joan. V, 25). — Porro hoc miraculum typus est futuræ omnium resurrectionis in novissimo die, *quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei : et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ : qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (ibid. 28, 29).

Multi ergo qui venerant ad Mariam et Martham, et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, et dixerunt eis quæ fecit Jesus.

Effectus miraculi jam narratur respectu Judæorum illorum, qui Jerosolymis venerant. Multi ex eis crediderunt ; quidam autem credere noluerunt, imo ipsum illud opus Domino crimini et exitio verterunt.

Multi crediderunt. Motivum autem credendi fuit, quod *viderant quæ fecit Jesus*, talia nimirum opera, quæ fieri non possint nisi divina virtute, astipulante doctrinæ et conver-

sationi facientis. Ideo crediderunt *in eum*, id est, crediderunt Jesum esse vere missum a Deo, ac promissum Salvatorem. — Hi quidem ad fidem adducti sunt; simul autem, quod intelligendum relinquit Evangelista, discipuli jam credentes, in fide confirmati sunt : ita ut maxime glorificatus sit Filius Dei, prout ipse prædixerat : *Ut glorificetur Filius Dei.*

Credentibus opponuntur alii, utique non credentes : *Quidam autem...* Illi, ut verisimile est, designantur, qui supra malam erga Jesum dispositionem manifestarunt; nunc autem, quamvis mortuum resurgentem oculis viderint, non credunt, secundum illud, quod Dominus in parabola divitis epulonis docuerat : *Neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Luc. XV, 31.

Abierunt ad Pharisæos, inimicos Christi, mala intentione, ut servirent odio eorum, et velut oleum igni infunderent, atque ita favorem captarent.

Et dixerunt eis quæ fecit Jesus. Non detraxerunt miraculo, tanquam ficto aut doli suspecto; nec enim id permittebat facti evidentia; sed rem in suis sequelis ut maxime periculosam ostenderunt, dicentes, fore ut hinc gloria Jesu multum cresceret, et plerique e vulgo eum pro Christo ac Rege acciperent : quapropter cavendum esse ac providendum... His auditis, illi congregandum curarunt concilium.

Collegerunt ergo pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum : et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem.

Congregarunt *concilium*, id est, *synhedrium*, magnum illud septuaginta duorum tribunal, ad quod referebantur causæ gravissimæ, ad summam religionis et reipublicæ pertinentes, qualis erat causa de Jesu, tot miraculis sese Christum esse docente.

Collegerunt concilium pontifices et Pharisæi : id est, Caiphas et Annas, qui pontificatum alternis annis gerebant; convocarunt concilium ipsi, una cum Pharisæis cooperantibus. —

Pharisæi enim rem a delatoribus auditam ad Caipham detulerunt, illo anno summum pontificem, penes quem solum erat auctoritas congregandi synhedrium. Quoniam autem Caiphas consilio utebatur Annæ et Pharisæorum, ideo omnes dicuntur velut conjuncta opera concilium congregasse.

Et dicebant. Pontifices nempe et Pharisæi causam propter quam concilium coegerant, et quæstionem de qua deliberandum erat, proposuerunt his verbis : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?...* Sensus est quasi dicerent : Quid stultitiæ nos facimus? Quomodo tam negligentes ac inertes sumus, quasi non videamus periculum nobis imminens? Ecce ille homo signa facit quotidie nova, ac magis magisque stupenda, quibus, nisi a nobis impediatur, reipublicæ ac religioni nostræ ruinam inducet. Quid ergo faciemus ad hæc præcavenda?— His verbis : *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum...* insinuant, suam esse sententiam, adeoque velle se ut omnes similiter consentiant, prompte, efficaciter, imo quavis ratione, etiam extrema violentia adhibita, miraculis illis finem esse imponendum.

Sermo iste, probabiliter ore Caiphæ præsidis prolatus, prava passione suggeritur et odio contra Jesum, nequaquam recta mente ac veritatis justitiæque studio. Quod si bonum publicum prætendunt, vanus ille prætextus est, quo malitiam atque odium frustra nituntur occultare.

Etenim 1° passionem, qua mens obcæcatur, revelat generatim absurditas ratiocinii. Tria enim quoad substantiam sermone continentur : factum, conclusio inde ducta, et conclusionis probatio. -1) Factum tanquam indubium ponitur : *Jesus præclara miracula multiplicat.* -2) Inde concluditur : *Ergo omnino est opprimendus.* -3) Probatur : *Quia ex miraculis sequeretur ruina religionis et patriæ.*

2° In particulari, animi æstum atque odium indicat, -1) illa abrupta interrogatio : *Quid facimus?* —2) Loquendi modus, quo de Jesu contemptim dicunt : *Quia hic homo...* eum proprio nomine appellare non dignantes. -3) Inepta fictio periculi, ex Christi miraculis secuturi. -4) Exaggeratio malorum quæ timenda sint. -5) Absurda suppositio potestatis suæ in hominem miracula patrantem : quasi virtutem miraculo-

rum, adeoque brachium Dei pro arbitrio suo cohibere valeant. -6) Absurda intentio opprimendi hujusmodi divinam virtutem. -7) Insinuatio violentiæ etiam extremæ, adhibendæ adversus hominem, cujus crimen aliud non profertur, nisi quod miracula facit : *Quia hic homo multa signa facit.*

Quod si sana ratione ac mente serena veritatem indagarent, sic ratiocinari deberent : Jesus præclarissima miracula facit; ergo fortassis est exspectatus Messias Salvator; ergo rem tanti momenti ex prophetiis dilucidemus : ut, si constiterit Jesum esse spem Israel, eum cum universo populo agnoscamus.

Sic debuissent ratiocinari. Cumque ad ipsos pertineret de vero et falso propheta, deque utriusque signis judicium ferre : simul inquirendum ipsis erat de signis, quæ fatebantur a Jesu patrari, utrum -1) fierent virtute divina : quod tamen satis manifestum erat recta ratione utentibus ; -2) utrum essent consentanea vaticiniis prophetarum : quod ex Isaiæ XXXV, 5, et aliunde discere poterant; -3) utrum sufficientia essent, ut Jesum Messiam, ac Filium Dei, qualem se dicebat, demonstrarent.

Hæc si indagassent, facile profecto intellexissent, tum Jesum esse promissum Messiam, tum nihil inde ex parte Romanorum timendum : nam ipsos Romanos in Christum credituros, juxta vaticinia de conversione Gentium ; vel facile a se superandos, ea Dei virtute, quæ se præsentem in his signis exhibebat ; eo magis, quod ipsimet, utut carnales, exspectabant Messiam Regem, qui liberaturus ipsos esset a jugo Gentium, imo Gentes suo imperio subjugaturus.

At vero, his omnibus prætermissis, quasi ad rem non pertinentibus, ponunt Jesum non esse Christum, quidquid tandem signorum edat, et quamvis ipsum Deum e cœlis evocet testem. De una re inquirunt, quomodo eum coerceant, seu potius, e medio tollant : eo quod odio personæ occupati, et passioni cæcæ obedientes, illud animo statuerunt : *Nolumus hunc regnare super nos.* Luc. XIX, 24.

Quod dicunt : *Tollent nostrum locum et gentem*, id est : templum, ac civitatem hanc sanctam vastabunt, et gentem nostram universam perdent. De templo ac cultu Dei, deque populi bono, vehementer sollicitos sese simulant,

ut sceleri suo honestatis speciem obtendant. Nam etsi forte incommoda publica timuerint; præcipua tamen quæ eos movit causa, fuit invidia et odium erga Jesum : quod viderent, si Jesus emergeret, se mergendos, quippe qui se constituerent hostes ejus capitales.

Sic itaque proposita deliberandi materia, cum alii dicerent, mala tanta esse prævenienda per mortem Jesu; alii vero objicerent, eum interfici non posse nisi ob causam morte dignam : hæsitatum est inter senatores, quid fieri deberet. Tunc concilii præses, Caiphas, quæstionem decidit.

Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis : Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.

Caiphas, ut pontifex ac præses, libere et cum auctoritate ambigentibus dicit : Vos sine perspicacitate, sine consilio esse videmini; nec omnino rem præsentem ut oportet spectatis, non considerantes expedire reipublicæ, ut unus homo moriatur ne pereant omnes. — Quo sermone, ut patet, primo damnat alios inscitiæ; deinde sua sententia decernit, Jesum esse occidendum.

Ut unus, inquit, *moriatur homo*... id est, ut e vita auferatur *unus*, quicumque et qualiscumque tandem ille sit, sive innocens, sive reus, sive justus, sive impius. Non nominat Jesum, ne privato in illum odio ferri videatur; tamen, quia in concilio de solo Jesu agebatur, manifestum est, Caipham decernere occidendum esse Jesum: eo quod satius sit, ut unus homo quamvis innocens moriatur, quam ut ipsa respublica ruinam incurrat.

Hoc cæteri pronuntiare ausi non fuerunt, quia scriptum est : *Insontem ac justum non occides* (Exod. XXIII, 7). Solus Caiphas iniquam sententiam protulit, et quidem triumphantis instar, quasi simpliciter recteque applicaret principia illa juris, a nemine neganda : *Bono publico privatum est postponendum;* et : *E duobus malis eligendum est minus.*

Confundebat autem, odio delusus homo, mala *culpæ* et mala *pœnæ*, nec non, *bona superioris* et *bona inferioris ordinis;* simulque *utile* a *licito* separabat : ideoque in errore et in injustitia gravissima versabatur. Ut enim evitetur maximum malum pœnæ, non est committendum vel minimum malum culpæ; — ut procuretur bonum publicum, non est lædenda justitia vel erga hominem privatum; — denique *nunquam sunt facienda mala ut veniant bona* (Rom. III, 18); nec judicandum est utile quod est illicitum : et hic quidem præcipue, ubi certum scelus suadetur, ad occurrendum incerto periculo.

Impia ergo erat et iniqua sententia Caiphæ; at solummodo quatenus sententia ipsius, et in ejus sensu intellecta. Etenim eadem intelligi quoque potest in sensu Spiritus sancti, verba pontificis ad revelandum mysterium adhibentis.

Hoc autem a semetipso non dixit : sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit quod Jesus moriturus erat pro gente ; et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum.

Explicat Evangelista, quomodo impius pontifex, quamvis inscius prophetans, mysterium Redemptionis declaraverit.

Hoc, inquit, *a semetipso non dixit.* Duplex, ut innuimus, inerat sermoni sensus : quatenus falsus et iniquus, dicebatur ab ipso, adeoque a diabolo instigante; quatenus erat verus, dicebatur a Spiritu sancto, non tantum verba adoptante, sed mirabiliter faciente, ut pontifex impiam sententiam sic proferret.

Cum esset pontifex, prophetavit : id est, cum esset pontifex summus, et caput Judaicæ synagogæ, quamvis impius, organum fuit Spiritus sancti : Deo sacerdotium a se institutum respiciente, potius quam indigni hominis personam. Ita fit aliquando, ut impiorum linguas Deus sic flectat, ut eisdem verbis quibus maledicere volunt, benedicant.

Prophetavit, id est, Spiritus sanctus ita moderatus est linguam verbaque ejus, ut, dum libere proferret suam pravam sententiam, protulerit veram prophetiam, futurorum prænuntiam. *Prophetat*, inquit Theophylactus, *sed non prophetica mente, et propterea non est propheta :* cujus nempe est, ea quæ vaticinatur intelligere, saltem inadæquate.

Prophetavit itaque, et quidem toto suo sermone, etsi Evangelista, brevitatis causa, partem ejusdem tantum explicat. *Vos*, inquit, *nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit*... quibus verbis, ex mente Spiritus sancti Judæi increpabantur, quod rationem salvandi humani generis nescirent, nec ut oportuerat ex prophetis didicissent. — *Quia expedit vobis*, et toti populo Judæorum, *ut unus* Jesus insons, qua *homo, moriatur*. Non dicit *ut occidatur :* non enim occidere Jesum ipsis expediebat, sed Jesum *mori* utilissimum erat : illud fuit scelus Judæorum ; hoc, misericordia Dei et Jesu.

Prophetavit, ait Evangelista, *quod Jesus moriturus erat pro gente :* nempe pro salute gentis Judaicæ, ne periret, non quidem interitu a Romanis infligendo ; sed interitu mortis æternæ ; ne periret *tota*, sed saltem reliquiæ salvæ fierent. Rom. IX, 27 ; XI, 5.

Addit autem Evangelista, latius extendi sensum Spiritus sancti, quam sensum Caiphæ, qui tantum gentem Judaicam intellexerat. *Non tantum*, inquit, moriturus erat Jesus *pro gente* Judaica ; *sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum :* id est, ut per merita mortis suæ, gentiles per orbem sparsos, qui futuri erant filii Dei, congregaret in unum gregem, in unam Ecclesiam. — Quod idem ipse Dominus antea dixerat his verbis : *Animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere ; et vocem meam audient ; et fiet unum ovile et unus pastor* (Joan. X, 15, 16). — Quod ergo dicit Evangelista : *Ut congregaret in unum*, perinde est ac si dixisset : *Ut salvaret omnes gentes, easque in unam familiam filiorum Dei congregaret.*

Ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum.
Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos,
sed abiit in regionem juxta desertum,
in civitatem quæ dicitur Ephrem,
et ibi morabatur cum discipulis suis.

Explicata Caiphæ prophetia, pergit narrationem Evangelista; innuitque imprimis, audita sententia Pontificis, senatores quasi unanimiter eidem consensisse. Quare *ab illo die cogitaverunt*, id est, communibus consiliis statuerunt occidere Jesum. Jam pridem mente conceperant interimere Dominum, imo sæpius eum apprehendere ad necem quæsierant; sed nondum, ex convocati totius synhedrii auctoritate. Nunc autem, solemni decreto conclusum est, sine ulla hæsitatione aut dilatione ad hoc esse laborandum, ut homo ille interficeretur : non per turbam aut tumultum, sed ordine specieque judicii legitimi. Quare jam nihil aliud in singulas horas quæsierunt illi, quibus incumbebat ea cura, quam ut concilii decretum exsequerentur : *Ut interficerent eum.*

Quod quidem *extremæ fuit insipientiæ*, ut Theophylactus post Chrysostomum adnotat, *quod morti se tradituros existimabant eum, qui mortem in aliorum vincebat corporibus.* Illud tamen consilium suum perfecerunt, et Dominum occiderunt, sed libere eis se tradentem. Quam vero per scelus suum evitare volebant, temporalem ex parte Romanorum ruinam prorsus incurrerunt, simul et æternam. *Temporalia*, inquit Augustinus, *perdere timuerunt, et vitam æternam non cogitaverunt : et sic utrumque amiserunt.*

Hoc ergo a Judæis constituto decreto, Dominus longe ab eorum manibus secessit; non quod sibi timeret, ne ante horam raperetur ad mortem; sed ut hominis more et communi prudentia sibi caveret, donec veniret hora sua. *Jesus ergo*, inquit Evangelista, *jam non in palam ambulabat apud Judæos*, nempe Jerosolymitanos; *sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem : et ibi morabatur cum discipulis*, id est, cum Apostolis *suis*. — Apostoli quidem

sibi timebant, ut Marcus ostendit, dicens : *Erant autem in via* (paulo post, redeuntes ab Ephrem), *ascendentes Jerosolymam; et præcedebat illos Jesus, et stupebant, et sequentes timebant* (Marc. X, 32) ; constanter tamen Domino adhærebant. Qua de re postea eos laudavit, pollicitus remunerationem, his verbis : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis : et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Luc. XXII, 28, 29.

Explicatio secunda.

Erat quidam languens Lazarus.

Infirmus iste Lazarus, qui ex infirmitate sua moritur, ac dein postquam sepultus est, a Christo resuscitatur, typum exhibet animæ in peccatis mortuæ, ac profunde sepultæ, quæ feliciter per Christi sacramenta ad vitam gratiæ revocatur.

Tres enim mortui, quos suscitasse Dominus legitur, varios peccatores, spiritualiter per peccatum mortuos, figurant. -1) Filia duodennis archisynagogi, quam suscitavit in domo, peccatorem figurat, lapsum per fragilitatem in peccata, quæ interna esse solent. -2) Adolescens filius viduæ Naim, suscitatus in porta civitatis, illum figurat peccatorem, qui majore malitia sese tradit passionibus, a lapsu surgere minus curat, et in actus externos per verba et opera scandalosa progreditur. -3) Lazarus demum, qui suscitatur postquam sepulcro jam inclusus est, figurat peccatorem, peccandi consuetudine putrescentem, obduratum et obcæcatum.

Ut autem spirituale documentum, historia Lazari insinuatum rite intelligatur, præcipuæ circumstantiæ distinguendæ sunt, nimirum : Lazari morbus et mors, ejus sepultura, recursus ad Christum, sublatio lapidis sepulcri, suscitatio mortui, ejusdem a feralibus linteis liberatio.

1° *Lazari morbus et mors.* — 1) Morbus ille corporalis, imago est ægrotationis animæ. Ægrotat enim anima quando declinat in tepiditatem, in negligentiam rerum spiritualium, in sensualitatem, dissipationem, participationem aliquam vanitatum mundanarum..... hujusmodi morbus ducit ad mortem.

-2) Mors significat peccatum mortale, quo anima culpæ gravi consentiens, vere moritur gratiæ, ac proin etiam cœlesti gloriæ, quæ secundum spem in gratia continetur. Mortua per peccatum anima cadaveri similis efficitur, sine visu, sine auditu, sine loquela, sine motu, imo horribilis et fœtens. — Etenim -*a*) si sic ex hac vita migraret, videre non posset lumen gloriæ, aut faciem Dei; nec audire concentus angelorum; neque loqui lingua cœlitum ad laudandum Deum; nec ullo modo intrare in domum Dei et inter sanctos vivere atque conversari... imo inter illos nullo modo apparere peccatrix anima digna esset.... -*b*) Quamdiu autem in hac vita manet, homo per peccatum mortuus, est sine visu ac lumine: tum quia in peccato existens et inferno addictus, velut lumine spei caret; tum etiam quia voluntarie cæcus est, nec periculum animæ suæ, nec viam mandatorum Dei respicere volens. — Est sine auditu, quia aures obturat ne audiat vocem Dei, ad pœnitentiam se vocantis.... — Est sine loquela, quia non orat, nec peccata sua vult confiteri, ut remissionem accipiat. — Est sine motu, gressu ac operatione, quia opera æternæ vitæ meritoria facere nequit, nec manus vult operibus pœnitentiæ admovere, quibus conversionem a Deo impetrare possit. — Est demum sine ornatu ac specie, oculis Dei horribilis, ut cadaver putridum....

Atque ita mors corporis imaginem exhibet peccati.

-3) Lazarus incidit in morbum, et moritur, *absente Christo*, quod nequaquam accidisset præsente Domino, prout recte sorores defuncti asserunt, dicentes : *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* — Hinc docemur morbos animæ ac mortem incurri, eo quod Dominus, ab anima velut absens, consuetis auxiliis suis ei non assistit. Jam vero hæc Domini absentia duplex est : -*a*) altera *probationis*, cum Dominus velut sponte recedens, nos probandi causa gravioribus

incommodis ac tribulationibus tradit. Tunc ferventius orationi instando, ad ipsum propius accedere debemus. — *b*) Altera est absentia *punitionis* : cum nos, indulgendo tepori, vel pericula frequentando, a Domino recedimus; et ideo punitionis causa auxiliis uberioribus privamur....

2° *Lazari sepultura* indicat statum peccatoris, qui diu in peccato remanet, sæpiusque relabendo consuetudinem contrahit peccandi. Etenim ille miser profundius in dies in mortem terrenosque affectus descendit; animamque suam veluti deponit in sinu terræ, in sepulcro obscuro, quod lapide obdurationis et obcæcationis occludit.... Tunc nobilis olim anima illa in peccatis putrescit, et mortiferum pravi exempli ac scandali fœtorem spargit....

3° *Recursus ad Christum.* Ut suscitetur Lazarus, virtute divina Christi opus est; neque sorores ejus, et multo minus ipse defunctus, ut a morte resurgat quidquam possunt. Quapropter Christus advocandus est, precibusque et lacrymis implorandus. Quod quidem a Lazari sororibus præstatur, cum ab ipso defuncto jam pro se præstari non possit.—Unde intelligimus, ut anima e sepulcro peccati resurgat, necessarium esse ad Christum ejusque misericordiam recursum.

Christi porro misericordia imploratur per orationes, lacrymas, eleemosynas, aliaque similia opera, quibus vera conversio est impetranda. Hujusmodi quidem opera, conversionis meritoria, ipse peccator præstare potest ac debet; quoniam vero sæpius obcæcatus et obduratus, sui curam nullam agit, ab aliis pro misero ex charitate fraterna Deus est exorandus. Imo proprium justorum est, pro peccatoribus orare; Christi vero, preces eorum exaudire : adeo ut de nullius conversione, quantumvis deplorati, desperare possimus....

4° *Sublatio lapidis sepulcri.* Jussit Dominus tolli lapidem et aperiri sepulcrum : ut intelligamus ad spiritualem resurrectionem duo peccatori esse facienda, Quicumque enim animam suam vult a Christo suscitari, debet -1) tollere lapidem scandali et obstaculi, quod in occasione peccati consistit; -2) debet aperire sepulcrum animæ, id est, conscien-

tiam suam : nimirum Christo in persona sacerdotis humiliter, integre et contrite peccata confitendo....

Observandum est autem et illud, quod Martha impedire voluerit ne lapis tolleretur, dicens : *Domine, jam fœtet, quatriduanus est enim.* Hic enim insinuatur, nostros interdum amicos et cognatos, aut nostrum amorem proprium, vario prætextu impedire, quominus obstaculum necessario tollendum removeamus....

5° *Suscitatio mortui.* — Suscitationem Lazari sic narrat Evangelium : *Christus voce magna clamavit : Lazare, veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus.* —1) En Christi misericordia et potentia, qua animas etiam miserrimas, ac maxime putridas, ad vitam gratiæ revocat : dummodo sincere pœnitentes, voci ejus obedire paratæ sint....

-2) Quæ itaque mutatio contigit in cadavere Lazari, quod subito impletur vita, sanitate, motu, etc.; id similiter in anima contingit bene disposita, ubi Christus ore sacerdotis absolutionis verba pronuntiat.... Quod si anima illa recte disposita non esset, neque contrita, neque sincere confessa... mutatio illa non fieret, sed cadaver putridum remaneret.

-3) Non dicit Dominus : *Lazare, vive;* sed : *Veni foras*, id est, egredere e domo mortis, et incipe versari atque agere cum viventibus... Ut doceat nos, peccatorem, vitæ gratiæ restitutum, statim ac sine mora debere novam incipere vitam, omnia relinquere quæ ad peccatum pertinent, et operibus bonis sese impendere.

6° *Lazari a feralibus linteis liberatio.* — Exivit enim Lazarus ferali amictu involutus : *Prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis, et facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Jesus : Solvite eum et sinite abire.* En status animæ quæ, postquam in peccatis sepulta fuit, feliciter vitam gratiæ recuperavit : est quidem rediviva, sed peccatorum reliquiis, tanquam mortis amictu adhuc implicata.

-1) Hujusmodi reliquiæ peccatorum sunt, tum reatus pœnarum temporalium, qui remanet expiandus in hac vita, vel in futura... tum pravæ consuetudines, passionumque laquei, quibus perseverantia et progressus in via mandatorum Dei

impeditur. Ligatæ sunt manus, ligati pedes, ligata facies : quia peccator recens conversus, tardus est ad opera bona, pronus ad ineunda pericula, cæcutiens in via virtutis rebusque spiritualibus....

-2) Solvitur Lazarus manibus Apostolorum, aliorumque adstantium : quia se ipsum expedire non potest, et adjutorio indiget. Ut intelligamus, peccatorem conversum similiter indigere auxilio, tum Sanctorum in cœlo, tum justorum in terra, tum præcipue ministrorum Ecclesiæ, quorum industria ac directione juvandus ac paulatim liberandus est.... Quapropter necesse est ut oret multum, bonorum consortio fulciatur, sacramenta frequentet, et magna docilitate a confessario sese tractari ac duci sinat....

Domine, ecce quem amas infirmatur.

1° Exemplum fraterni amoris, quo sorores Lazari fratris sui necessitati prospiciunt : ut discamus ex affectu charitatis opitulari necessitatibus proximi, et pro ipso Christum orare. Quæ quidem oratio charitatis gratissima Domino est : sicut grata patri amantissimo misericordia exhibita filio, quavis infirmitate laboranti : *Ecce quem amas infirmatur.*

2° Exemplum misericordiæ, quam erga animam nostram ægrotantem exercere debemus. — Anima nostra infirmatur quoties tepidi sumus, vel desolati, tristes, indevoti... quoties tentamur ira, impatientia, superbia, etc. ; imo semper infirma est anima nostra, quia debilis virtutibus, fide, humilitate, mortificatione, charitate... quibus semper magis magisque sanari ac roborari debet. Quare ad Dominum recurrendum semper, dicendo : *Domine, ecce quem amas infirmatur.*

3° Exemplum orationis valde perfectæ, quæ consistit in proponenda Deo brevissime corporis aut animæ nostræ necessitate, allegato tantum amoris titulo, quo me Pater cœlestis prosequitur : de cætero tota remedii cura ejus providentiæ relicta, cum magna fiducia in ejus bonitate, cum resignatione in voluntate ejus : non aliud tandem quærendo quam quod ipse voluerit. — Hæc orandi ratio est illi similis,

quam B. Virgo in nuptiis Cana adhibuit, dicens : *Fili, vinum non habent.* Joan. II, 3.

4° Exemplum confidentiæ in amore Domini erga nos. *Ecce, quem amas...* Et revera, ut testatur Evangelista, *diligebat Jesus Lazarum*, quem etiam amicum appellavit, dicens : *Lazarus amicus noster dormit.* Imo ad sepulcrum ejus lacrymatus est, adeo ut dicerent turbæ : *Ecce quomodo amabat eum.* Hæc tamen non nisi imperfecta imago est amoris, quo nos dilexit, et usque diligit Dominus : *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* — Quantumvis ægrotet anima nostra, imo etiamsi mortua fuerit peccato, a Domino vere diligimur; et ad eum tanquam ad nostri amantem recurrere, ac filiali fiducia dicere possumus : Domine, ecce anima mea, quam utut indignam tantopere amas, ecce infirmatur... ecce, quam ex amore ad imaginem et similitudinem tuam creasti, hanc imaginem amisit; ecce, quam pretioso tuo sanguine abluisti, peccato est maculata; ecce, quam in sacro Baptismate adoptasti, a multis hostibus opprimitur...

5° Hujusmodi oratio non potest quin audiatur. Quare videmus orantibus Marthæ et Mariæ fratrem Lazarum sanum restitui, et quidem melius, etsi alia ratione, quam ipsæ petiissent....

Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei.

Orationi ita respondet Dominus, ut orantes Lazari sorores simul consoletur et probet.

Nam 1° consolatio est quod dicit, infirmitatem Lazari non fore ad mortem, sed potius ad bonum quoddam maximum, ad gloriam Dei, qua nihil melius desiderari possit. — Eadem responsione consolatur omnes justos afflictos, declarans, morbos ac calamitates eorum, sive sint corporis sive spiritus, omnes dirigi ad gloriam Dei... et sibi notas esse omnes hujusmodi adversitates earumque sequelas, fructumque quem ex eis producendum intendit.... — Hæc autem Dei gloria, aut -1) in eo elucet, quod ipse a calamitatibus nostris, nobis minime cogitantibus, admiranda quadam ratione nos eripit; aut -2) si non eripiat, quod miram nobis patientiam, aliaque

magna gratiæ dona largitur. Propterea Apostolus dicebat : *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* II Cor. XII, 19.

2° Probatio fuit et afflictio magna sororibus, ubi viderunt Lazarum fratrem suum mori, postquam a Christo intellexissent, fratrem ex infirmitate illa non esse moriturum. — Dominus autem sic erat locutus, ut illas, totam responsi sui veritatem non assequentes, salubriter probaret. — Scilicet probavit -1) earum fidem et judicii proprii abnegationem, in iis quæ non intelligebant ; probavitque, -2) patientiam ac resignationem in eventu, earum exspectationi ac desiderio tam contrario. — In his duobus probare consuevit Deus sanctos suos : sicut Abraham, quem jussit filium Isaac immolare, de quo tamen promiserat innumeros posteros nascituros. Volebat enim, ut servus suus *contra spem in spem crederet* (Rom. IV, 28), credendo scilicet posse Deum filium resuscitare ; utque hac fide perfecta benedictiones divinas mereretur.

Idem volebat Christus Dominus a sororibus Lazari præstari ; idemque a me petit, si quando mihi rem petenti, dederit contrariam : ut, si petenti sanitatem, permittat infirmitatem augeri ; si petenti humilitatem, permittat superbiæ tentationes ingravescere... Tunc enim opportune illud Job usurpandum : *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo : verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam. Et ipse erit salvator meus.* Job. XIII, 15.

Lazarus mortuus est ; et gaudeo propter vos...

1° Mors Lazari afflictio fuit magna et luctus gravis familiæ illi Domino charissimæ. Dum Caiphas et Pharisæi impii viverent, florerent, et Domino mortem meditarentur ; homines pii, amici Christi charissimi, affligebantur et lugebant... Sic electos suos tanquam aurum in fornace probat Dominus, et *quos amat arguit et castigat* (Apoc. III, 19). — Quod ipsemet verbis jucundissimis testatus est, dicens : *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit : vos autem contristabimini : sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Joan. XVI, 20.

2° Mors Lazari accidit Christo sciente, permittente, imo volente: propterea enim præsens esse noluit amico ægrotanti, ne sanitatem reddere cogeretur. — Hinc docemur, tribulationes nobis, non inscio Domino accidere; nec quidquam contingere, nisi ipso permittente aut etiam faciente. Quare propheta dicit : *Obmutui, et non aperui os meum : quoniam tu fecisti.* Ps. XXXVIII.

3° Mors Lazari, tam luctuosa sororibus, Christo est causa gaudii : *Gaudeo*, inquit, *propter vos, ut credatis.* Gaudet scilicet Dominus, non de afflictione amicorum, sed de bono spirituali quod inde proveniet, sive ipsis afflictis, sive aliis. Quod si oculo fidei res, sicut Dominus, intueremur, nos quoque cum ipso gauderemus ob spiritualia bona, quæ corporalibus tribulationibus pariuntur.

Omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum.

1° Verba vitæ sunt ista, -1) opposita verbo mortis, quod ore mendaci prolatum fuerat in paradiso : *Nequaquam morte moriemini* (Gen. III, 4) ; —2) abrogantia sententiam mortis, olim propter peccatum nostro generi inflictam his verbis : *In quocumque die comederis ex eo* (fructu vetito), *morte morieris.* — *Quia comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes,... in pulverem reverteris* (Gen. II, 17 ; III, 19). — Etenim verbis vitæ ore Christi prolatis, annuntiatur mortis destructio, et liberantur miseri mortales, *qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* Hebr. II, 15.

2° Mors per Christum destructa triplex distinguitur : mors corporis, mors animæ seu peccatum, mors æterna seu damnatio.

-1) Mors corporis sublata est, quia per resurrectionem gloriosam corpus nostrum ita reviviscet, ut amplius non sit morti, aut ulli mortalitatis miseriæ obnoxium.

Nec dicatur, mortem tamen ante resurrectionem esse ab omnibus subeundam, adeoque mortem corporis non esse sublatam : — nam exitus justorum ex hac vita, cum sit initium vitæ melioris, mortis nomine jam appellandus non est. Et

quidem hinc fit, ut mors justorum aliis nominibus merito vocetur *somnus*, *transitus*, *assumptio*, *migratio*, *dies natalis*... quibus nova vita indicatur, justis post hanc mortalitatem reservata. *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori... illi autem sunt in pace* (Sap. III, 1). — Justi scilicet, ubi mori videntur, solummodo corpus deponunt, tanquam vestimentum miseriæ, ut induant vestimentum lætitiæ; eximuntur vinculis et ergastulo; liberantur, ut Apostolus ait, *de corpore mortis hujus*. Rom. VII, 24.

-2) Mors animæ, quæ in peccato mortali consistit, per Christum sublata est : *Ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum* (Rom. V, 21). — Tollitur autem peccatum dupliciter : -*a*) respectu præteriti, ut qui peccato mortui sunt, ex eo resurgant; -*b*) respectu futuri, ut qui in gratia sunt, in peccatum mortale non labantur.

-3) Mors æterna, seu damnatio, tollitur eo ipso quod aufertur peccatum. Quamdiu enim homo in peccato manet, damnatione æterna dignus existit; remisso autem peccato, deletur mortis æternæ decretum : et quamdiu per Christi gratiam in justitia vult perseverare, a damnatione securus erit. — At vero, ut patet, a damnatione non liberantur illi, qui vita in peccato functi, æternam mortem jam incurrerunt... sed tantum illi, qui adhuc in terra degentes, veniam consequuntur; ideo Dominus dicit : *Omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum*.

3° Unum mortis genus Christus non sustulit, nempe mortem mysticam seu mortificationem, quam potius omnibus discipulis subeundam proposuit dicens : *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* (Matth. XVI, 25). — *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupicentiis* (Gal. V, 24); *semper*, cum Apostolo, *mortificationem Jesu in corpore suo circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus eorum*. II Cor. IV, 10.

4° Conditio unica a Domino requisita, ut a morte immunes efficiamur, est fides in ipsum. *Omnis*, inquit, *qui credit in me, non morietur :* fides autem intelligitur viva atque efficax,

quæ legis observationem et opera continet.... *Fides enim sine operibus mortua est* (Jac. II, 26). — Quod si fuerimus vere credentes in Christum, credentes scilicet illa fide *quæ per charitatem operatur* (Gal. V, 6), atque ita ut opera faciamus fidei consentanea; principium vitæ et immortalitatis in nobis possidebimus, illud de quo scriptum est : *Justus ex fide vivit.* Rom. I, 17.

Domine, veni et vide.

1° Invitatur Dominus ad visitandum sepulcrum Lazari, id est, ad spectaculum miseriæ : ut discamus humiliter ipsi miseriam animæ nostræ ostendere; hoc enim spectaculo delectatur. *Vide, Domine, et considera, quoniam facta sum vilis... intuere et respice opprobrium nostrum..... Defecit gaudium nostrum, versus est in luctum chorus noster; cecidit corona capitis nostri. Væ nobis, quia peccavimus : propterea mœstum factum est cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri... Converte nos, Domine ad te, et convertemur; innova dies nostros sicut a principio.* Thren. I, 11 ; V, 1 seqq.

2° *Veni et vide* sepulcrum... En spectaculum ad quod nos ducit Dominus : speculum humanæ vanitatis. Veni et vide sepulcrum amici tui, cujus funus comitatus es... Vel sepulcrum cujuspiam regis, aut divitis, qui e palatio suo ad domum mortis delatus est... Vel sepulcrum tuum, et corpus tuum in eo putrescens, prout mox certo certius continget.... Accede ad sepulcrum solitarium, silens... tolle lapidem, *et vide :* ubi sunt divitiæ, honores? ubi pulchritudo et sanitas? ubi voluptates et gaudia?... Evanuerunt illa omnia, et solum remanet cadaver, cum corporalibus quas gustavit voluptatibus putrescens : putrescunt oculi, aures, lingua, cor, omne id quod caro est... *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas* (Eccl. I, 2) : utique omnia vanitas in rebus corporalibus quæ finiuntur sepulcro... Illa sola vera sunt ac solida, quæ ad animam pertinentia, spiritualia sunt, et sepulcro non capiuntur.

3° *Veni et vide* imaginem animæ, per peccatum mortuæ ac sepultæ. Illa anima in Baptismo regenerata, pulchritudine cœlesti ad similitudinem Filii Dei insignita, angelica juven-

tute florens, ornata vestimento ac monilibus gratiæ... quomodo per peccatum mutata est?... Veni et vide, -1) quomodo sit spoliata ornatu suo et bonis... -2) quomodo putrescat putredine luxuriæ, superbiæ,... -3) quomodo fœtorem emittat pravi exempli... -4) quomodo constricta sit ligaturis vitiorum, malorumque habituum...

4° Diabolus etiam dicit : *Veni et vide*... sed ostendit vitæ hujus gaudia, prava theatri spectacula, omnemque mundi vanitatem; abscondit vero sepulcrum et mortem.... Sic dixit Evæ, ostenditque fructum vetitum; quem illa, cum avertere debuisset oculos, aspexit, *et vidit quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile : et tulit de fructu illius* (Gen. III, 6). Sic Christum ipsum tentator transtulit in montem, *et ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum* (Matth. IV, 8) ; at Dominus *non respexit in vanitates et insanias falsas* (Ps. XXXIX) : ut nos quoque discamus avertere oculos nostros, ne videant vanitatem.

Et lacrymatus est Jesus.

1° Lacrymatus est Dominus, tum propter amicum mortuum, tum ob lacrymas sororum ejus : ut doceret nos, non esse illicitum amicorum mortem paulisper deflere, dummodo memores simus consolationum fidei, prout Apostolus monet, scribens : *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et cæteri, qui spem non habent* (I Thess. IV, 12). — 2) Ut doceret nos afflictis condolere, et *flere cum flentibus*. Rom. XII, 15.

2° Lacrymæ Jesu non fictæ, sed sinceræ fuerunt, verissimæque amicitiæ indicia. — Hinc intelligimus, -1) quænam sint veræ amicitiæ officia : ut nimirum -*a*) amicum in infortunio non derelinquamus, sed usque ad mortem, imo et post mortem amore prosequamur... -*b*) ut ei bonum quod possumus, præsertim spirituale, conferamus....

-2) Intelligimus, Jesum esse amicum verum ac perfectum, qui -*a*) sincere et fideliter amat suos, quos, etsi ab omnibus derelictos, ipse non derelinquet in æternum.... -*b*) Amat ut pater, ut medicus, amore quodam severo, sine blanditiis

noxiis, corripiendo amicos et affligendo sicut Lazarum, *ut glorificetur Deus*.... Ita enim vero amicorum bono consulit, sicut scriptum est : *Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis* (Prov. XXVII, 5, 6). — *c*) Amat efficaciter, non sterili affectu, sed opere, beneficiis, sacrificiis.... Quis amicus sicut Jesus? Quis sicut ipse omnibus amici perfecti dotibus pollet? Et, si amicus necessarius nobis est, quem alium quærimus?... Habet enim omnem amabilitatem, omnem benevolentiam, omnemque potentiam, ut nos ab omni angustia, etiam a morte liberet... *Sine amico non potes bene vivere : et si Jesus non fuerit tibi præ omnibus amicus, eris nimis tristis et desolatus* (Imit. II, 8). — *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus... et totus desiderabilis.* Cant. V, 10.

3° Lacrymatus est Dominus, non tantum de morte corporali Lazari, sed etiam et multo magis de morte ac miseria spirituali animarum, cujus illud Lazari funus imago erat et effectus. Obdurationem Judæorum, peccata hominum et speciatim mea, ipse Filius Dei lacrymando deflebat... Ut discamus sancte lugere, et peccata nostra deflere, secundum illud: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Matth. V, 5.

Lazare, veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus.

1° Imago resurrectionis universalis. Sic in fine mundi, *omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei* (Joan. V, 28). Clamabit enim voce magna, voce tubæ et archangeli, quæ resonabit per sepulcra regionum ad aures uniuscujusque nostrum. Omnibus et singulis, mirabili illa voce nominatim vocatis, dicetur : *Lazare, veni foras.* Et statim, in ictu oculi, mortui resurgent : e putredine, e pulvere sparso, e visceribus terræ, ex abyssis maris prodeuntes adstabunt, omnes simul, sive mortui recens, sive mortui fuerint antiquitus. Universa humana familia, omnes Adæ posteri multitudine fere innumerabiles, qui per decursum sæculorum vixerint, sese simul conspicient velut coævos omnes.... Major sane erit stupor quam in resurrectione Lazari.

2° Differt tamen resurrectio Lazari a resurrectione nostra futura (1). Nam -1) Lazarus resurgit adhuc moriturus; nos vero immortales erimus. -2) Lazarus non modo eadem carne, sed etiam eadem conditione qua vixit antea, resurgit, nihil immutatus: nos vero eadem quidem carne, non autem eadem conditione, sed meliore vel deteriore sorte donati.... *Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (I Cor. XV, 51) : nam *procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (Joan. V, 29). — Hinc duæ classes resurgentium erunt : alii similes dæmonibus, alii similes angelis et Christo....

3° Justorum resurrectio, differens a resurrectione Lazari, similis erit resurrectioni Christi : qui *resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (Rom. VI, 9); qui egreditur e sepulcro sicut sponsus e thalamo, gloriæ dotibus exornatus... Sic resuscitabit nos, discipulos suos, cum ipso mortuos, *configuratos morti ejus, et reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ* (Phil. III, 10, 21). — At e contra, *caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit.* I Cor. XV, 50.

Multi crediderunt in eum. Quidam autem... abierunt ad Pharisæos.

Testes tam insignis miraculi, quod Dominus ut signum evidens suæ missionis operatus est : *Ut credant*, inquiens, *Pater, quia tu me misisti;* alii credunt et in fide confirmantur, alii vero obcæcati et obdurati, pejore odio in Christum exardescunt. — Quæ res imaginem exhibet omnium hominum, opera Christi tam diversimode intuentium. Etenim,

1° Alii recto corde dispositi, Christum agnoscunt, colunt et sequuntur....

2° Alii vero perversis affectibus servientes, vel non moventur ad christiane vivendum; vel etiam e contra, adversus

(1) Cfr. *Adjumenta*, argum, 21, *de Judicio universali.* — Item, *Elementa theol. dogm.* tom. 2, tract. 19, *de Novissimis*, cap. 3, art 3, nn. 186, seqq.

Christum insurgunt, violando legem ejus, imo ipsum persequendo in persona suorum fidelium aut ministrorum Ecclesiæ.... Et quidem ex ipsis Domini beneficiis peccandi sumunt occasionem; sicut qui ex theriaca venenum sibi faciunt, quo intereant.

3° Quanta inimicorum Christi insania! Odio ac passionibus pravis obcæcati, -1) auctoris vitæ, qui non modo omnes infirmitates sanat, sed etiam mortuos suscitat, beneficia nolunt accipere. -2) Auctorem vitæ, evidentibus signis manifestum, nolunt agnoscere. -3) Auctorem vitæ volunt in operibus beneficentiæ et omnipotentiæ cohibere. -4) Auctorem vitæ volunt exterminare et occidere... Et quidem impium istud consilium perfecerunt, sicut eis Petrus exprobravit, dicens : *Auctorem vitæ interfecistis* (Act. III, 15). Eum scilicet qui mortuis vitam dabat, arbitrati sunt ita morti obnoxium esse, ut a se interfectus, captivus mansurus esset in sepulcro. -5) Auctorem vitæ occidendo, mirabiliter ejus gloriam manifestarunt; semetipsos vero, suamque gentem præcipitaverunt in ruinam. -6) Simili insania nunc agunt multi impii, Judæorum imitatores... Qui utinam, potius quam ultro incurrant mortem, recipiant vitam sibi a Domino Jesu Christo oblatam!... Venit enim benignissimus Salvator, ut omnes *vitam habeant et abundantius habeant*. Joan. X, 10.

INDEX.

Epistola SS. Domini Nostri Pii IX.

Epistola nuncupatoria.

Præfatio.

In vigilia Apostolorum.

Evangelium : *Hoc est præceptum meum* 1
Explicatio prima . . . . . *ibid.*
Explicatio secunda 7

In festis Apostolorum (et Abbatum).

Evangelium : *Ecce nos reliquimus omnia* 12
Explicatio prima 13
Explicatio secunda 19

In festis Evangelistarum.

Evangelium : *Designavit Dominus* 24
Explicatio prima 25
Explicatio secunda 32

Commune unius Martyris.

Evangelium primum : *Si quis venit ad me.* 39
Explicatio prima 40
Explicatio secunda 43
Evangelium secundum : *Si quis vult post me venire* . . . 48
Explicatio prima 49
Explicatio secunda 53
Evangelium tertium : *Nolite arbitrari* 60
Explicatio prima 61
Explicatio secunda 65
Evangelium quartum : *Nihil est opertum* 71
Explicatio prima 72
Explicatio secunda 76
Evangelium quintum : *Nisi granum frumenti* 82
Explicatio prima 83
Explicatio secunda 86

Commune plurimorum Martyrum,

Evangelium primum : *Cum audieritis prœlia* 92
Explicatio prima 94
Explicatio secunda 98
Evangelium secundum : *Descendens Jesus de monte* . . . 104
Explicatio prima 105
Explicatio secunda 109
Evangelium tertium : *Sedente Jesu super montem Oliveti* . . 115
Explicatio prima 117
Explicatio secunda 121
Evangelium quartum : *Confiteor tibi, Pater* 127
Explicatio prima 128
Explicatio secunda 133
Evangelium quintum : *Væ vobis, qui ædificatis monumenta prophetarum* 141
Explicatio prima 142
Explicatio secunda 146
Evangelium sextum : *Qui vos audit, me audit* 151
Explicatio prima . . . . . *ibid.*
Expliactio secunda 156
Evangelium septimum: *Attendite a fermento Pharisæorum* . 162
Explicatio prima 164
Explicatio secunda 165

Commune Martyrum tempore paschali.

Evangelium primum : *Ego sum vitis vera.* 167
Explicatio prima . . . . . *ibid.*
Explicatio secunda 178
Evangelium secundum : *Ego sum vitis, vos palmites.* . . 184
Explicatio prima 185
Explicatio secunda 188

Commune Confessoris Pontificis.

Evangelium primum : *Homo peregre proficiscens* . . . 194
Explicatio prima 195
Explicatio secunda 198
Evangelium secundum : *Vigilate, quia nescitis* . . . 205
Explicatio prima 206
Explicatio secunda 211
Evangelium tertium : *Nemo lucernam accendit* . . . 218
Explicatio prima 219
Explicatio secunda 222
Evangelium quartum : *Videte, vigilate, et orate.* . . . 227
Explicatio prima 228
Explicatio secunda 230

Commune Doctorum.

Evangelium : *Vos estis sal terræ* 234
Explicatio prima 235
Explicatio secunda 242

Commune Confessoris non Pontificis.

Evangelium primum : *Sint lumbi vestri præcincti* . . . 248
Explicatio prima 249
Explicatio secunda 252
Evangelium secundum : *Nolite timere, pusillus grex.* . . 258
Explicatio prima 259
Explicatio secunda 262
Evangelium tertium : *Homo quidam nobilis* . . . 267
Explicatio prima 269
Explicatio secunda 277

Commune Virginum.

Evangelium : *Simile est regnum cœlorum decem virginibus* . 282
Explicatio prima 283
Explicatio secunda 288

Commune non Virginum.

Evangelium : *Simile est regnum cœlorum thesauro* . . . 293
Explicatio prima . . . . . *ibid.*
Explicatio secunda 298

Commune Dedicationis Ecclesiæ.

Evangelium : *Ingressus Jesus perambulabat Jericho* . . . 306
Explicatio prima 307
Explicatio secunda 312

In Missis pro Defunctis.

Evangelium primum : *Amen, amen dico vobis : quia venit hora* 321
Explicatio prima . . . . . *ibid.*
Explicatio secunda 325
Evangelium secundum : *Dixit Martha ad Jesum* . . . 331
Explicatio prima . . . . . *ibid.*
Explicatio secunda 337
Evangelium tertium : *Omne quod dat mihi Pater* . . . 341
Explicatio prima . . . . . *ibid.*
Explicatio secunda 346
Evangelium quartum : *Ego sum panis vivus* 350
Explicatio prima . . . . . *ibid.*
Explicatio secunda 354

Feria V infra hebdomadam secundam Quadragesimæ.

Evangelium : *de Divite epulone* 358
Explicatio prima 360
Explicatio secunda 374

Sabbato infra hebdomadam secundam Quadragesimæ.

Evangelium *de Filio prodigo* 381
Explicatio prima 382
Explicatio secunda 398

Feria VI infra hebdomadam tertiam Quadragesimæ.

Evangelium *de muliere Samaritana* 409
Explicatio prima 411
Explicatio secunda 436

Feria VI infra hebdomadam quartam Quadragesimæ

Evangelium *de resurrectione Lazari* 450
Explicatio prima 453
Explicatio secunda 486

Bruxellis, typis H. Goemaere.

251.8
SCH68

3105

SCHOUPPE, S.J. F.X.

AUTHOR

Evangelia de Communi Sanctorum

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	STORAGE - CBPL	

3105